



BIBLIOTHECA PATRVM ASCETICA.

SIVE.

SELECTA VETERVM PATRVM DE CHRISTIANA ET RELIGIOSA PERFECTIONE OPVSCVLA.

TOMVS QVINTVS.







PARISIIS,

Apud FREDERICVM LEONARD, viâ Iacobæâ, ad insigne Scuti Veneti.

M. DC. LXIV.

Cum Priuilegio Regis, ac Superiorum facultate.



LECTORI.



EN tibi, Lector Pie ac Religiose, in hoc Bibliothecæ Patrũ Asceticæ tomo quinto præclara Magni Augustini, Hipponensis Episcopi documenta, Selecta nimirum Opuscula, quæ ad Christianam potissimùm conducunt pietatem.

Ad eorum autem Opusculorum commendationem satis esse arbitror, si dixerim, tanti semper apud coætaneos recentioresque præstantissimi huiusce Doctoris fuisse sanctitatem, eruditionem, auctoritatem, vt eum vel in Conciliis propemodum vniuersis, vel in suis ipsorum Operibus Ecclesiæ Patres, & Benedictinæ Scholæ Professores, ac Beatissimus ipse Benedictus in Regula, tum ad stabiliendam fidem, tum ad profligandas hæreses, tum denique ad Christianorum animos sanctis moribus instituendos imbuendósque, veluti Iudicem, Vindicem, ac Ducem adhibuerint. Etenim *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna in diebus suis lucet, & sicut sol refulgens, sic ille effulsit in Templo Dei.* Eccl. 50. 6.

Atque vt id omnino compertum fiat & exploratum, Illustrium Virorum de B. Augustino testimonia heîc adtexam, vt quo numero habendus tibi sit, quóque studio prosequenda illius Scripta intelligas, quorum lectione * *Ad maiora doctrinæ virtutúmque culmina, Deo protegente, peruenias.*

* S. Bened. in fine Reg. agẽs de SS. Patrũ scriptis sedulò euoluendis.



ILLVSTRIVM VIRORVM
DE B. AVGVSTINO
TESTIMONIA.

Inter epist. S. August. 30. SANCTVS HIERONYMVS *in epistolâ ad B. August. sic habet:* Certè quidquid dici potuit, & sublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te positum atque dissertum est. Sed, quæso Reuerentiam tuam, parum patiaris me tuum laudare ingenium, &c. Mihi decretum est te amare & suspicere, colere & mirari, tuáque dicta quasi mea defendere. *Et epist. 25. ad eundem August.* Ibidem. Omni quidem tempore beatitudinem tuam, eo quo decet honore veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Saluatorem: sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus & plena complemus; vt absque tui nominis mentione ne vnam quidem horam præterire patiamur, qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti, &c. Macte virtute: in Orbe celebraris, Catholici TE CONDITOREM ANTIQVÆ RVRSVM FIDEI venerantur atque suspiciunt, &c.

Apud August. vbi supra. epist. 38. in fine. S. PAVLINVS scribens B. Augustino: O verè sal terræ quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ latè Catholicis vrbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. *Et in epist. 31. post init.* Lucere non dubito sanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate meruit illuminationem Spiritus sancti, per quam scrutari & inspicere possit etiam alta Dei, &c.

Ibid. epist. 2. ante fin. VOLVSIANVS *ad Augustinum:* Accepisti virtotiùs gloriæ capax, imperitiæ meæ confessionem, &c. Vtcumque absque detrimento cultus diuini in aliis Sacerdotibus toleratur inscitia; at cùm ad Antistitem Augustinum venitur legi deest, quicquid ab eo contigerit ignorari.

POSSIDIVS *in vita sancti Augustini cap* 31. In suis quidem Scriptis ille Deo acceptus & charus Sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur rectè ac sanè, fidei, spei & charitatis, Catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur: quod agnoscunt qui eundem de Diuinis scribentem legentes proficiunt.

S. FVLGENTIVS *lib. 2. de verit. præd. cap.* 18. Hunc (*Augustinum*) legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat: humiliter orans

misericordiæ Dominum, vt eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit vt scriberet; & eamdem illuminationis gratiam adipiscatur, quam ille adeptus est vt doceret.

Cælestinvs Papa I. *ad Episcopos Galliæ scribens, ait:* Augustinum Sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus; nec vnquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter Magistros optimos etiam antè à meis prædecessoribus haberetur.

Iohannes Papa II. *in epistola* 23. *Avieno, &c.* Doctrinam Augustini secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur & seruat Ecclesia.

Qvinta Synodvs Generalis Constantinop. Collat I. Sequimur autem in omnibus SS. Patres & Doctores Sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, &c. Augustinum, & omnia quæ ab his de recta fide, & condemnatione hæreticorum conscripta & exposita sunt suscipimus.

Concilivm Florentinum *sess.* 7. Sed nunc Sanctorum Patrum auctoritates in medium afferamus, ac in primis Augustini illustrissimi Latinorum Doctoris, quem quinta Synodus consecrauit.

S. Benedictvs *in Regula etsi nomen reticeat, verba tamen Augustini identidem vsurpat: atque inter alia cap.* 7. *grad.* 1. Æstimet se homo de cœlis semper à Deo respici, &c. & ab Angelis omni hora renunciari. *Ex B. August. epist.* 121. *c.* 9. *Et in cap.* 20. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus, &c. *Ex eiusdem epistola* 121. *cap.* 8. *&* 10.

S. Gregorivs Magnus *in lib* 8. *epist.* 37. *ad Innoc. Affricæ Præfect.* Si cupitis delitioso pabulo saginari, B. Augustini patriotæ vestri Opuscula legite: & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem ne quæratis.

Cassiodorvs *in Prologo Comment. Psalm.* Est, *Augustinus,* literatum omnium Magister egregius, & (quod in vbertate rarum est) cautissimus disputator. Decurrit quippe tanquam fons purissimus, nulla fæce pollutus, sed in integritate fidei perseuerans, &c. Totus Catholicus, totus Orthodoxus inuenitur; & in Ecclesia Domini suauissimo nitore resplendens superni luminis claritate radiat.

S. Isidorvs Hispalensis Episcop. *lib.* 6. *Etym. c.* 6. De nostris apud Græcos Origenes in Scripturarum labore tam Græcos quàm Latinos Operum suorum numero superauit. Denique Hieronymus sex millia librorum eius se legisse fatetur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingenio vel scientiâ suâ vicit, &c.

S. Ildefonsvs *Serm.* 2. *de B. Virg.* Audiant Beatum Augustinum, cui contradicere fas non est.

Venerab. Beda *in Ephemer. ad diem* 28. *Aug.*

Ecclesiæ lumen, populi sacra norma fidelis,
Affrica quo Pastore, orbis Doctore coruscat.

RATRAMNVS *Corbeiens.* Monach. *& Presbyter lib. 2. contra Græc.* Augustinus Episcopus Hipponensis egregius Doctor, & Catholicæ fidei propugnator acerrimus.

Ex cod. MS S. Benedicti Floriacensis.

CLAVDIVS Taurinensis Episcopus *in Præfat. commentarij in Epistolas B. Pauli:* Amantissimus Domini Sanctissimus Augustinus, Thalamus Trinitatis, lingua Spiritus sancti, terrenus homo, sed cælestis Angelus; olim terram pedibus ambulans, sed cælum semper meritis possidens: corruptibilique atque mortali adhuc carne circumdatus, incorruptibili Angelicáque visione atque immortali intuitus semper est Dominum. Acer ingenio, suauis eloquio, secularis literaturæ peritus, &c. In expositione fidei nostræ Catholicus; in soluendis quæstionibus acutus, in reuincendis hæreticis circumspectus, in explanandis Scripturis Canonicis cautus.

S. ANSELMVS Cantuar. Archiep. *lib. 1. epist. 68.* Nam hæc mea fuit intentio per totam illam qualemcumque disputationem, vt omnino nihil asseuerem, nisi quod aut canonicis, aut B. Augustini dictis incunctanter posse defendi viderem.

RVPERTVS Abbas Tuit. *lib. 7. de Oper. Spiritus Sancti c. 19.* Augustinus Columna & Firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei: cuius ex ore distillare non cessauit pluuia salutaris.

S. BERNARDVS *serm. 80. in Cant.* Augustinus est validissimus malleus hæreticorum. *Et epist. 77.* Ab his duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi difficilè auellor: cum his inquam, me aut errare aut sapere fateor.

MARTINVS Papa V. *in serm. de Translat. S. Monicæ:* Quicumque de Christo, de Fide, de Religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, vt nihil pœnè ex sacris litteris possit nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. *Et infra:* Si veritatem quæritis, si doctrinam, si sapientiam, si pietatem, quis doctior? quis iustior? quis, vt ita dicam, sanctior Augustino.

S. VINCENTIVS Ferrarius *in serm. de* S. *August.* Candelabrum aureum totum est B. Augustinus, alij Doctores dicuntur lucernæ, &c. Quia audeo dicere, quòd omnes Doctores qui venerunt post eum, sustentantur super eius doctrinam sanctam, puram, Catholicam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum.

S. THOMAS à Villanoua *in concione 1. de* S. *August.* Sicut sol omnia astra, ita cæteros omnes post Apostolos superat Augustinus.

S. AVGVSTINVS ECCLESIAM ILLVSTRABAT AN. DOMINI CCCCXX.



INDEX

OPVSCVLORVM S. AVGVSTINI

Quæ in hoc Volumine continentur.

DE Doctrina Christiana libri quatuor, 1
De Vera Religione Liber vnus, 125
De Moribus Ecclesiæ Catholicæ Liber, 185
Enchiridion de Fide, Spe & Charitate, 227
De Sermone Domini in Monte secundùm Matthæum libri duo, 291
De Decem Chordis Liber, 391
De Disciplina Christiana, vel de Domo disciplinæ Sermo, 413
De Cantico nouo, & de reditu ad cælestem patriam, ac viæ periculis, 424
De Cataclysmo sermo, 435
De Tempore barbarico sermo, 446

In his porro edendis Opusculis duabus vsi sumus editionibus, Basileensi anni 1529. ab Erasmo curata, ac potissimùm Antuerpiensi an. 1577. à Louaniensibus Theologis emendata: Vbi verò res postulauit ex MSS. codicibus duplicis illius editionis errata quædam correximus.

SVMMA PRIVILEGII.

PRiuilegio Christianissimi Regis LVDOVICI XIV. dato 25. Februar. anno 1660. cautum est ne vllus Typographus aut Bibliopola, seu quiuis alius audeat vel præsumat, *Libros ad vsum Ecclesiasticum Ordinis S. Benedicti pertinentes*, necnon cæteros generatim ab aliquo è Monachis Congregationis S. Mauri editos vel edendos, intra Regni & Dominiorum suæ Maiestati subditorum fines cudere, vel aliò cudendos mittere, vel alibi impressos adducere, vendere ac distrahere clam seu palam intra nouennium à die finitæ impressionis cuiuslibet libri computandum, citra consensum, facultatem ac testimonium Superioris Generalis ac Religiosorum eiusdem Congregationis: indictâ etiam delinquentibus contra hæc grauissimâ mulctâ, prout in Regiis literis originalibus fusiùs continetur.

Relata sunt 3. Mart. an 1660. Priuilegij huius litera in librum publicum Bibliopolarum ac Typographorum Parisiensium, iuxta Curia Arestum, 8. April. ann. 1653.

Idem R. P. SVPERIOR GENERALIS, ius suum transcripsit FREDERICO LEONARD, Bibliopolæ Parisiensi, ad hoc vt iuxta Priuilegij supradicti tenorem *Bibliothecam Patrum Asceticam*, decreto Capituli Generalis eiusdem Congregationis collectam & concinnatam cudi curet, cusamque distrahere liberè possit.



SANCTI

SANCTI AVRELII

AVGVSTINI

DE

DOCTRINA

CHRISTIANA

LIBER PRIMVS.

SVNT præcepta quædam tractandarum Scripturarum, quæ studiosis earum video non incommodè posse tradi, vt non solùm legendo alios qui diuinarum litterarum operta aperuerunt, sed & aliis ipsi aperiendo proficiant. Hæc tradere institui volentibus & valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea quæ de hac re cogitanti solet suggerere, etiam scribenti mihi non deneget. Quod antequam exordiar, videtur mihi respondendum esse his qui hæc reprehensuri sunt, aut reprehensuri essent, si eos non ante placaremus. Quòd si nonnulli etiam post ista reprehenderint, saltem alios non mouebunt, nec ab vtili studio ad imperitiæ pigritiam reuocabunt, quos mouere possent, nisi præmunitos præparatósque inuenirent. PROOEMIVM.

Quidam enim reprehensuri sunt hoc opus nostrum, cùm ea quæ præcepturi sumus non intellexerint. Quidam verò cùm intellectis vti voluerint, conatíque fuerint Scripturas diuinas secundum hæc præcepta tractare, neque valuerint aperire atque explicare quod cupiunt, inaniter me laborasse arbitrabuntur. Et quia ipsi non adiuuabuntur hoc Opere, nullum adiuuari posse censebunt. Tertium genus est reprehensorum,

qui diuinas Scripturas vel reuera bene tractant, vel bene tractare sibi videntur. Qui quoniam nullis huiuscemodi obseruationibus lectis quales nunc tradere institui, facultatem exponendorum sanctorum librorum se assecutos vel vident vel putant, nemini esse ista præcepta necessaria, sed potiùs totum, quod de illarum litterarum obscuritatibus laudabiliter aperitur, diuino munere fieri posse clamitabunt.

Quibus omnibus breuiter respondens, illis qui hæc quæ scribimus non intelligunt, hoc dico, me ita non esse reprehendendum, quia hæc non intelligunt, tanquam si lunam veterem vel nouam, sydúsue aliquod minimè clarum vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem; illis autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum, nón propterea mihi succensere deberent. Illi verò, qui etiam istis præceptis, cognitis atque perceptis, ea quæ in diuinis Scripturis obscura sunt intueri nequiuerint, arbitrentur se digitum quidem meum intueri posse, sydera verò quibus demonstrandis intenditur, videre non posse. Et illi ergo & isti me reprehendere desinant, & lumen oculorum diuinitus sibi præberi deprecentur. Non enim si possum membrum meum ad aliquid demonstrandum mouere, possum etiam oculos accendere, quibus vel ipsa demonstratio mea, vel etiam illud quod volo demonstrare, cernatur.

Iam verò eorum qui diuino munere exultant, & sine talibus præceptis qualia nunc tradere institui, se sanctos libros intelligere atque tractare gloriantur, & propterea superflua voluisse me scribere existimant, sic est lenienda commotio, vt quamuis magno Dei munere iure lætentur, recordentur se tamen per homines didicisse vel litteras. Nec propterea sibi ab Antonio Sancto & perfecto viro Aegyptio Monacho insultari debere, qui sine vlla scientia litterarum Scripturas diuinas & memoriter audiẽdo tenuisse, & prudenter cogitãdo intellexisse prædicatur. Aut ab illo seruo barbaro Christiano, de quo à grauissimis fidéque dignissimis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam orando vt sibi reuelarentur accepit, triduanis precibus impetrans, vt etiam codicem oblatum stupentibus qui aderant legendo percurreret. At si hæc quisquam falsa arbitretur, non ago pugnaciter. Certè enim quoniam cum Chri-

ſtianis nobis res eſt, qui ſe Scripturas ſanctas ſine duce homine gaudent noſſe, & ſi ita eſt, vero & non medio-cri gaudent bono, concedant neceſſe eſt vnumquenque noſtrum & ab ineunte pueritia conſuetudine audiendi linguam ſuam didiciſſe, & aliam aliquam vel Græcam vel Hebræam vel quamlibet cæterarum, aut ſimiliter audiendo, aut per hominem præceptorem accepiſſe.

Iam ergo ſi placet, moneamus omnes Fratres, ne paruulos ſuos * iſta doceant, quia momento vno temporis adueniente *al. * ita.* Spiritu ſancto repleti Apoſtoli omnium gentium linguis lo- Act. 2. 2. cuti ſunt: aut cui talia non prouenirent, num ſe arbitretur eſſe Chriſtianum, num Spiritum ſanctum accepiſſe ſe dubitet? imò verò & quod per hominem diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcat, & per quem docetur alius, ſine ſuperbia & ſine inuidia tradat quod accepit. Neque tentemus eum cui credimus, ne talibus inimici verſutiis & peruerſitate decepti, ad ipſum quoque Euangelium audiendum atque diſcendum nolimus ire in Eccleſias, aut codicem legere, aut legentem prædicantémque hominem audire, & expectemus rapi vſque in tertium cœlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, ſicut dixit Apoſtolus, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini 2. Cor. 12. 2. loqui: aut ibi videre Dominum Ieſum Chriſtum, & ab illo potiùs quàm ab hominibus audire Euangelium.

Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas, magíſque cogitemus & ipſum Apoſtolum Paulum, li- Act. 9. 7. cet diuina & cœleſti voce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe vt ſacramenta perciperet atque copularetur Eccleſiæ: & Centurionem Cornelium quamuis exauditas orationes eius eleemoſynáſque reſpectas ei Angelus nunciauerit, Petro tamen traditũ imbuendũ, per quem non ſolùm Act. 10. 5. ſacramẽta perciperet, ſed etiam quid credẽdũ, quid ſperandũ, quid diligendũ eſſet audiret. Et poterãt vtique omnia per Angelũ fieri: ſed abiecta eſſet humana cõditio, ſi per homines hominibus verbũ ſuũ Deus miniſtrare nolle videretur. Quomodò enim verũ eſſet quod dictum eſt: *Templum enim Dei ſanctum* 1. Cor. 3. 17. *eſt, quod eſtis vos,* ſi Deus de humano tẽplo reſponſa non redderet, & totum quod diſcẽdum hominibus tradi vellet, de cœlo atque per Angelos perſonaret? Deinde ipſa charitas quæ ſibi inuicẽ homines nodo vnitatis aſtringit, non haberet aditum

refundendorũ & quasi miscendorũ sibimet animorũ, si homi-
Act. 8. 31. nes per homines nihil discerent. Et certe spadonem illum qui Esaiam Prophetã legens non intelligebat, neque Apostolus ad Angelum misit, nec & per Angelum ei quod non intelligebat expositum, aut diuinitus in mente sine hominis ministerio reuelatum est: sed potiùs suggestione diuina missus est ad eum, seditque cum eo Philippus, qui nouerat Esaiam Prophetam, eique humanis verbis & lingua quod in Scriptura illa tectum
Ex. 18. 19. erat aperuit. Nonne cùm Moyse Deus loquebatur, & tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi à socero suo, alienigena scilicet homine, & maximè prouidus & minimè superbus accepit? Nouerat enim ille vir ex quacunque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas incommutabili Deo tribuendum esse.

Postremò quisquis se nullis præceptis instructum diuino munere quæcunque in Scripturis sanctis obscura sunt intelligere gloriatur, bene quidem credit, & verum est non esse illam suam facultatem quasi ex seipso existentem, sed diuinitùs traditam. Ita enim Dei gloriam quærit, non suam. Sed cùm legit, & nullo sibi hominum exponente intelligit, cur ipse aliis affectat exponere, ac non potiùs eos remittit Deo, vt ipsi quoque non per hominem, sed illo intus docente
Mat. 25. 27. intelligant? Sed videlicet timet ne audiat à Domino: *Serue nequam, dares pecuniam meam nummulariis.* Sicut ergo hi ea quæ intelligunt produnt cæteris vel loquendo vel scribendo: ita ego quoque si non solùm ea quæ intelligo, sed etiam intelligendo ea quæ obseruent prodidero, culpari ab eis profectò non debeo: quanquam nemo debeat aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi fortè mendacium. Nam omne verum ab
Ioh. 14. 6. illo est qui ait, *Ego sum veritas.* Quid enim habemus quod non
1. Cor. 4. 7. accepimus? Quòd si accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus? Qui legit audiẽtibus litteras, vtique quas agnoscit enunciat: qui autẽ ipsas litteras tradit, hoc agit vt alij quoque legere nouerint, vterque tamẽ hoc insinuat quod accepit. Sic etiam qui ea quæ in Scripturis intelligit exponit audientibus, tãquam litteras quas agnoscit pronunciat lectoris officio. Qui autem præcipit quomodò intelligẽdum sit, similis est tradenti litteras, hoc est, præcipienti quomodò sit legendum: vt quomodò ille qui legere nouit alio lectore non indiget, cùm co-

dicem inuenerit à quo audiat quid ibi ſcriptum ſit: ſic iſte qui præcepta quæ conamur tradere acceperit, cùm in libris aliquid obſcuritatis inuenerit, quaſdam regulas veluti litteras tenens intellectorem alium non requirat, per quem ſibi quod opertum eſt detegatur, ſed quibuſdam veſtigiis indagatis ad occultum ſenſum ſine vllo errore ipſe perueniat, aut certè in abſurditatem prauæ ſententiæ non incidat. Quapropter quanquam & in ipſo opere ſatis apparere poſſit, huic officioſo labori noſtro non rectè aliquem contradicere, tamen ſi huiuſcemodi procœmio quibuslibet obſiſtentibus conuenienter videtur eſſe reſponſum, huius viæ quam in hoc libro ingredi volumus, tale nobis occurrit exordium.

DVÆ ſunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum. Modus inueniendi quę intelligenda ſunt, & modus proferendi quæ intellecta ſunt. De inueniendo priùs, de proferendo poſtea diſſeremus. Magnum onus & arduum, & ſi ad ſuſtinendum difficile, vereor ne ad ſuſcipiendum temerarium. Ita ſanè ſi de nobis ipſis præſumeremus. Nunc verò cùm in illo ſit ſpes peragendi huius operis, à quo nobis in cogitatione multa de hac re iam tradita tenemus, non eſt metuendum ne dare deſinat cætera, cùm ea quæ data ſunt cœperimus impendere. Omnis enim res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodò habenda eſt. Ille enim ait: *Qui habet, dabitur ei.* Dabit ergo habentibus, id eſt, cum benignitate vtentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit. Illi quinque & illi ſeptem erant panes, antequam inciperent dari eſurientibus. Quod vbi fieri cœpit, cophinos & ſportas ſatiatis tot hominum millibus impleuerunt. Sicut ergo ille panis dum frangeretur accreuit, ſic ea quæ ad hoc opus aggrediendum iam Dominus præbuit cùm diſpenſari cœperint, eo ipſo ſuggerente multiplicabuntur, vt in hoc noſtro miniſterio, non ſolùm nullam patiamur inopiam, ſed de mirabili etiam abundantia gaudeamus.

CAP. I. *Inuentio & Pronunciatio.* Matth.13. 2. Matt.14.17 Matt.15.34.

Omnis doctrina vel rerum eſt, vel ſignorum, ſed res per ſigna diſcuntur. Propriè autem nunc res appellaui, quæ non ad ſignificandum aliquid adhibentur, ſicuti eſt lignum, lapis, pecus, atque huiuſmodi cætera. Sed non illud lignum quod in aquas amaras Moyſen miſiſſe legimus, vt amaritudine carerent: neque ille lapis quem Iacob ſibi ad caput poſuerat:

CAP. II. *Res & Signa.* Exod.15.25 Geneſ.28.11

Ib. 23. 13. neque illud pecus quod pro filio immolauit Abraham. Hæc namque ita res sunt, vt aliarum etiam signa sint rerum. Sunt autem alia signa quorum omnis vsus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim vtitur verbis nisi aliquid significandi gratia. Ex quo intelligitur quid appellem signa, res eas videlicet quæ ad significandum aliquid adhibentur. Quamobrem omne signum etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, omnino nihil est. Non autem omnis res etiam signum est. Et ideo in hac diuisione rerum atque signorum, cùm de rebus loquemur ita loquemur, vt etiam si earum aliquæ adhiberi ad significandum possunt, non impediant partitionem qua priùs de rebus, postea de signis disseremus, memoritérque teneamus id nunc in rebus considerandum esse quod sunt, non quod aliud etiam præter seipsas significant.

CAP. III. *Rerum diuisio.*

RES ergo aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus vtendum, aliæ quæ fruuntur & vtuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur, vt ad illas quæ nos beatos faciunt peruenire, atque his inhærere possimus. Nos verò qui fruimur & vtimur, inter vtrasque constituti, si eis quibus vtendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, vt ab his rebus quibus fruendum est obtinendis vel retardemur, vel etiam reuocemur, inferiorum amore præpediti.

CAP. IV. *Frui & vti*

FRVI enim est amore alicui rei inhęrere propter seipsam. Vti autē, quod in vsum venerit ad id quod amas obtinēdū referre, si tamen amandū est. Nā vsus illicitus abusus potiùs vel abusio nominādus* est. quomodò ergo si essemus peregrini, qui beatè viuere nisi in patria nō possemus, eáque peregrinatione vtique miseri, & miseriam finire cupiētes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus vtēdū esset, vt ad patriam qua fruendum erat peruenire valeremus: quòd si amœnitates itineris & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conuersi ad fruendum his quibus vti debuimus, nollemus citò viam finire, & peruersa suauitate implicati alienaremur à patria, cuius suauitas faceret beatos: sic in huius mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus, vbi beati esse possumus*, vtendum est hoc

Rom. 1. 20. mundo, non fruendum, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta

al. * nominanda

al. * possimus

sunt intellecta conspiciantur: hoc est, vt de corporalibus temporalibusque rebus æterna & spiritualia capiamus.

Res igitur quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus sanctus est, eademque Trinitas, vna quædam summa res communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res & non rerum omnium causa sit, si tamen & causa. Non enim facilè nomen quod tantæ excellentiæ conueniat potest inueniri, nisi quod melius ita dicitur, Trinitas hæc, vnus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita Pater & Filius, & Spiritus sanctus, & singulus quisque horum Deus, & simul omnes vnus Deus, & singulus quisque horum plena substantia, & simul omnes vna substantia. Pater nec filius est, nec Spiritus sanctus: Filius nec Pater est, nec Spiritus sanctus: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius: sed Pater tãtùm Pater, & Filius tantùm Filius, & Spiritus sanctus tantùm Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas, eadem potestas. In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatísque concordia: & tria hæc vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Cap. V. Trinitas.

Diximusne aliquid, & sonuimus aliquid dignũ Deo? Imò verò me nihil aliud quàm dicere voluisse sentio. Si autem dixi, non est hoc quod dicere volui. Hoc vnde scio, nisi quia Deus ineffabilis est: quod autem à me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset. Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cauenda potiùs quàm voce pacanda est. Et tamen Deus, cùm de illo nihil dignè dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est quod & dicitur Deus. Non enim reuera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur, sed tamen omnes Latinæ linguæ scios, cùm aures eorum sonus iste tetigerit, mouet ad cogitandam excellentissimam quandam immortalémque naturam. Cap. VI. Deus ineffabilis.

Nam cùm ille vnus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur & vocant & colunt deos, siue in cœlo Cap. VII. Deum om-

nes intelligunt id, quo nihil melius. siue in terra, ita cogitatur, vt aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Sanè quoniam diuersis mouentur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent: illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur. Aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima videtur, inani suspicione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, sic* eam cæteris anteponunt. *al.* si* Quòd si vnum Deum deorum esse non putant, & potiùs multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos, etiam eos tamen, provt cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis, visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam & spiritualibus omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant. Nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.

Cap. VIII. *Deo nihil sapientius.*

Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda & indigna de Deo existimare, qui vitam ipsam cogitant, & quæcunque illis forma occurrerit corporis, eam vita viuere vel non viuere statuunt, & viuentem non viuenti anteponunt: eámque ipsam viuentem corporis formam quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt: eámque illi moli quæ ab illa vegetatur & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere: & si eam sine sensu vegetantem inuenerint, qualis est arborum, præponunt ei sentientem, qualis est pecorum: & huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cùm adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere: illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potiùs ipsa sapientia. Sapiens enim mens, id est, adepta sapientiam, antequam adipisceretur non erat sapiens. At verò ipsa sapientia, nec fuit vnquam insipiens,

piens, nec esse vnquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam quoque * regulam veritatis qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident. Nec vspiam nisi supra suam naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles. *al.* * quidē.

NEMO est enim tam imprudenter insulsus, qui dicat, vnde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, vnde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum eius tam claræ ac præsentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt ac refugit, consuetudine vmbrarum carnalium inualidam aciem mentis gerit. Prauorum igitur morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines, posteriora atque inferiora sectantes, quàm illud quod esse melius atque præstantius confitentur. CAP. IX. *Peruersum iudicium.*

QVAPROPTER cùm illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter viuit, & in ea Trinitas Deus auctor & conditor vniuersitatis, rebus quas condidit consulat, purgandus est animus vt perspicere illam lucem valeat & inhærere perfectè. Quam purgationem quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui vbique præsens est, locis mouemur, sed bono studio bonísque moribus. CAP. X. *Purgatus animus Deum videt.*

QVOD non possemus nisi ipsa sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & viuendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, sapienter facimus, ipsa cùm ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cùm ad illam venimus, conualescimus: ipsa cùm ad nos venit, quasi infirma existimata est. *Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Cùm ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam. CAP. XI. *Cur Deus factus homo.* 1. Cor. 1. 25.

ET cùm sano & puro interiori oculo vbique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundúmque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. Quia enim in sa- CAP. XII. *Deus visibilis induta carne.*

1. Cor. 1.21. pientia Dei non poterat mundus per ſapientiam cognoſcere Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Non igitur per locorum ſpatia veniendo, ſed in carne mortali mortalibus apparendo, veniſſe ad nos dicitur,
Ioan. 1. 10 Illuc enim venit vbi erat, quia in hoc mundo erat, & mundus per eum factus eſt. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipſo Creatore creaturâ, homines configurati huic mundo, & mundi nomine congruentiſſimè vocati, non eum cognoue-
Ioan. 1. 10. runt, proprerea dixit Euangeliſta: *Et mundus eum non cognouit.* Itaque in ſapientia Dei non poterat mundus per ſapientiam cognoſcere Deum. Cur ergo venit cùm hîc eſſet, niſi quia placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes?

CAP. XIII. *Verbum quomodò caro factũ.* Ibid. 14.

QVOMODÒ venit, niſi quia *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis?* Sicuti cùm loquimur, vt id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit ſonus, verbum quod corde geſtamus, & locutio vocatur: nec tamen in eundem ſonum cogitatio noſtra conuertitur, ſed apud ſe manens, integra formam vocis qua ſe inſinuet auribus, ſine aliqua labe, ſine mutatione aſſumit: ita verbum Dei non commutatum, caro tamen factum eſt vt habitaret in nobis.

CAP. XIV. *Deus hominem quomodò ſanauit.*

SICVT autem curatio via eſt ad ſanitatem, ſic iſta curatio, peccatores ſanandos reficiendóſque ſuſcepit. Et quemadmodum medici cùm alligant vulnera, non incompoſitè, ſed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam conſequatur: ſic medicina ſapientiæ per hominis ſuſceptionem, noſtris eſt accommodata vulneribus, de quibuſdam contrariis curans, & de quibuſdam ſimilibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, ſicut frigidum calido, vel humidum ſicco, vel quid aliud huiuſmodi. Adhibet etiam quædam ſimilia, ſicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturámque ipſam non eandem membris omnibus, ſed ſimilem ſimilibus coaptat: ſic ſapientia Dei hominem curans, ſeipſam exhibuit ad ſanandum, ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhi-
Gen. 3. 1. buit ad ſanandum. Serpentis ſapientiâ decepti ſumus, Dei ſtultitiâ liberamur. Quemadmodum illa ſapientia vocaba-

tur, erat autem ſtultitia contemnentibus Deum: ſic iſta quæ vocatur ſtultitia, ſapientia eſt vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè vſi ſumus vt moreremur, Chriſtus mortalitate bene vſus eſt vt viueremus. Corrupto animo fœminæ ingreſſus eſt morbus: integro corpore fœminæ proceſſit ſalus. Ad eadem contraria pertinet quod etiam exemplo virtutũ eius vitia noſtra curantur. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta mẽbris & vulneribus noſtris adhibita, illa ſunt; quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit. Multa quoque alia diligentiùs conſiderantibus, quos inſtituti operis peragendi neceſſitas non rapit, vel à contrariis, vel à ſimilibus medicinæ Chriſtianæ apparet inſtructio.

Cap. XV. Fulcitur fides Reſurrectione & Aſcenſione. Ioan. 10. 18.

IAM verò credita Domini à mortuis reſurrectio, & in cœlum aſcenſio, magna ſpe fulcit fidem noſtram. Multum enim oſtendit quàm voluntariè pro nobis animam poſuerit, qui ſic eam habuit in poteſtate reſumere. Quanta erga ſe fiducia ſpes credentium conſolatur, conſiderans quantus quanta pro nondum credentibus paſſus ſit. Cùm enim iudex viuorum atque mortuorum expectatur è cœlo, magnum timorem incutit negligentibus, vt ſe ad diligentiam conuertant, eúmque magis bene agendo deſiderent, quàm malè agendo formident. Quibus autem verbis dici, aut qua cogitatione capi poteſt præmium quod ille in fine daturus eſt: quando ad conſolationem huius itineris tantum dedit de ſpiritu ſuo, quo in aduerſis vitæ huius fiduciam charitatémque tantam eius quem nondum videmus habeamus: & donat vnicuique propria ad inſtructionem Eccleſiæ ſuæ, vt id quod oſtendit eſſe faciendum, non ſolùm ſine murmure, ſed etiam cum delectatione faciamus?

Cap. XVI. Eccleſia Chriſti ſponſa. Epheſ. 1. 23. Rom. 12. 4.

EST enim Eccleſia corpus eius, ſicut Apoſtolica doctrina commendat, quæ etiam coniux eius dicitur. Corpus ergo ſuum multis membris diuerſa officia gerentibus, nodo vnitatis & charitatis tanquam ſanitatis aſtringit. Exercet autem hoc tempore & purgat medicinalibus quibuſdam moleſtiis, vt erutam de hoc ſæculo, in æternum ſibi copulet coniugem Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid huiuſmodi.

Cap. XVII. Via ad Chriſtum.

PORRO quoniam in via ſumus, nec via iſta locorum eſt,

sed affectuum, quam intercludebant quasi septa quædam spinosa præteritorum malitiæ peccatorum, quid liberalius & al. * qua. misericordius facere potuit qui seipsum nobis quo * rediremus substernere voluit, nisi vt omnia donaret peccata conuersis, & grauiter fixa interdicta reditus nostri pro nobis crucifixus euelleret?

CAP. XVIII. *Claues Ecclesiæ.* Mat. 16. 19.

HAS igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo: quæ ligaret in terra, ligata essent & in cœlo: scilicet vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quisquis autem crederet, séque ab his correctus auerteret in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, vbi de fructu suæ conuersionis infidus est.

CAP. XIX. *De renascentia corporis & animi.*

IAM verò sicut animi quædam mors est, vitæ prioris morúmque relictio, quæ fit pœnitendo: sic etiam corporis mors est animationis pristinæ resolutio. Et quomodò animus post pœnitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius: sic etiam corpus post istam mortem quam vinculo peccati omnes debemus, credendum & sperandum 1.Cor. 15. 53. est resurrectionis tempore in melius commutari: vt non caro & sanguis regnum Dei possideant, quod fieri non potest, sed corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, nullámque faciens molestiam, quia nullam patietur indigentiam, à beata perfectáque anima cum summa quiete vegetetur.

CAP. XX. *Qui non renascantur.*

CVIVS autem animus non moritur huic sæculo, neque incipit configurari veritati, in grauiorem mortem morte corporis * trahitur. Neque ad communionem cœlestis beatitudinis * sed ad luenda supplicia reuiuiscet. al. * carnis. al. * habitudinis.

CAP. XXI. *Inæqualis resurrectio bonorum & malorum.*

HOC itaque fides habet, atque ita rem se habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati: sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles, pios autem ad vitam æternam.

CAP. XXII. *Solo Deo fruendum.*

IN his igitur omnibus rebus illæ tantùm sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemorauimus. Cæteris autem vtendum est, vt ad illarum perfruitionem peruenire possimus. Nos itaque qui fruimur & vtimur

aliis rebus, res aliquæ sumus. Magna enim quædam res est homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, non in quantum mortali corpore includitur, sed in quantum bestias rationalis animæ honore præcellit. Itaque magna quæstio est, vtrum frui se debeant homines, an vti, an vtrunque. Præceptum est enim nobis vt diligamus inuicem. Sed quæritur vtrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. Si enim propter se, fruimur eo: si propter aliud, vtimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata. Cuius etiamsi nondum res, tamen spes eius nos hoc tempore consolatur. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquidò aduertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo, cùm tota sua vita peragitur in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conuersus, non ad incommutabile aliquid conuertitur. Et propterea iam cum defectu aliquo se fruitur, quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm inde vel ad seipsum relaxatur.

Gen. 1. 26. Ier. 17. 5.

Si ergo teipsum, non propter teipsum debes diligere, sed propter illud vbi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis diuinitus constituta est: *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut te ipsum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente*; vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait: *Toto corde, tota anima, tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare vt alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum duci extrà patitur, cuius deriuatione minuatur.

Leuit. 19. 18. Matth. 22.

Cap. xxvi. Quid sit diligendum.

Non autem omnia quibus vtendum est diligenda sunt, sed ea sola quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo vel Angelus, aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus. Nam vtique martyres non dilexerunt scelus persequentium se, quo tamen vsi sunt ad promerendum Deum. Cùm ergo quatuor sint diligenda: vnum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod iuxta nos est, quartum quod infra nos est: de secundo & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, manet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, vt ipse sibi regnet & corpori suo. Et ideò non potest nisi & se & corpus suum diligere. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam sociis, id est, aliis hominibus, dominari potuerit. Inest enim vitioso animo id magis appetere, & sibi tanquam debitum vendicare, quod vni propriè debetur Deo. Talis autem sui dilectio meliùs odium vocatur. Iniquum est enim quia vult sibi seruire, & quod infra se est, cùm ipse seruire superiori nolit. Rectissiméque dictum est: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et ideò fit infirmus animus, & de mortali corpore cruciatur. Necesse est enim vt illud diligat, & eius corruptione prægrauetur. Immortalitas enim & incorruptio corporis de sanitate animi existit: sanitas autem animi est firmissimè inhærere potiori, hoc est incommutabili Deo: cùm verò etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

Psal. 10. 6.

Cap. xxiv. Carnem odisse quomodò conueniat.

Nemo ergo se odit. Et hinc quidem cum aliqua secta nonnulla quæstio fuit. Sed neque corpus suum quisquam odit. Verum est enim quod ait Apostolus: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Et quod nonnulli dicunt malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur. Non enim corpus suum, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum & celerrimum corpus volunt habere. Sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid animam esse putant. Quòd autem continentia quadam & laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt vt non habeant corpus,

Eph. 6. 29.

ſed vt habeant ſubiugatum & paratum ad opera neceſſaria. Libidines enim malè vtentes corpore, id eſt, conſuetudines & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus, per ipſius corporis laborioſam quandam militiam extinguere affectant. Nam non ſe interimunt, ſed curam ſuæ valetudinis gerunt. Qui autem peruersè id agunt, quaſi naturaliter inimico ſuo corpori bellum ingerunt. In quo fallit eos quod legunt, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur.* Dictum eſt enim hoc propter indomitam carnalem conſuetudinem, aduerſus quam ſpiritus concupiſcit, non vt interimat corpus, ſed vt concupiſcentiam eius, id eſt, conſuetudinem malè domitam faciat ſpiritui ſubiugatam, quod naturalis ordo deſiderat. Gal. 5. 17.

Quia enim hoc erit poſt reſurrectionem, vt corpus omnimodo cum quiete ſumma ſpiritui ſubditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum eſt, vt conſuetudo carnis mutetur in melius, nec inordinatis motibus reſiſtat ſpiritui. Quod donec fiat, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: non per odium reſiſtente ſpiritu, ſed per principatum, quia magis quod diligit vult ſubditum eſſe meliori: nec per odium reſiſtente carne, ſed per conſuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inueteratum naturæ lege inoleuit. Id ergo agit ſpiritus in domanda carne, vt ſoluat malæ conſuetudinis quaſi pacta peruerſa, & fiat pax conſuetudinis bonæ. Tamen nec iſti qui falſa opinione deprauati corpora ſua deteſtantur, parati eſſent vnum oculum vel ſine ſenſu doloris amittere, etiam ſi in altero tantus cernendi ſenſus remaneret, quantus erat in duobus, niſi aliqua res quæ præponenda eſſet vrgeret. Iſtis atque huiuſmodi documentis ſatis oſtenditur eis qui ſine pertinacia verum requirunt, quàm certa ſit ſententia Apoſtoli, vbi ait: *Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit.* Addidit etiam: Eph. 5. 29. *Sed nutrit & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.*

MODVS ergo diligendi præcipiendus eſt homini, id eſt, CAP. XXV. quomodò ſe diligat, vt proſit ſibi. Quin autem ſe diligat & *Amor ſui vbi laudandus.* prodeſſe ſibi velit, dubitare dementis eſt. Præcipiendum etiam quomodò corpus ſuum diligat, vt ei ordinatè prudentérque conſulat. Nam quod diligat etiam corpus ſuum, idque ſaluum habere atque integrum velit, æquè manifeſtum

est. Aliquid itaque ampliùs diligere aliquis potest, quàm salutem atque integritatem corporis sui. Nam multi & dolores & amissiones nonnullorum membrorum voluntarias suscepisse inueniuntur: sed vt alia quæ ampliùs diligebant saltem consequerentur. Non ergo propterea quisquam dicendus est, non diligere salutem atque incolumitatem corporis sui, quia ampliùs aliquid diligit. Nam & auarus quamuis pecuniam diligat, tamen emit sibi panem. Quod cùm facit, dat pecuniam quam multùm amat & augere desiderat: Sed quia pluris æstimat salutem corporis sui, quæ illo pane fulcitur, superuacaneum est diutiùs de re manifestissima disputare, quod tamen plerumque nos facere cogit error impiorum.

Cap. xxvi. *De diligendo Deo, proximo, & seipso.* Ergo quoniam præcepto non est opus, vt se quisque & corpus suum diligat, id est, quoniam id quod sumus, & id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est; nam & bestiæ se atque corpora sua diligunt: restabat vt & de illo quod supra nos est, & de illo quod iuxta nos est, præcepta
Matth. 22. 37. sumeremus. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam teipsum: in his duobus præceptis vniuersa*
1.Tim.1.5. *lex pendet & Prophetæ*. Finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemina, id est, Dei & proximi. Quòd si te totum intelligis, id est, animam & corpus tuum, & proximum totum, id est, animam & corpus eius: homo enim ex anima constat & corpore, nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cùm enim præcurrat dilectio Dei, eiúsque dilectionis modus præscriptus appareat, ita vt cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur. Sed cùm dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum:* simul & tui abs te dilectio non prætermissa est.

Cap. xxvii. *Ordo dilectionis.* Ille autem iustè & sanctè viuit, qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut ampliùs diligat quod minus est diligendum, aut æquè diligat quod vel minus vel ampliùs diligendum est, aut minùs vel ampliùs quod æquè diligendum est. Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus.

Et

Et omnis homo in quantum homo eſt, diligendus eſt propter Deum, Deus verò propter ſeipſum. Et ſi Deus omni homine ampliùs diligendus eſt, ampliùs quiſque debet eum diligere quàm ſeipſum. Item ampliùs alius homo diligendus eſt quàm corpus noſtrum: quia propter Deum omnia iſta diligenda ſunt, & poteſt nobiſcum alius homo Deo perfrui, quod non poteſt corpus, quia corpus per animam viuit qua fruimur Deo.

Cap. xxviii. Quibus potiſſimùm ſit ſuccurrendum.

OMNES autem homines æquè diligendi ſunt. Sed cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi quaſi quadã ſorte iunguntur. Sicut enim ſi tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari potuiſſet, ſi tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te aliqua neceſſitudine ſuperaret, nihil iuſtius faceres quàm vt ſorte eligeres, cui dandum eſſet quod dari vtrique non poſſet: ſic in hominibus, quibus omnibus conſulere nequeas, pro ſorte habendum eſt prout quiſque tibi colligatiùs temporaliter adhærere potuerit.

Cap. xxix. Optandum vt omnes diligant Deũ.

OMNIUM autem qui nobiſcum frui poſſunt Deo, partim eos diligamus quos ipſi adiuuamus, partim eos à quibus adiuuamur, partim eos quorum & indigemus adiutorio, & indigentiæ ſubuenimus: partim quibus nec ipſi conferimus aliquid commodi, nec ab eis vt nobis conferatur attendimus. Velle tamen debemus, vt omnes diligant nobiſcum Deum, & totum quod vel eos adiuuamus vel adiuuamur ab eis, ad vnum illum finem referendum eſt. Si enim in theatris nequitiæ qui aliquem diligit hiſtrionem, & tanquam magno vel etiam ſummo bono eius arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt ſecum, non propter illos, ſed propter eum quem pariter diligunt: & quantò eſt in eius amore feruentior, tantò agit quibus poteſt modis, vt à pluribus diligatur, & tantò pluribus cupit eum oſtendere, & quem frigidiorem videt excitat eum quantum poteſt laudibus illius: ſi autem contrauenientem inuenerit, odit in illo vehementer odium dilecti ſui, & quibus modis valet inſtat vt auferat: quid nos in ſocietate dilectionis Dei agere conuenit, quo perfrui beatè viuere eſt, & à quo habent omnes qui eum diligunt, & quod ſunt, &

quod eum diligunt: de quo nihil metuimus, ne cuiquam possit cognitus displicere, & qui se vult diligi, non vt sibi aliquid, sed vt eis qui diligunt æternum præmium conferatur,
Matt.5.44. hoc est ipse quem diligunt? Hinc etiam efficitur, vt inimicos etiam nostros diligamus: non enim eos timemus, quia nobis quod diligimus auferre non possunt, sed miseramur * potiùs, quia tantò magis nos oderunt, quantò ab illo quem diligimus separati sunt *. Ad quem si conuersi fuerint, & illum tanquam beatificum bonum, & nos tanquam socios tanti boni necesse est vt diligant.

al * miserentur. al. * separantur.

Cap. xxx. Omnis homo vt proximus diligendus.

Oritvr autem hoc loco de Angelis nonnulla quæstio. Illo enim fruentes, etiam ipsi beati sunt, quo & nos frui desideramus. Et quantò in hac vita fruimur, vel per speculum, vel per ænigmata, tantò nostram * peregrinationem, & tolerabiliùs sustinemus, & ardentiùs finire cupimus. Sed vtrum ad illa duo præcepta etiam dilectio pertineat Angelorum, non irrationabiliter quæri potest. Nam quòd nullum hominum exceperit qui præcepit vt proximum diligamus, & ipse
Mat.22.37. in Euangelio Dominus ostendit, & Paulus Apostolus. Nam-
Rom.13.8. que illi cui duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem Prophetásque dixerat, cùm interrogaret eum, di-
Luc.10.30. cens: *Et quis est meus proximus?* hominem quendam proposuit descendentem ab Hierusalem in Hiericho incidisse in latrones, & ab eis grauiter vulneratum, saucium & semiuiuum esse derelictum. Cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors extitit, ita vt hoc qui interrogauerat, interrogatus ipse fateretur. Cui Dominus ait, *Vade & tu fac similiter:* vt videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, vel exhibendum esset si indigeret. Ex quo est iam consequens, vt etiam ille à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando vsque ad inimicos etiam
Matt.5.44. porrectum est eodē Domino dicente: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos.* Ita quoque Apostolus Paulus do-
Rom.13.9. cet, cùm dicit: *Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in*

al. * eam.

hec sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malũ non operatur. Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogetur fateri quod absurdissimum & sceleratissimum est, visum fuisse Apostolo non esse peccatum, si quis aut non Christiani aut inimici adulterauerit vxorem, aut eum occiderit, aut eius rem cupierit. Quòd si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum.

Iam verò si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur: manifestum est hoc præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tantæ misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum scripturarum locis animaduertere facile est. Ex quo & ipse Deus & Dominus noster proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus opitulatum esse semiuiuo iacenti in via afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait, *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum ita complacebam.* Sed quoniam excellentior ac supra naturam nostram est diuina substantia, præceptum quo diligamus Deum à proximi dilectione distinctum est. Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis inuicem propter illius: id est, ille nostri miseretur vt se perfruamur, nos verò inuicem nostri miseremur, vt illo perfruamur.

Angeli quoque proximi nobis.

Lucæ 10. 33.

Psal. 34. 14.

QVAPROPTER adhuc ambiguum esse videtur, cùm dicimus ea re nos perfrui quam diligimus propter seipsam, & ea re nobis fruendum esse tantùm qua efficimur beati, cæteris verò vtendum. Diligit enim nos Deus, & multùm nobis dilectionem eius erga nos diuina scriptura commendat: quomodò ergo diligit, vt nobis vtatur, an vt fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum, vel ipse, vel ab ipso est. Cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore quas ipsa illustrauerit? Dicit etiam apertissimè Propheta, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Non ergo fruitur nobis, sed vtitur. Nam si neque fruitur neque vtitur, non inuenio quemadmodum diligat.

Cap. xxxi. *Deus non fruitur nobis, sed vtitur.*

Psal. 15. 2.

Cap. xxxII. *Deus homine quomodò vtatur.*

SED neque sic vtitur vt nos: nam nos res quibus vtimur ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur. Deus verò ad suam bonitatem vsum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus: & in quantum sumus, boni sumus. Porro autem quia iustus est, non impunè sumus mali. In quantùm enim mali sumus, in tantùm minùs etiam sumus. Ille enim summè ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, & qui plenissimè dicere potuit, *Ego sum qui sum: & dices eis, Qui est, misit me ad vos.* At cætera quæ sunt, & nisi ab illo esse non possunt, & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt vt sint. Ille igitur vsus qui dicitur Dei quo nobis vtitur, non ad eius sed ad nostram vtilitatem refertur, ad eius autem tantummodò bonitatem. Cuius autem nos miseremur & cui consulimus, ad eius quidem vtilitatem id facimus, eámque intuemur: sed nescio quomodò etiam nostra sit consequens, cùm eam misericordiam quam impendimus egenti sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est vt eo perfruamur, & omnes qui eo fruimur, nobis etiam inuicem in ipso perfruamur.

Exod. 3.14.

Cap. xxxIII. *Quomodò homine frui conueniat.*

NAM si in nobis id facimus, remanemus in via, & spem beatitudinis nostræ in homine vel in Angelo collocamus. Quod & homo superbus & Angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo & sanctus Angelus etiã fessos nos atq; in se acquiescere & remanere cupientes reficiunt potiùs, aut eo sumptu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se acceperunt; acceperunt tamen, atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruentes pariter beati simus. Nam & Apostolus clamat: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Et, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et Angelus hominem se adorantem monet, vt potiùs illum adoret sub quo ei Domino etiam ipse conseruus est. Cùm autem homine in Deo frueris, Deo potiùs quàm homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, & ad eum te peruenisse lætaberis, in quo spem ponis vt venias. Inde ad Philemonem Paulus: *Ita frater*, inquit, *ego te fruar in Domino.* Quod si non addidisset *in Domino*, & *te fruar* tantùm dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ, quanquam & vicinissimè dicitur frui cum delectatione vti. Cùm enim

1. Cor. 1. 13.

1. Cor. 3. 7.

Philem. 20.

adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat. Per quam si transieris, eámque ad illud vbi permanendum est retuleris, vteris ea, & abusiuè non propriè diceris frui. Si verò inhæseris atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè & propriè frui dicendus es. Quod non faciendum est, nisi in illa Trinitate, id est, summo & incommutabili bono.

VIDE quemadmodum cùm ipsa Veritas & Verbum, per quod facta sunt omnia, caro factum esset vt habitaret in nobis, tamen ait Apostolus; *Et si noueramus Christum secundùm carnem, sed iam non nouimus.* Ille quippe qui non solùm peruenientibus possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad se, principium viarum voluit carnem assumere. Vnde est etiam illud: *Dominus creauit me in principio viarum suarum*; vt inde inciperent qui vellent venire. Apostolus igitur quamuis adhuc ambularet in via, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Dominum, tamen quæ retrò sunt obliuiscens, & in ea quæ antè sunt extentus, iam principium viarum transierat, hoc est eo non indigebat: à quo tamen aggrediendum & exordiendum iter est omnibus, qui ad veritatem peruenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait: *Ego sum via & veritas & vita*: hoc est per me venitur, ad me peruenitur, in me permanetur. Cùm enim ad ipsum peruenitur, etiam ad ipsum Patrem peruenitur: quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur, vinciente & tanquam adglutinante nos Spiritu sancto, quò in summo atque incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus, quamuis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter: vt ad eum ipsum qui nostram naturam à temporalibus liberauit & collocauit ad dexteram Patris, prouehi atque peruenire mereamur.

Cap. xxxiv. *Prima via ad Deum.* 2. Cor. 5. 16. Prou. 8. 22. Philip. 3. 13. Ioh. 14. 6.

OMNIVM igitur quæ prædicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, vt intelligatur legis & omnium diuinarum scripturarum plenitudo & finis esse dilectio rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest, quia vt se quisque diligat præcepto non est opus. Hoc ergo vt nosceremus

Cap. xxxv. *Scriptura summa amor Dei.* Rom. 13. 10.

atque possemus, facta est tota pro salute nostra per diuinam prouidentirm dispensatio temporalis, qua debemus vti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed rransitoria potiùs tanquam viæ, tanquam vehiculorum vel aliorum quorumlibet instrumenrorum, aut si quid congruentius dici potest, vt ea quibus ferimur propter illud ad quod ferimur diligamus.

Cap XXXVI. *Scopus totus Scripturæ.*

QVISQVIS igitur Scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, vt huic ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi, & ideò multos inuenimus qui mentiri velint, qui autem falli, neminem. Cùm igitur hoc sciens homo faciat, illud nesciens patiatur, satis in vna eadémque re apparet illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem: quandoquidem pati melius est iniquitatem quàm facere. Omnis autem qui menritur iniquitatem facit, & si cuiquam videtur vtile aliquando esse mendacium, potest videri vtilem aliquando esse iniquitatem. Nemo enim mentiẽs in eo quod mentitur seruat fidem. Nam hoc vtique vult, vt cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non seruat. Omnis autem fidei violator, iniquus est. Aut igitur iniquitas vtilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est. Sed quisquis in Scripturis aliud sentit quàm ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur. Sed tamen vt dicere cœperam, si ea sentenria fallitur, qua ædificat charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, & quàm sit vtilius viam non deserere, demonstrandum est, ne consuetudine deuiandi etiam in transuersum aut peruersum ire cogarur.

Caput XXXVII. *Scriptura qualem lectorem postulet.*

ASSERENDO enim temerè quod ille non sensit quem legit, plerunque incurrit in alia quæ illi sententiæ contexere nequeat. Quæ si vera & certa esse consentit, illud non possit verum esse quod senserat: fitque in eo nescio quomodò vt amã-

do sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse quàm sibi

Quod malum si serpere siuerit, euertetur ex eo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem. Titubabit autem fides si diuinarum scripturarum vacillat autoritas. Porro fide titubante, charitas etiam ipsa languescit. Nam si à fide quisque ceciderit, à charitate etiam necesse est cadat: non enim potest diligere quod esse non credit. Porro si & credit & diligit, bene agendo & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit vt etiam speret se ad id quod diligit esse venturum. Itaque tria hæc sunt, quibus & scientia omnis & prophetia militat, fides, spes, charitas.

2. Cor. 5. 7.

1. Cor. 13.

SED fidei succedit spes quam videbimus: & spei succedit beatitudo ipsa, ad quam peruenturi sumus: charitas autem etiam illis decedentibus augebitur potiùs. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quantò magis cùm videre cœperimus? Et si sperando diligimus, quò nondum peruenimus, quantò magis cùm peruenerimus? Inter temporalia quippe atque æterna hoc interest, quòd temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cùm aduenerit. Non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum quàm desideratum. Nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quàm in se habet, vt ei vilescat cùm minus inuenerit: sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perueniens inuenturus est.

Caput XXXVIII. *Charitas perpetuò manet.*

HOMO itaque fide, spe & charitate subnixus, eáque inconcussè retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror iam completum esse quod dictum est, *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Quibus tamen quasi machinis tanta fidei & spei & charitatis inest instructio, vt perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant. Perfectum sanè quantùm in hac via potest: nam in comparatione futuræ vitæ nullius iusti & sancti est vita ista perfecta, Ideo *manent*, inquit, *fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas*: quia & cùm quisque ad æterna peruenerit, duobus illis decedentibus charitas auctior & certior permanebit.

Cap. XXXIX. *Fides Spes. Charitas illuminant.*

1. Cor. 13. 8.

Cap. XL. *Qualem lectorem Scriptura postulet.* 1. Tim. 1. 5.

QVAPROPTER cùm quisque cognouerit *finem præcepti esse charitatem, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta*, omnem intellectum diuinarum scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat. Cùm enim diceret, *charitas*: addidit, *de corde puro*: vt nihil aliud quàm id quod diligendum est diligatur. *Conscientia* verò *bona* subiunxit propter spem: Ille enim se ad id quod credit & diligit peruenturum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Tertiò, *& fide*, inquit, *non ficta*: Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus quod non est diligendum, & rectè viuendo id speramus, vt nullo modo spes nostra fallatur. Propterea & de rebus continentibus fidem, quantùm pro tempore satis esse arbitratus sum, dicere volui, quia in aliis voluminibus, siue per alios siue per nos multa iam dicta sunt. Modus itaque sit iste libri huius. Cætera de signis quantùm dederit Dominus differemus.



S. AVRE-

LIBER SECVNDVS.



VONIAM de rebus cùm scriberem, præmisi commonens, ne quis in eis attenderet nisi quod sunt, non etiam siquid aliud præter se significant, vicissim de signis disserens hoc dico, ne quis in eis attendat quod sunt, sed potiùs quod signa sunt, id est quod significant. Signum est enim res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso transisse animal, cuius vestigium est, cogitamus: & fumo viso ignem subesse cognoscimus: & voce animantis audita, affectionem animi eius animaduertimus: & tuba sonante, milites vel progredi vel regredi, & si quid aliud pugna postulat oportere nouerunt. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quæ sine voluntate atque vllo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animaduersione & notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed & vestigium transeuntis animalis, ad hoc genus pertinet. Et vultus irati seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla eius voluntate qui aut iratus aut tristis est: aut si quis alius motus animi vultu indice proditur, etiam id nobis non agentibus vt prodatur. Sed de hoc toto genere nunc disserere non est propositum. Quoniam tamen incidit in partitionem nostram, præteriri omnino non potuit, atque id hactenus notatum esse suffecerit.

CAPVT I. *De Signis.*

DATA verò signa sunt, quæ sibi quæque viuentia inuicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui vel sensa aut intellecta quælibet. Nec vlla causa est nobis significandi, id est signi dandi, nisi ad depromendum & traiiciendum in alterius animum id quod in animo gerit is qui signum dat. Horum igitur signorum genus quantum ad homines attinet considerare atque tractare statuimus: quia & signa diuinitus data quæ in scripturis sanctis continentur, per ho-

CAP. II. *Quo signorum generis vsurus hic.*

mines nobis indicata sunt, qui ea conscripserunt. Habent etiam bestiæ quædam inter se signa quibus produnt appetitum animi sui. Nam & gallus gallinaceus reperto cibo, dat signum vocis gallinæ vt accurrat: & columbus gemitu columbam vocat, & ab ea vicissim vocatur: & multa huiusmodi animaduerti solent. Quæ vtrum sicut vultus aut dolentis clamor sine significandi voluntate sequantur motum animi, an verè ad significandum dentur, alia quæstio est, & ad rem quæ nunc agitur non pertinet. Quam partem ab hoc opere tanquam non necessariam remouemus.

Cap. III. Inter signa principatum obtinent verba.

SIGNORVM igitur quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteros sensus. Nam cùm innuimus, non damus signum nisi oculis eius quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere. Et quidam motus manuum pleraque significant. Et histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, & cum oculis eorum quasi fabulantur. Et vexilla draconésque militares per oculos insinuant voluntatem ducum. Et sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia. Ad aures autem quæ
1.Cor.14.7. pertinent, vt dixi, plura sunt, in verbis maximè. Nam & tuba & tibia & cithara dant plerumque, non solùm suauem, sed etiam significantem sonum. Sed omnia signa verbis cōparata paucissima sunt: Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcunque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit. Nā & odore vnguenti Domi-
Ioh.12.3. nus quo perfusi sunt pedes eius, signum aliquod dedit: Et sa-
Matt.26.28. cramēto corporis & sāguinis sui prægustato, significauit quod voluit: Et cùm mulier tangendo fimbriam vestimenti eius,
Matt. 9.22. salua facta est, nonnihil significat. Sed innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exerunt, in verbis constituta est. Nam illa signa omnia quorum genera breuiter attigi, potui verbis enunciare, verba verò illis signis nullo modo possum.

Cap. IV. Signa verborum literæ.

SED quia verberato aëre statim transeunt, nec diutiùs manent quàm sonant, instituta sunt per literas signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista igitur signa non potuerunt communia esse omnibus gentibus peccato quodam dissensionis humanę, cùm

ad se quisque principatum rapit. Cuius superbiæ signum est erecta illa turris in cælum, vbi homines impii non solùm animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt. Gen 11. 7.

Ex quo factum est, vt etiam Scriptura diuina qua tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua profecta quæ * oportunè potuit perorbem terrarum dissemi-nari, per varias interpretum linguas longè latéque diffusa innotescere gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt quàm cogitationes voluntatémque illorum à quibus conscripta est inuenire, & per illas voluntatem Dei secundùm quam tales homines locutos esse credimus. Cap. v. Diuersitas linguarum. al. * qua.

SED multis & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inueniunt: ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerunque vilescunt. Quid enim est, quæso, quòd si quisquam dicat sanctos esse homines atque perfectos, quorum vita & moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcidit eos qui ad se veniunt, & imitatione bonorum sibimet quodammodò incorporat: qui boni fideles & veri Dei serui deponentes onera sæculi ad sanctum baptismi lauacrum venerunt, atque inde abscedentes conceptione sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, id est Dei & proximi: quid est ergo quòd si hæc quisquam dicat, minùs delectat audientem, quàm si ad eundem sensum locum illum exponat de Canticis canticorum, vbi dictum est Ecclesiæ, cùm tanquam pulchra quædam fœmina laudaretur: *Dentes tui sicut grex detonsarum ascendentes de lauacro, quæ omnes geminos creant, & non est sterilis in eis?* Num aliud homo discit, quàm cùm illud planissimis verbis, sine similitudinis huiusmodi adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodò suauiùs intueor Sanctos, cùm eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus emollitâ duritiâ quasi demorsos mansósque transferre. Oues etiam iocundissimè agnosco detonsas, oneribus secularibus tanquam velleribus depositis, & ascendentes de lauacro, id est de baptismate, creare omnes geminos, id est duo Cap. vi. Obscuritas scripturæ non inutilis. Cant. 4. 2.

præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilē video. Sed quare suauiùs videam, quàm si nulla de diuinis libris talis similitudo promeretur, cùm res eadem sit eadēque cognitio, difficile est dicere, & alia quæstio est. Nunc tamen nemo ambigit, & per similitudines libētiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multo gratiùs inueniri. Qui enim prorsus non inueniunt quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. In vtroque autem languor cauendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.

Cap. VII. *Septem gradibus ad sapientiam itur.*

1. Gradus. ANTE omnia igitur opus est Dei timore conuerti ad cognoscendam eius voluntatem, si quid nobis appetendum fugiendúmque præcipiat. Timor autem iste cogitationem de nostra mortalitate, & de futura morte necesse est incutiat, & quasi clauatis carnibus omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Secundus. Deinde opus est mitescere pietate, neque contradicere diuinæ Scripturæ, siue intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit, siue non intellectæ, quasi nos meliùs sapere, meliúsque præcipere possimus: sed cogitare potiùs & credere id esse melius & verius quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quàm id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

Tertius. Post istos duos gradus timoris atque pietatis, ad tertium venitur scientiæ gradum, de quo nunc agere statui. Nam in eo se exercet omnis diuinarum scripturarum studiosus, nihil aliud in eis inueniens quàm diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere; proximum verò tanquam seipsum, id est vt tota dilectio proximi, sicut etiam nostri referatur in Deum. (Matt. 22. 37.) De quibus duobus præceptis cùm de rebus ageremus, in libro superiore tractauimus. Necesse est ergo vt primò se quisque in Scripturis inueniat amore huius sæculi, hoc est temporalium rerum implicatum, longè seiunctum esse à tanto amore Dei, & tanto amore proximi, quantū scriptura ipsa præscribit. Tum verò ille timor quo cogitat de iudicio Dei, & illa pietas qua non potest nisi credere

& cedere auctoritati sanctorum librorum, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominem se non iactantem, sed lamentantem facit.

Quo affectu impetrat sedulis precibus consolationem diuini adiutorij, ne desperatione frangatur, & esse incipit in quarto gradu, hoc est fortitudinis, quo esuritur & sititur iustitia. Hoc enim affectu ab omni mortifera iocunditate rerum transeuntium sese extrahit, & inde se auertens conuertit ad dilectionem æternorum, incommutabilem scilicet vnitatem eandémque trinitatem. Quam vbi aspexerit quantum potest, in longinqua radiantem, suíque aspectus infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit, in quinto gradu, hoc est in consilio misericordiæ purgat animam tumultuantem quodammodò atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Quartus. Quintus.

Hinc verò se in dilectione proximi gnauiter exercet, in eaque perficitur, & spe iam plenus atque integer viribus cùm peruenerit vsque ad inimici dilectionem ascendit in sextum gradum, vbi iam ipsum oculum purgat quo videri Deus potest, quantum potest ab his qui huic sæculo moriuntur quantum possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic seculo. In quantum autem huic viuunt, non vident. Et ideò quamuis iam certior & non solùm tolerabilior, sed etiam iucundior species lucis illius incipiat apparere, in ænigmate tamen adhuc & per speculum videri dicitur, quia magis per fidem quàm per speciem ambulatur, cùm in hac vita peregrinamur, quamuis conuersationem habeamus in cœlis In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, vt veritati ne ipsum quidem præferat aut conferat proximum, ergo nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde atque mundato, vt neque hominibus placendi studio detorqueatur à vero, nec respectu deuitandorum quorumlibet incommodorum suorum quæ aduersantur huic vitæ. Talis filius ascendit ad sapientiam quæ vltima & septima est, qua pacatus tranquillúsque perfruitur. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini*. Ab illo enim vsque ad ipsam per hos gradus tenditur & peruenitur. Sextus. 1. Cor. 13. 12. 2. Cor. 5. 7. Philip. 3. 20 Septimus. Psal. 110. 10. Eccli. 1. 16.

Sed nos ad tertium gradum illum considerationem referamus, de quo disserere quod Dominus suggesserit atque tra- Cap. VIII. Libri Canonici.

ctare instituimus. Erit igitur diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notásque habuerit, & si nondum intellectu, iam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. Nam cæteras sæcuriùs leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes præiudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quàm plurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt quæ Apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modū in Scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauiorésque accipiunt, eis quas pauciores minorísque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc facile inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

Totus autem canon scripturarum in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: quinque Moyseos, id est Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere: deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis simúlque pergentibus. Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum.

Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob & Tobias & Hester & Iudith & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi sunt. Reliqui

2. retract. cap. 4.

ſunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati ſunt, duodecim Prophetarum libri ſinguli: qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſeiuncti ſunt, pro vno habentur: quorum Prophetarum nomina ſunt hæc, Oſee, Iocl, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ ſunt maiorum voluminum, Eſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Veteris Teſtamenti terminatur auctoritas. Noui autem quatuor libris Euangelij, ſecundùm Matthæum, ſecundùm Marcum, ſecundùm Lucam, ſecundùm Ioannem: quatuordecim epiſtolis Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Epheſios; ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duabus, ad Coloſſenſes, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri duabus; tribus Ioannis; vna Iudæ, & vna Iacobi; Actibus Apoſtolorum libro vno, & Apocalypſis Ioannis libro vno.

Cap. IX. Quid primò, quid deinde quærendum in litteris ſacris.

In his omnibus libris timentes Deum & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei. Cuius operis & laboris prima obſeruatio eſt, vt diximus, noſſe iſtos libros, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis apertè poſita ſunt vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, ſolertiùs diligentiúſque inueſtiganda ſunt. Quæ quantò quiſque plura inuenit, tantò eſt intelligentia capacior. In iis enim quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moréſque viuendi, ſpem ſcilicet atque charitatem, de quibus libro ſuperiore tractauimus. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarum, in ea quæ obſcura ſunt aperienda, & diſcutienda pergendum eſt, vt ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum: quæ ſi defuerit, non poteſt his præceptis dari.

Cap. X. Verba nunc propriè, nunc metaphoricè accipiuntur.

Dvabvs autem cauſis non intelliguntur quæ ſcripta ſunt, ſi aut ignotis, aut ambiguis ſignis obteguntur. Sunt autem ſigna vel propria vel tranſlata. Propria dicuntur, cùm his rebus ſignificandis adhibentur, propter quas ſunt inſtituta, ſicut

cùm dicimus bouem, intelligimus pecus, quod omnes nobiscum Latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Translata sunt, cùm & ipsæ res quas propriis verbis significamus ad aliud aliquid significandum vsurpantur, sicut cùm dicimus bouem, & per has duas syllabas intelligimus pecus, quod isto nomine appellari solet: sed per illud pecus rursus intelligimus Euangelistam quem significauit Scriptura, interpretante Apostolo, dicens: *Bouem triturantem non infrenabis.* (1 Cor. 9.10.)

CAP. XI. *Græcam linguam & Hebræam necessariam esse ad cognitionem literarum sacrarum.*

CONTRA ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines quos nunc instituendos suscepimus, & duabus aliis ad scripturarum diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas, quanquam & Hebræa verba non interpretata sæpe inueniamus in libris, sicut *amen*, *hallelu-ia*, & *racha*, & *osanna*, & si qua sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas, sicut est *amen* & *hallelu-ia*, partim verò in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in vsum alterius linguæ per interpretationem transire non possunt. Et hoc maximè interiectionibus accidit, quæ verba potiùs motum animi significant, quàm sententiæ conceptæ vllam particulam: nam & hæc duo talia esse perhibentur. Dicunt enim *racha* indignantis esse vocem, *osanna* lætantis. Sed non propter hæc pauca quæ notare atque interrogare facillimum est, sed propter diuersitates, vt dictum est, interpretum illarum linguarum est cognitio necessaria. Qui enim Scripturas ex Hæbrea lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.

CAP. XII. *Diuersitas interpretationum quid faciat.*

QVÆ quidem res plus adiuuit intelligentiam quàm impediuit, si modò legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestauit inspectio. Sicut illud Esaiæ Prophetæ vnus interpres ait: *Et carnem tuam ne despexeris:* alius, *Et domesticos seminis tui ne despexeris:* (Isaiæ. 58.7.)

despexeris: vterque sibimet inuicem attestantur. Namque alter ex altero exponitur: quia & *caro* posset accipi propriè, vt corpus suum quisque ne despiceret, se putaret admonitum: & *domestici seminis* translatè, Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine, nobiscum spiritaliter nati. Nunc autem collato Interpretum sensu probabilior occurrit sententia propriè de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam domesticos seminis cùm ad carnem retuleris, consanguinei potissimùm occurrunt. Vnde esse arbitror illud Apostoli quod ait: *Si quo modo ad æmulationem adducere potuero carnem meam, vt saluos faciam aliquos ex illis*; id est, vt æmulando eos qui crediderant & ipsi crederent. Carnem enim suam dixit Iudæos, propter consanguinitatem. Item aliud eiusdem Esaiæ Prophetæ: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Alius interpretatus est, *Nisi credideritis, non permanebitis.* Quis horum vera secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex vtroque magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est enim ita diuersos à se Interpretes fieri, vt non se aliqua vicinitate contingant. Ergo quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides verò in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit paruulos. Nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem. Nisi autem per fidem ambulauerimus, ad speciem peruenire non poterimus, quæ non transit, sed permanet per intellectum purgatum nobis cohærentibus veritati. Propterea ille ait; *Nisi credideritis non permanebitis.* Ille verò, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et ex ambiguo linguæ præcedentis plerunque Interpres fallitur, cui non bene nota sententia est, & eam significationem transfert, quæ à sensu scriptoris penitùs aliena est. Sic quidam codices habent: *Acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem*: ὀξὺς enim apud Græcos & acutum & velocem significat. Ille ergo vidit sententiam qui transtulit, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus errauit. Et talia quidem non obscura sed falsa sunt, quorum alia conditio est. Non enim intelligendos sed emendandos tales codices potiùs præcipiendum est. Hinc est enim etiam illud: quoniam μόσχος moschos Græcè vitulus dicitur, Μοσχεύματα moscheumata quidam intellexerunt esse plantationes, & vitulamina inter-

Rom. 11. 14.
Isa. 7. 9.
Psal. 13. 3.

pretati sunt. Qui error tam multos codices præoccupauit, vt vix inueniatur aliter scriptum, & tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis: *Namque adulterinæ plantationes non dabunt radices altas:* conuenientiùs dicitur quam vitulamina, quæ pedibus per terram gradiuntur, & non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cætera contexta custodiunt.

Sap. 4. 3.

Cap. XIII. *Solœcismus & barbarismus.*

SED quoniam & quæ sit ipsa sententia, quam plures Interpretes pro sua quisque facultate atque iudicio conantur eloqui, non apparet nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur, & plerunque à sensu auctoris deuius aberrat Interpres si non sit doctissimus: igitur aut illarum linguarum ex quibus in Latinam scripturam peruenit petenda cognitio est, aut habendæ interpretationes eorum qui se verbis nimis obstrinxerunt, non quia sufficiunt, sed vt ex eis libertas vel error dirigatur aliorum, qui non magis verba quàm sententias interpretando sequi maluerunt. Nam non solùm verba singula, sed etiam locutiones sæpe transferuntur, quæ omnino in Latinæ linguæ vsum, si quis consuetudinem veterum, qui Latinè locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt. Quæ aliquando intellectui nihil adimunt, sed offendunt tamen eos qui plus delectantur rebus, cùm etiam in earum signis sua quædam seruatur integritas. Nam solœcismus qui dicitur, nihil aliud est quàm cùm verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptauerunt qui priores nobis non sine auctoritate aliqua locuti sunt. Vtrum enim inter homines, an inter hominibus dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem.

Item barbarismus quid aliud est, nisi verbum non eis literis vel sono enunciatum, quo ab eis qui Latinè ante nos locuti sunt, enunciari solet? Vtrum enim ignoscere producta tertia syllaba vel correpta dicatur, non multùm curat qui peccatis suis Deum vt ignoscat petit, quolibet modo illud verbum sonare potuerit. Quid est ergo integritas locutionis, nisi Latinæ consuetudinis conseruatio loquentium veterum auctoritate firmata? Sed tamen eò magis inde offenduntur homines quò infirmiores sunt, & eò sunt infirmiores, quò doctiores videri volunt: non rerũ scientia qua ædificamur, sed signorũ, qua non inflari omnino difficile est, cùm & ipsa rerum scientia sæpe * ceruicem erigat, nisi Dominico reprimatur

1. Cor. 8. 7.

al.* Sepet

iugo. Quid enim obest intellectori, quod ita scriptum est, quæ est terra in qua isti insident super eam, si bona est aut nequam, & quæ sunt ciuitates in quibus ipsi inhabitant in ipsis? Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quàm sensum aliquem altiorem.

Illud etiam quod iam auferre non possumus de ore cantantium populorum: *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea*: nihil profectò sententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi vt non *floriet*, sed *florebit* diceretur. Nec quicquam impedit correctionem nisi consuetudo cantantium. Ista ergo facile etiam contemni possunt, si quis ea cauere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt. At verò illud quod ait Apostolus: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*: si quis in eo Græcam locutionem seruare voluisset, vt diceret, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominum: & quod infirmum est Dei, fortius est hominum*: iret quidem vigilantis lectoris intentio in sententiæ veritatem, sed tamen aliquis tardior aut non intelligeret, aut etiam peruersè intelligeret. Non enim tantùm vitiosa locutio est in latina lingua talis, verùm etiam in ambiguitatem cadit, vt quasi hominum stultum, vel hominum infirmum sapientius vel fortius videatur esse quàm Dei: quanquam & illud, *sapientius est hominibus*, non caret ambiguo etiamsi solœcismo careat. Vtrum enim his hominibus ab eo quod est huic homini, an ab his hominibus ab eo quod est ab hoc homine dictum sit, non apparet nisi illuminatione sententiæ. Melius itaque dicitur ita: *Sapientius est quàm homines, & fortius est quàm homines.*

Psal.131.18.

1. Cor.1.25.

De ambiguis autem signis pòst loquemur, nunc de incognitis agimus, quorum duæ formæ sunt quantum ad verba pertinet. Namque aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio. Quæ si ex alienis linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut linguæ eædem, si & ocium est & ingenium, ediscendæ, aut plurium interpretum consulenda collatio est. Si autem ipsius linguæ nostræ aliqua verba locutionésque ignoramus, legendi consuetudine audiendíque innotescunt. Nulla sanè sunt magis mandanda memoriæ, quàm illa verborum locutionúmque genera quæ ignoramus, vt cùm vel peritior occurrerit, de

CAP. XIV. *De percipiendis verborum & locutionum proprietate, & emendādis codicibus.*

quo quæri poſſint, vel talis lectio quæ vel præcedentibus vel conſequentibus vel vtriſque oſtendat quam vim habeat, quídve ſignificet quod ignoramus, facilè adiuuante memoria poſſimus animaduertere & diſcere: quanquam tanta eſt vis conſuetudinis etiam ad diſcendum, vt qui in Scripturis ſanctis quodammodò nutriti educatique ſunt, magis alias locutiones mirentur, eáſque minus Latinas putent quàm illas quas in Scripturis didicerunt, neque in Latinæ linguæ auctoribus reperiuntur. Plurimùm hîc quoque iuuat interpretum numeroſitas collatis codicibus inſpecta atque diſcuſſa, tantùm abſit falſitas: nam codicibus emendandis priùs debet inuigilare ſolertia eorum qui Scripturas diuinas noſſe deſiderant, vt emendatis non emendati cedant, ex vno dumtaxat interpretationis genere venientes.

Cap. xv. *Interpretatio ſeptuaginta.*

In ipſis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur. Nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ. Et Latinis quibuſlibet emendandis, Græci adhibeantur, in quibus ſeptuaginta Interpretum quod ad vetus Teſtamentum attinet, excellit auctoritas, qui iam ad omnes peritiores Eccleſias tanta præſentia Spiritus ſancti interpretati eſſe dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui ſi, vt fertur, multíque non indigni fide prædicant, ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati cùm interpretati eſſent, nihil in alicuius eorum codice inuentum eſt, quod non iiſdem verbis eodémque verborum ordine inueniretur in cæteris: quis huic auctoritati conferre aliquid nedum præferre audeat? Si autem contulerunt vt vna omnium communi tractatu iudicióque vox fieret, nec ſic quidem quenquam vnum hominem qualibet peritia ad emendandum tot ſeniorum doctorúmque conſenſum aſpirare oportet aut decet. Quamobrem etiam ſi aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur quàm ipſi poſuerint, cedendum eſſe arbitror diuinæ diſpenſationi, quæ per eos facta eſt: vbi libri quos gens Iudæa cæteris populis vel religione vel inuidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus miniſtra Regis Ptolemæi poteſtate tantò ante proderentur. Itaque fieri poteſt, vt ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere gentibus ille qui eos regebat, & qui os vnum omnibus fecerat Spiritus ſanctus iudicauit. Sed tamen vt ſuperiùs dixi, horum quoque interpretum qui verbis tenaciùs

De ciuitate Dei l. 18. c. 43.

inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandam sæpe sententiam. Latini ergo, vt dicere cœperam, codices Veteris Testamenti, si necesse fuerit, Græcorum auctoritate emendandi sunt, & eorum potissimùm qui cum Septuaginta essent ore vno interpretati esse perhibentur. Libros autem Noui Testamenti, si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium est, & maximè qui apud Ecclesias doctiores & diligentiores reperiuntur.

Cap. XVI. Cognitio animalium, herbarum, lapidum similiúmque necessaria.

In translatis verò signis, si qua fortè ignota cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitiâ, partim rerum inuestiganda sunt. Aliquid enim ad similitudinem valet, & procul dubio secretum quiddam insinuat Siloa piscina, vbi lauare faciem iussus est, cui oculos Dominus luto de sputo facto inunxerat. (Iohan. 9. 7.) Quod tamen nomen linguæ incognitæ, nisi Euangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa quæ ab auctoribus eorundem librorum interpretata non sunt nomina Hebræa, non est dubitandum habere non paruam vim atque adiutorium ad soluenda ænigmata scripturarum, si quis possit ea interpretari: quod nonnulli eiusdem linguæ viri periti non sanè paruum beneficium posteris contulerunt, qui separata de scripturis eadem verba omnia interpretati sunt, & quid sit Adam, quid Eua, quid Abraham, quid Moyses; siue etiam locorum nomina, quid sit Hierusalem, vel Sion, vel Hiericho, vel Sina, vel Libanus, vel Iordanis, vel quæcunque alia in illa lingua sunt incognita nobis nomina. Quibus apertis & interpretatis multæ in scripturis figuratæ locutiones manifestantur. Rerum autem ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarúmue rerum, quæ plerumque in scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur. Nam & de serpente quod notum est, totum corpus eum pro capite obiicere ferientibus, quantum illustrat sensum illum quo Dominus iubet astutos nos esse sicut serpentes: (Mat. 10. 16.) vt scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus, ne fides Christiana tanquam caput necetur in nobis, si parcentes corpori negemus Deum: vel illud quod per cauernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica vires nouas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsius serpentis astu-

Eph. 4. 22. Coloss. 3. 10 Matt. 7. 13. tiam, exuendúmque ipsum veterem hominem, sicut Apostolus dicit, vt induamur nouo, & exuendum per angustias, dicente Domino, ***Intrate per angustam portam.*** Vt ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines, quas de hoc animante Scriptura dare consueuit: sic ignorantia nonnullorum animalium quæ non minus per similitudines commemorat, impedit plurimùm lectorem.

Sic lapidum, sic herbarum, vel quæcunque tenentur radicibus. Nam & carbunculi notitia quod lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura librorum vbicunque propter similitudinem ponitur, & ignorantia berylli vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores. Nec aliam ob causam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus & olei lenem contactum non facilè alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem propter ignorantiam hyssopi dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel vt dicitur, ad saxa radicibus penetranda, cùm sit herba breuis atque humilis, Psal. 50. 9. omnino inuenire non possunt, quare dictum sit: ***Asperges me hyssopo & mundabor.***

Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi, translatè ac mysticè posita in Scripturis. Ingenium quippe, vt ita dixerim, ingenuum non potest non moueri quid sibi velit, quod & Moyses & Helias & ipse Dominus quadraginta diebus ieiunauerunt. Cuius actionis figuratus quidam nodus, nisi huius numeri cognitione & consideratione non soluitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario quippe numero & diurna & annua curricula peraguntur. Diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnísque horarum spatiis. Annua, vernis, æstiuis, autumnalibus hyemalibúsque mensibus. A temporũ autem delectatione dum in temporibus viuimus, propter æternitatem in qua viuere volumus abstinendum & ieiunandum est, quamuis temporum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina contẽnendorũ temporũ & appetẽtendorum æternorũ. Porro autem denarius numerus Creatoris atque creaturæ significat scientiam: nam trinitas Creatoris est, septenarius autem numerus creaturam indicat, propter

vitam & corpus. Nam in illa tria sunt: vnde etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus. Mat.22.37. In corpore autem quatuor manifestissima apparent, quibus constat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuatur, id est, quater ducitur, castè & continenter à temporum delectatione viuere, hoc est quadraginta diebus ieiunare monemur. Hoc lex, cuius persona est in Moyse, hoc prophetia, cuius personam gerit Helias, hoc ipse Dominus monet, qui Matt.17.3. tanquam testimonium habens ex lege & Prophetis, medius inter illos in monte tribus discipulis videntibus atque stupentibus claruit. Deinde ita quæritur, quomodò quinquagenarius de quadragenario numero exiftat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter Pentecosten: & quo- Act.2. modò ter ductus propter tria tempora, ante legem, sub lege, sub gratia, vel propter nomen Patris & Filij & Spiritus sancti, adiuncta eminentiùs ipsa trinitate ad purgatissimæ Ecclesiæ mysterium referatur, perueniátque ad centum quinqua- Iohan.21.11. ginta tres pisces, quos retia post resurrectionem Domini in dexteram partem missa ceperunt. Ita multis aliis atque aliis numerorum formis quædam similitudinum in libris sanctis secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt.*

Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia. Nam & de psalterij & citharæ differentia, quidam non inconcinnè aliquas rerum figuras aperuit: & decem chordarum Psalterium non importunè in- Psal.32.2. Psal.91.3. ter doctos quæritur, vtrum habeat aliquam musicæ legem quæ ad tantum * neruorum numerum cogat, an verò si non al.* cantic. habet, eo ipso magis sacratè sit accipiendus ipse numerus: vel propter decalogum legis: de quo item numero si quæratur, non nisi ad Creatorem creaturámque referendus est: vel propter superiùs expositum ipsum denarium. Et ille numerus ædificationis templi commemoratus in Euangelio quadraginta Iohan.2.20. scilicet & sex annorum, nescio quid musicum sonat, & relatus ad fabricam Dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hæreticos confiteri Filium Dei non falso sed vero & humano corpore indutum: & numerum quippe & musicam plerisque locis in sanctis Scripturis posita honorabiliter inuenimus.

Cap. XVII. *Poetarum fabulas non interpretãdas allegoricè.*

NON enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui nouem Musas Iouis & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio vtrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacta Musarum, quæ in templo Apollinis donum poneret, vt quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimùm electa emeret. Ita contigisse vt opera sua quoque illi artifices æquè pulchra explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas esse, vt in Apollinis templo dedicarentur, quibus postea dicit Hesiodum poëtam imposuisse vocabula. Non ergo Iupiter nouem Musas genuit, sed tres fabri ternas creauerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cuiusquam illorum oculis demonstrauerant: sed quia facile erat animaduertere omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse naturâ. Aut enim editur voce, sicuti eorum est qui faucibus sine organo canunt: aut flatu, sicut tubarum & tibiarum: aut pulsu, sicut in citharis & tympanis, & quibuslibet aliis, quæ percutiendo canora sunt.

Cap. XVIII. *Prophani si quid bene dixerunt, non aspernandum.*

SED siue ita se habeat quod Varro retulit, siue non ita, nos tamen non propter superstitionem prophanorum debemus musicam fugere, si quid inde vtile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus: nec ad illorum theatricas nugas conuerti, si aliquid de citharis & de organis quod ad spiritualia capienda valeat disputemus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium: aut quia iustitiæ virtutique templa dedicarunt, & quæ corde gestanda sunt in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iustitia virtúsque fugienda est: imò verò quisquis bonus verúsque Christianus est, Domini sui esse intelligat vbicunque inuenerit veritatem: quam conferens* & agnoscens etiam in literis sacris superstitiosa figmenta repudiet: doleátque homines atque caueat, qui cognoscentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem

*al. * confitens*

Rom. 1. 21.

nem

nem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & serpentium.

Sed vt totum istum locum, nam est maximè necessarius, diligentiùs explicemus, duo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur. Vnum earum rerum, quas instituerunt homines, alterum earum quas animaduerterunt iam peractas aut diuinitus institutas. Illud quod est secundùm institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim superstitiosum non est. Cap. xix. Doctrinarum genera duo.

Svperstitiosvm est, quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola, pertinens vel ad colendam sicut Deum creaturam partemve vllam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potiùs quàm docere assolent poëtæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis quas characteres vocant: siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodammodò, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas: quæ mitiore nomine physicam vocant, vt non quasi superstitiosè implicare, sed naturâ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, vt dextera manu sinistrum pollicem teneas. His adiunguntur millia inanissimarum obseruationum, si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit, atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quàm quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicantur à canibus: nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem qui medius interuenerit ferire audeant, non impunè: namque à vano remedio citò interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa: limen calcare cùm ante domum Cap. xx. Superstitio.

ſuam tranſit: redire ad lectum, ſi quis dum ſe calciat ſternutauerit: redire domum, ſi procedens offenderit: cùm veſtis à ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali quàm præſens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cùm eſſet conſultus à quodam qui ſibi à ſoricibus eroſas caligas diceret: reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.

Cap xxi. Superſtitio mathematica.

NEQVE illi ab hoc genere pernicioſæ ſuperſtitionis ſegregandi ſunt, qui genethliaci propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam & ipſi quamuis veram ſtellarum poſitionem, cùm quiſque naſcitur conſectentur, & aliquando etiam perueſtigent, tamen qui * inde conantur vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miſerabilem ſeruitutem. Nam quiſquis liber cùm ad huiuſmodi mathematicum ingreſſus fuerit, dat pecuniam vt ſeruus inde exeat, aut Martis, aut Veneris, vel potiùs omnium ſyderum, quibus illi qui primi errauerunt, errorémque poſteris propinauerunt, vel beſtiarum propter ſimilitudinem, vel hominum ad ipſos homines honorandos impoſuerunt vocabula. Non enim mirandum eſt, cùm etiam propioribus recentioribúſque temporibus, ſydus quod appellamus luciferum, honori & nomini Cæſaris Romani dicare conati ſunt. Et fortaſſe factum eſſet atque iſſet in vetuſtatem, niſi auia eius Venus præoccupaſſet hoc nominis prædium, neque iure vllo ad hæredes traiiceret, quod nunquam viua poſſederat, aut poſſidendum petiuerat. Nam vbi vacabat locus, neque alicuius priorum mortuorum honore tenebatur, factum eſt quod in rebus talibus fieri ſolet. Pro Quintili enim & Sextili menſibus Iulium atque Auguſtum vocamus, de honoribus hominum Iulij Cæſaris, & Auguſti Cæſaris nuncupatos, vt facilè qui voluerit intelligat, etiam illa ſydera priùs ſine his nominibus cœlo vagata eſſe. Mortuis autem illis quorum honorare memoriam vel coacti ſunt homines regia poteſtate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes ſyderibus, eos ipſos ſibi mortuos in cœlum leuare videbantur. Sed quomodolibet vocentur ab ominibus, ſunt tamen ſydera quæ Deus inſtituit & ordinauit vt voluit, & eſt certus mo-

*al. * quòd.*

Sic Virg. Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

tus illorum quo tēpora distinguuntur atque variantur. Quem motum notare cùm quisque nascitur quomodò se habeat, facile est, per eorum inuentas conscriptasque regulas, quod sancta scriptura condemnat dicens: *Si enim tantum potuerunt scire vt possent æstimare sæculum, quomodò eius Dominum non faciliùs inuenerunt?* Mat. 16. 3.

Sed ex ea notatione velle nascentium mores, actus, euenta prædicere, magnus error & magna dementia est. Et apud eos quidem qui talia dediscenda didicerunt, sine vlla dubitatione refellitur hæc superstitio. Constellationes enim quas vocant, notatio est sy derum, quomodò se habebant cùm ille nasceretur de quo isti miseri à miserioribus consuluntur. Fieri autem potest, vt aliqui gemini tam sequaciter fundantur ex vtero, vt interuallum temporis inter eos nullum possit apprehendi, & constellationum numeris annotari. Vnde necesse est nonnullos geminos easdem habere constellationes, cùm paria rerum vel quas agunt, vel quas patiuntur, euenta non habeant, sed plerunque ita disparia, vt alius felicissimus, alius infelicissimus viuat: sicut Esau & Iacob geminos accipimus natos, ita vt Iacob qui posterior nascebatur manu plantam præcedentis fratris tenens inueniretur. Horum certè dies atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi vt amborum constellatio esset vna. Quantum autem interlit inter amborum mores, facta, labores atque successus, scriptura testis est, iam ore omnium gentium peruulgata. Neque enim ad rem pertinet quod dicunt ipsum momentum minimū atque angustissimum temporis, quod geminorum partum disterminat, multum valere in rerum natura atque cœlestium corporum rapidissima velocitate. Etsi enim concedam vt plurimùm valeat, tamen in constellationibus à mathematico inueniri non potest, quibus inspectis se fata dicere profitetur. Quod ergo in constellationibus non inuenit, quas necesse est vnas inspiciat, siue de Iacob, siue de eius fratre consulatur, quid ei prodest si discat in cœlo quod temerè securus infamat, & non discat in tabula quam frustra solicitus intuetur? Quare istæ quoque opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta & conuenta referendæ sunt.

Cap. xxii. *Obseruatio syderum.*

Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino cupidi

Cap. xxiii. *Non haben.*

da fides mathematicis

malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima secundùm pulcherrimum ordinem rerum diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & perniciosis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quàm dicuntur: multáque obseruantibus secundùm obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magísque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum, *sed etiamsi dixerint vobis*, inquit, *& ita euenerit, ne credatis eis.* Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia quibus imago illa præsentata est minus execranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua * fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potiùs fœminam illius dæmonij correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano: non quòd idolum sit aliquid, vt ait Apostolus, sed quia *quæ immolant, dæmoniis immolant & non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.*

Deut. 13. 2. 1. Reg. 28. 17. Ecc. 46. 23.

* ventriloqua, quasi ventre loquẽs Græcè ἐγγαστρίμυθοι. Est diuinatorum genus & hodie apud Italos, qui sic dicti sunt, quòd ore non edentes sonum, per ventrem loqui visi sunt.

1. Cor. 10. 20.

Quod autem de idolis, & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam, eiúsque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum, aliarúmque obseruationum curam pertinent: quæ non sunt diuinitus ad dilectionem Dei & proximi, tanquam publicè constituta, sed per priuatas appetitiones rerum temporalium, corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut

autem de stellis quas condidit & ordinauit Deus, humanæ & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus institutæ sunt: sic etiam de quibusdam nascentibus vel quoquomodò diuinæ prouidentiæ administratione existentibus rebus, multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter coniecta literis mandauerunt, si fortè insolitè acciderint, velut si mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur.

Cap. xxiv. Societas inter dæmones & mathematicos.

QVÆ omnia tantùm valent, quantùm præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestiferæ cuirositatis, cruciantis solicitudinis, * mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant, * animaduersa sunt, sed animaduertendo atque signando * factum est vt valerent. Et ideo diuersis diuersa proueniunt secundùm cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus cum irretitum per suspiciones & consensiones eius viderint. Sicut enim, verbi gratia, vna figura literæ quæ decussatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non naturâ, sed placito, & consensione significandi: ac ideo qui vtramque linguam nouit, si homini Græco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc literam, in qua eam ponit cum homini scribit Latino. Et beta vno eodémque sono, apud Græcos literæ, apud Latinos oleris nomen est. Et cùm dico, Lege, in his duabus syllabis, aliud Græcus, aliud Latinus intelligit. Sicut ergo hæ omnes significationes pro suæ cuiusque societatis consensione animos mouent: & quia diuersa consensio est, diuersè mouent: nec ideo consenserunt in eas homines, quia iam valebant ad significationem: sed ideo valent, quia consenserunt in eas. Sic etiam illa signa, quibus perniciosa dæmonum societas comparatur, pro cuiusque obseruationibus valent. Quod manifestissimè ostendit ritus augurum, qui & antequam obseruent, & postea quàm obseruata signa tenuerint, id agunt, ne videant volatus, aut audiant voces auium, quia nulla ista signa sunt, nisi consensus obseruantis accedat.

al. * Solicitudines, *seu*, solicitudine.
al. * Valeant.
al. * seruando.

Cap. xxv. Instituta humana.

QVIBVS amputatis atque eradicatis ab animo Christiano, deinceps videndæ sunt institutiones hominum non superstitiosæ, id est, non cum dæmonibus, sed cum ipsis homi-

nibus institutæ. Namque omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit inter eos vt valeant, instituta hominum sunt: quorum partim superflua, luxuriosáque instituta sunt, partim commoda & necessaria. Illa enim signa quæ saltando faciunt histriones, si natura non instituto & consensione hominum valerent, non primis temporibus saltante Pantomimo, præco pronunciaret populis Carthaginis quid saltator vellet intelligi. Quod adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu hæc solemus audire. Quod ideo credendum est, quia nunc quoque si quis theatrum talium nugarum imperitus intrauerit, nisi ei dicatur ab altero quid illi motus significent, frustra totus intentus est. Appetunt tamen omnes quandam similitudinem in significando, vt ipsa signa in quantum possunt, rebus quæ significantur similia sint. Sed quia multis modis simile aliquid alicui potest esse, non constant talia signa inter homines, nisi consensus accedat.

In picturis verò & statuis, cæterísque huiusmodi simulatis operibus, maximè peritorum artificum, nemo errat cùm similia viderit, vt agnoscat quibus sint rebus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi cùm interesset quid eorum, qua de causa, & vbi, & quando, & cuius auctoritate fiat. Millia denique fictarum fabularum & falsitatum, quarum mendaciis homines delectantur, humana instituta sunt. Et nulla magis hominum propria, quæ à seipsis habent, existimanda, quàm quæque falsa atque mendacia. Commoda verò & necessaria hominum cum hominibus instituta sunt, quæcunque in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit: & innumerabilia genera significationum, sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minus commodè geritur: quæque in ponderibus atque mensuris, & nummorum impressionibus, vel æstimationibus sua cuique ciuitati & populo sunt propria, & cætera huiusmodi. Quæ nisi hominum instituta essent, non per diuersos populos varia essent, nec in ipsis populis singulis pro arbitrio suorum principum mutarentur. Sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad vsum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imò etiam quantum satis est, intuenda, memoriáque retinenda.

ADVMBRATA enim quædam & naturalibus vtcunque similia hominum instituta sunt, quorum ea quæ ad societatem, vt dictum est, dæmonum pertinent, penitus repudianda sunt & detestanda. Ea verò quæ homines cum hominibus habent, assumenda, in quantum non sunt luxuriosa atque superflua: & maximè literarum figuræ, sine quibus legere non possumus, linguarúmque varietas quantum satis est, de qua superiùs disputauimus. Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt, proprij iam Notarij appellantur. Vtilia sunt ista, nec discuntur illicitè, nec superstitione implicant, nec luxu eneruant, si tantùm occupent, vt maioribus rebus, ad quas adipiscendas seruire debent, non sint impedimento.

Cap. XXVI. Quæ hominum instituta fugienda & quæ amplectenda sint.

Notarij.

IAM verò illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut diuinitus instituta, inuestigando homines prodiderunt, vbicunque discantur, non sunt hominum instituta existimanda. Quorum alia sunt ad sensus corporis, alia verò ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ sensu corporis attinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conijcimus.

Cap. XXVII. Quæ dicantur hominum instituta, & quæ non.

QVICQVID igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiades, & per Consulum nomina multa sæpe quæruntur à nobis: & ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare, vt putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum esse templum dictum est à Iudæis, quòd imaginem dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate Euangelica. Sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum eius animaduerti possit: tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidiùs certiúsque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra dictum esse, quòd quadraginta sex annis templum ædificatum sit: vt cùm referri iste numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus est vnicus Dei filius, per quem facta sunt omnia.

Cap. XXVIII. Historia.

2. Retract. cap. 4. De vtilitate autem historiæ, vt omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem soluit calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus: qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè ante humanum aduentum Domini Platonem fuisse negari non potest: Nonne memoratus Episcopus consideratâ historiâ gentium, cùm Platonem reperisset Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, vbi tunc ille Propheta erat, probabilius esse ostendit quòd Plato potiùs nostris literis per Hieremiam fuerit imbutus, vt illa posset docere vel scribere quæ iure laudantur? Ante literas enim gentis Hebræorum, in qua vnius Dei cultus emicuit *, ex qua secundùm carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, à cuius posteris Platonem Theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus fit multò credibilius istos potiùs de literis nostris habuisse, quæcunque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum nostrum Iesum Christum, quod dementissimum est credere. Narratione autem historica, cùm præterita etiam hominum instituta narrantur, non inter humana instituta ipsa historia numeranda est: quia iam quæ transierunt, nec infecta fieri possunt, in ordine temporum habenda sunt, quorum est conditor & administrator Deus. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia facta narrat fideliter atque vtiliter: libri autem haruspicum, & quæque similes literæ facienda vel obseruanda intendunt docere, monitoris audaciâ, non iudicis fide.

al. * exstitit.

Cap. xxix. *Cognitio herbarum & simi ii rerum non est superstitiosa.*

Est enim narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcunque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, lapidum, herbarum, aliorúmve corporum scripta sunt. De quo genere superiùs egimus, eámque cognitionem valere ad ænigmata scripturarum soluenda docuimus: non vt pro quibusdam signis adhibeantur, tanquam ad remedia vel machinamenta superstitionis alicuius: nam & illud genus iam distinctum ab hoc licito & libero separauimus. Aliud est enim dicere, tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit: & aliud est dicere, istam herbam collo si suspenderis, venter

non

non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio salubris: hîc significatio superstitiosa damnatur. Quanquàm vbi præcantationes, & inuocationes, & characteres non sunt, plerumque dubium est vtrum res quæ alligatur, aut quoquo modo adiungitur sanando corpori, vi naturæ valeat, quod liberè adhibendum est: an significatiua quadam obligatione proueniat, quod tantò prudentiùs oportet cauere Christianum, quantò efficaciùs prodesse videbitur. Sed vbi latet qua causa quid valeat, quo animo quisque vtatur interest, dumtaxat in sanandis vel temperandis corporibus, siue in medicina, siue in agricultura: syderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notus est lunæ cursus, qui etiam ad passionem Domini anniuersariè celebrandam solenniter adhibetur: sic paucissimis cæterorum quoque syderum vel ortus vel occasus, vel alia quælibet momenta sine vllo sunt errore notissima. Quæ per seipsam cognitio, quanquàm superstitione non alligetur *, non multum tamen ac propè nihil adiuuat tractationem diuinarum scripturarum, & infructuosa intentione plus impedit. Et quia familiaris est perniciosissimo errori fatua fata cantantium, commodiùs honestiúsque contemnitur. Habet autem præter demonstrationem præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quod à præsenti positione motúque syderum, & in præterita eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares coniecturas, non suspiciosas & ominosas, sed ratas & certas: non vt ex eis aliquid trahere in nostra fata & euenta tentemus, qualia Genethliacorum deliramenta sunt, sed quantum ad ipsa pertinet sydera. Nam sicut is qui computat lunam, cùm hodie inspexerit quota sit, & ante quotlibet annos quota fuerit, & post quotlibet annos quota futura sit, potest dicere: sic de vnoquoque syderum, qui ea peritè computat, respondere consueuerunt. De qua tota cognitione, quantum ad vsum eius attinet, quid * mihi videretur aperui.

al. * quosdam non alliget.

al. * quod

Cap. XXX. *Artis Mechanica in Scripturis vsus.*

Artium etiam cæterarum, quibus aliquid fabricatur, vel quod remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus & scamnum & vas aliquod, atque alia huiuscemodi: vel quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut medicina & agricultura & gubernatio: vel quarum om-

nis effectus est actio, sicut saltationum & cursuum & luctaminum. Harum ergo cunctarum artium de præteritis experimenta faciunt etiam futura conjici: nam nullus earum artifex membra mouet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum expectatione contexat. Harum autem cognitio tenuiter in ipsa humana vita cursimque vsurpanda est, non ad operandum, nisi fortè officium aliquod cogat, de quo nunc non agimus, sed ad iudicandum, ne omnino nesciamus quid scriptura velit insinuare, cùm de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit.

Cap. xxxi. *Dialectica.*

RESTANT ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, vbi disciplina regnat disputationis & numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissoluenda, plurimùm valet: tantùm ibi cauenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerùmque ita veras imitantes, vt non solùm tardos, sed ingeniosos etiam minùs diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit. Verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit. Ego autem homo sum Hoc quoque cùm ab illo accepisset, conclusit dicens. Tu igitur non es homo. Quod genus captiosarum conclusionum, Scriptura quantum existimo detestatur illo loco, vbi dictum est: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Quanquàm etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantiùs quàm grauitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine, vt in his erubescens ille, cuius errorem consequuntur, eundem relinquat errorem: quia si in eodem manere voluerit, necesse est vt etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cùm diceret: *Neque Christus resurrexit:* & illa alia: *Inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra:* & deinceps alia quæ omnino falsa sunt; quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annunciabant, nec fides eo-

Sophismata.

Hoc syllogismo quidam adortus Diogenem, ipse facta à Diogene conuersione captus deridebatur.

Eccl. 37.23.

1.Cor.15.16.

rum qui hoc credebant: ſed iſta falſa veriſſimè connectebantur illi ſententiæ, qua dicebatur, non eſſe reſurrectionem mortuorum. Iſtis autem falſis repudiatis, quoniam vera erant ſi mortui non reſurgunt, conſequens erit reſurrectio mortuorum. Cùm ergo ſint veræ connexiones, non ſolùm verarum, ſed etiam falſarum ſententiarum, facile eſt veritatem connexionum etiam in ſcholis illis diſcere, quæ præter Eccleſiam ſunt. Senrenriarum autem veritas in ſanctis libris eccleſiaſticis inueſtiganda eſt.

CAP. XXXII. Homines ordinem rerum non inſtituerũt, ſed animaduerterunt.

IPSA ramen veritas connexionum non inſtituta, ſed animaduerſa eſt ab hominibus & norara, vt eam poſſint vel diſcere vel docere. Nam eſt in rerum ratione peperua & diuinitus inſtituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipſe componit: & locorum ſitus aut naturas animalium vel ſtirpium vel lapidum qui oſtendit, non res oſtendit ab hominibus inſtitutas: & ille qui demonſtrat ſydera, corúmque motus, non à ſe vel ab homine aliquo rem inſtituram demonſtrat: ſic etiam qui dicit, cùm falſum eſt quod conſequitur, neceſſe eſt vt falſum ſit quod præcedit, veriſſimè dicit, neque ipſe facit vt ita ſit, ſed rantùm ita eſſe demonſtrar. Ex hac regula illud eſt quod de Apoſtolo Paulo commemorauimus: præcedit enim non eſſe reſurrectionem mortuorum, quod dicebant illi, quorum errorem deſtruere volebat Apoſtolus. Porro illam ſententiam præcedenrem, qua dicebant non eſſe reſurrectionem mortuorum, neceſſariò ſequitur, Neque Chriſtus reſurrexit. Hoc autem quod ſequitur, falſum eſt, Chriſtus enim reſurrexit. Falſum eſt ergo & quod præcedit. Præcedit autem, non eſſe reſurrectionem mortuorum. Eſt ergo reſurrectio mortuorum. Quod rorum breuiter ira dicitur, Si non eſt reſurrectio mortuorum, neque Chriſtus reſurrexit: Chriſtus autem reſurrexit, eſt igitur reſurrectio mortuorum. Hoc ergo vt conſequenti ablaro, auferatur eriam neceſſariò quod præcedit, non inſtituerunt homines, ſed oſtenderunt. Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem ſententiarum.

CAP. 33. Concluſio ſyllogiſmi falſa.

SED in hoc loco de reſurrectione cùm ageretur, & regula connexionis vera eſt, & ipſa in concluſione ſententia. In falſis aurem ſenrentijs, connexionis veriras eſt iſto modo. Faciamus aliquem conceſſiſſe, ſi animal eſt cochlea, vocem habet.

Hoc concesso, cùm probatum fuerit vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato, illud quod præcedit aufertur, concluditur non esse animal cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est conclusionis connexio. Veritas itaque sententiæ per seipsam valet, veritas autem connexionis ex eius cum quo agitur opinione vel concessione consistit. Ideo autem, vt suprà diximus, infertur vera connexione quod falsum est, vt eum, cuius errorem corrigere volumus, pœniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda. Iam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententijs veras, sic in veris sententijs falsas conclusiones esse posse. Fac enim aliquem proposuisse, si iustus est ille, bonus est, & esse concessum. Deinde assumpsisse, non est autem iustus. Quo item concesso, intulisse conclusionem. Non est igitur bonus. Quæ tametsi vera sunt omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti aufertur necessariò quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti aufertur necessariò quod consequitur, quia verum est cùm dicimus: Si orator est, homo est. Ex qua propositione si assumamus, Non est autem orator, non erit consequens cùm intuleris, Non est igitur homo.

Cap. 34. Aliud est nosse leges conclusionum, quàm res intelligere.

QVAPROPTER aliud est nosse regulas connexionũ, aliud sententiarum veritatem. In illis discitur quid sit consequens, quid nõ consequẽs, quid repugnans. Cõsequens est, Si orator est, homo est. Inconsequens, Si homo est, orator est. Repugãns, Si homo est, quadrupes est. Hîc ergo de ipsa connexione iudicatur. In veritate autem sententiarum ipsæ per se sententiæ non earum connexio consideranda est: sed veris certísque sententijs, cùm incertæ vera connexione iunguntur, etiam ipsæ certæ fiant necesse est. Quidam autem sic se iactant, cùm veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et rursus, quidam plerumque retinentes veram sententiam malè se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant: cùm melior sit qui nouit esse resurrectionem mortuorum, quàm ille qui nouit consequens esse, vt si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexerit.

Cap. 35. Definitio, Diuisio, Partitio.

ITEM scientia definiendi, diuidendi, atque partiendi, quanquàm etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum

ratione comperta. Non enim quia & fabulis suis eam poetæ, & opinionibus erroris sui vel falsi philosophi, vel etiam hæretici, hoc est falsi Christiani adhibere consueuerunt, propterea falsum est, neque in definiendo, neque in diuidendo aut partiendo aliquid complectendum esse quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod pertinet prætereundum. Hoc verum est, etiamsi ea quæ definiuntur aut distribuuntur vera non sint: nam & ipsum falsum definitur, cùm dicimus, falsum esse significationem rei non ita se habentis vt significatur, siue aliquo alio modo. Quæ definitio vera est, quamuis falsum verum esse non possit. Possumus etiam diuidere, dicentes, duo esse genera falsi: vnum eorum quæ omnino esse non possunt, alterum eorum quæ non sunt, quamuis esse possint. Nam qui dicit septem & tria vndecim esse, id dicit quod omnino esse non potest: qui verò dicit calendis, verbi gratia, Ianuariis pluisse, tametsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio igitur & diuisio falsorum potest esse verissima, quamuis falsa ipsa vtique vera non sint.

SUNT etiam quædam præcepta vberioris disputationis, quæ iam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamuis eis possint etiam falsa persuaderi. Sed quia & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed eâ malè vtentium peruersitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, vt veritatis expressio conciliet auditorem, aut vt facilè quod intendit, insinuet breuis & aperta narratio, & varietas eius sine fastidio teneat intentos, & cæteræ huiusmodi obseruationes: quæ siue in falsis siue in veris causis, veræ sunt tamen, in quantùm vel sciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendúmne animos mouent, & inuentæ potiùs quòd ita se habeant, quàm vt ita se haberent institutæ. *Cap. 36. Eloquentia non semper vera persuadet.*

SED hæc pars cùm discitur, magis vt proferamus ea quæ intellecta sunt, quàm vt intelligamus adhibenda est. Illa verò conclusionum & definitionum & distributionum plurimùm intellectorem adiuuat: tantùm absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cùm ista didicerint, quanquam plerunque accidat, vt faciliùs homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discũtur, quàm taliũ præceptorũ nodosissimas & spinosissimas disciplinas. Tanquã si quispiã dare volens præcepta ambulãdi, mo- *Cap. 37. Rhetorica ad sermonẽ, dialectica ad iudicandum vtilis.*

neat non esse leuandum pedem posteriorem, nisi cùm posuerit priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat mouere describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest: sed facilius homines hoc faciendo ambulant, quàm animaduertunt cùm faciunt, aut intelligunt cùm audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minùs ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Ita plerumque citiùs ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quàm præcepta eius capit: tardus autem non eam videt, sed multò minùs quod de illa præcipitur. Magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quàm ex eis in disputando aut iudicando adiuuamur, nisi fortè quod exercitatiora reddunt ingenia, si etiam maligniora aut inflatiora non reddant: hoc est, vt aut decipere verisimili sermone atque interrogationibus ament, aut aliquid magnum, quo se bonis atque innocentibus anteponant, se assecutos putent, qui ista didicerunt.

CAP. 38. *Numeri.* IAM verò numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est, quod non sit ab hominibus instituta, sed potiùs indagata atque inuenta. Non enim sicut primam syllabam Italiæ, quam breuem pronunciauerunt veteres, voluit Virgilius, & longa facta est: ita quisquam facere poterit cùm voluerit, vt ter tria aut non sint nouem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Siue ergo in seipsis considerentur, siue ad figurarum aut sonorum aliarúmue motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque vllo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, vt iactare se inter imperitos velit, & non potiùs quærere vnde sint vera, quæ tantummodò vera esse persenserit: & vnde quædam non solùm vera, sed etiam incõmutabilia quæ incõmutabilia esse nõ cõprehẽderit: ac sic à specie corporũ vsque ad humanã mẽtẽ perueniens, cùm & ipsam mutabilẽ inuenerit, quod nũc docta, nunc indocta sit, constituta tamẽ inter incommutabilẽ supra se veritatem, & mutabilia infra se cætera, ad vnius Dei laudem atque dilectionẽ cuncta conuertere, à quo cuncta esse cognoscit, doctus videri potest, sapiens autem nullo modo.

QVAMOBREM videtur mihi studiosis & ingeniosis adolescentibus, & timentibus Deum, beatámque vitam quærentibus salubriter præcipi, vt nullas doctrinas quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tanquam ad beatam vitam capessendam securè sequi audeant, sed eas sobriè diligentérque diiudicent. Et si quas inuenerint ab hominibus institutas varias propter diuersas voluntates instituentium, & ignotas propter suspiciones errantium, maximè si habeant etiam cum dæmonibus initam societatem per quarundam significationum quasi quædam pacta atque conuenta, repudient penitus & detestentur, alienent etiam studia à superfluis & luxuriosis hominum institutis. Illa verò instituta hominum, quæ ad societatem conuenientium valent, pro ipsa huius vitæ necessitate non negligant. In cæteris autem doctrinis, quæ apud gentes inueniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis, vel præsentis ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam vtilium artium corporalium experimenta & coniecturæ annumerantur, & præter rationem disputationis & numeri nihil vtile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est, Ne quid nimis: & maximè in iis quæ ad corporis sensus pertinentia, voluuntur temporibus, & continentur locis. Sicut autem quidam de verbis omnibus & nominibus Hebræis & Syris & Ægyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inueniri potest, quæ in eis sine interpretatione sunt posita, fecerunt vt ea separatim interpretarentur: quod & Eusebius fecit de temporum historia propter diuinorum librorum quæstiones quæ vsum eius flagitant. Quod ergo hi fecerunt de his rebus, vt non sit necesse Christiano in multis propter pauca laborare: sic video posse fieri, si quem eorum qui possunt, benignam sanè operam fraternæ vtilitati delectet impendere, vt quoscunque terrarum locos, quæue animalia vel herbas atque arbores, siue lapides vel metalla incognita, speciésque quaslibet Scriptura cõmemorat, ea generatim digerens, sola exposita literis mandet. Potest etiam de numeris fieri, vt eorum tantummodò numerorum exposita ratio conscribatur, quos diuina scriptura meminit. Quorum aliqua aut omnia fortè iam facta sunt, sicut multa quæ à bonis doctisq; Christianis elaborata atque conscripta arbitramur, non inuenimus: sed siue propter turbas negligentium, siue propter in-

CAP. 39. Quæ artes humanæ amplectendæ.

uidorum occultationes latent: quod vtrum de ratione disputandi fieri possit, ignoro. Et videtur mihi fieri non posse, quia per totum textum Scripturarum colligata est neruorum vice: & ideo magis ad ambigua soluenda & explicanda, de quibus pòst loquemur, legentes adiuuat, quàm ad incognita signa, de quibus nunc agimus agnoscenda.

Cap. XL. Ab Ethnicis si quid bene dictũ, in nostrum vsum est conuertendum.

PHILOSOPHI autem qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potiùs, tanquam ad vsum meliorem, clanculò vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene vtebantur: sic doctrinæ omnes gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauésque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare: sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, déque ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, cùm ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in vsum conuertenda Christianum: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni

Exod. 3. v. 22. & 12. v. 35.

Act. 7. 22.

omni ſapientia Ægyptiorum. Quibus omnibus viris ſuperſtitioſa gentium conſuetudo, & maximè illis temporibus, cùm Chriſti iugum decutiens, Chriſtianos perſequebatur, diſciplinas quas vtiles habebat, nunquam commodaret, ſi eas in vſum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuerſum iri ſuſpicaretur: ſed dederunt aurum & argentum & veſtem ſuam exeunti populo Dei de Ægypto, neſcientes quemadmodum illa quæ dabant in Chriſti obſequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, ſine dubio figuratum eſt vt hoc præſignaret: quod ſine præiudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.

SED hoc modo inſtructus diuinarum ſcripturarum ſtudioſus, cùm ad eas perſcrutandas accedere cœperit, illud Apoſtolicum cogitare non ceſſet: *Scientia inflat, charitas ædificat.* Ita enim ſentiet quamuis de Ægypto diues exeat, tamen niſi paſcha egerit, ſaluum ſe eſſe non poſſe. *Paſcha autem noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Nihilque magis immolatio Chriſti nos docet, quàm illud quod ipſe clamat, tanquam ad eos quos in Ægypto ſub Pharaone videt laborare: *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & ſarcina mea leuis.* Quibus niſi mitibus & humilibus corde, quos non inflat ſcientia, ſed charitas ædificat? Meminerint ergo eorum qui paſcha illo tempore per vmbram imaginariam celebrabant, cùm ſignari poſtes ſanguine agni iuberentur, hyſſopo fuiſſe ſignatos. Hæc herba mitis & humilis eſt, nihil fortius & penetrabilius eius radicibus: vt in charitate radicati & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & lõgitudo & altitudo & profundum, id eſt crucẽ Domini cuius latitudo dicitur in tranſuerſo ligno quo extendũtur manus: lõgitudo à terra vſque ad ipſam latitudinem, quo à manibus & infra totũ corpus affigitur: altitudo à latitudine ſurſum vſque ad ſummum, cui adhæret caput: profundũ verò quod terræ infixum abſconditur. Quo ſigno crucis, omnis actio Chriſtiana deſcribitur, bene operari in Chriſto, & ei perſeueranter inhærere: ſperare cœleſtia, ſacramenta nõ prophanare. Per hanc actionẽ purgati valebimus cognoſcere etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti, qua æqualis eſt Patri,

Cap. VII. *Studium Theologiæ quali animũ requirat.*

1. Cor. 8.1.

1. Cor. 5.7.

Matth. 11. 28. 29. 30.

Epheſ. 3.17.

Iohan. 13. per quem facta sunt omnia, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Est etiam in hyssopo vs purgatoria, ne inflante scientia de diuitiis ab Ægypto ablatis, superbè aliquid pul-
Psal. 50.9. mo tumidus anhelet: *Asperges me*, inquit, *hyssopo & mundabor,*
10. *lauabis me, & super niuem dealbabor. Auditui meo dabis exultationem & lætitiam.* Deinde annectit consequenter, vt ostendat purgationem à superbia significari hyssopo: *Et exultabunt ossa humiliata.*

Cap. XLII. *Sacra Scripturæ cum prophana comparatio.*

QVANTVM autem minor est auri argenti, vestísque copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione diuitiarum quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone Rege ostenduntur: tanta sit cuncta scientia quæ quidem est vtilis collecta de libris gentium, si diuinarum scripturarum scientiæ comparetur. Nam quidquid homo extrà didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si vtile est, ibi inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inueniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodò Scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate discuntur. Hac igitur instructione præditum cùm signa incognita lectorem non impedierint, mitem & humilem corde subiugatum leniter Christo, & oneratum sarcina leui, fundatum & radicatum & ædificatum in charitate, quam scientia inflare non possit; accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda & discutienda, de quibus iam tertio volumine dicere aggrediar, quod Dominus donare dignabitur.

LIBER TERTIVS.

Cap. I. *Summa superiorum librorum.*



HOMO timens Deum, voluntatem eius in Scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina pietate mansuetus, præmunitus etiam scientia linguarum, ne in verbis locutionibúsque ignotis hæreat, præmunitus etiam cognitione quarundam rerum necessariarum, ne vim naturámue earum, quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adiuuante etiam codicum veritate quam solers emendationis diligentia

procurauit, veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque soluenda. Vt autem signis ambiguis non decipiatur, quantum per nos instrui potest: fieri autem potest, vt istas vias quas ostendere volumus, tanquam pueriles vel magnitudine ingenij, vel maioris illuminationis claritate derideat: sed tamen vt dicere cœperam, quantùm per nos instrui potest, qui eo loco animi est, vt per nos instrui valeat, sciat ambiguitatem Scripturæ aut in verbis propriis esse, aut in translatis: quæ genera in secundo libro demonstrauimus.

SED cùm verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primò prouidendum est, ne malè distinxerimus, aut pronunciauerimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum esse prouiderit, quomodò distinguendum, aut quomodò pronunciandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ auctoritate percepit, de qua satis egimus, cùm de rebus in primo libro loqueremur. Quòd si ambæ vel etiam omnes, si pluresfuerint, partes ambiguitatẽ secundùm fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus: vt videamus cuinam sententiæ de pluribus quæ se ostendunt ferat suffragium, eámque sibi contexi patiatur. Cap. II. *Distinctio quantum faciat.*

Iam nunc exempla considera. Illa hæretica distinctio: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat*: vt alius sensus sit, Verbum hoc erat in principio apud Deum: non vult verbum Deum confiteri. Sed hoc regulâ fidei refellendum est, quâ nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur, vt dicamus, *Et Deus erat verbum*: deinde subiungamus, *Hoc erat in principio apud Deum.* Illa verò distinctionis ambiguitas neutra parte resistit fidei, & ideo textu ipso sermonis diiudicanda est, vbi ait Apostolus, *Et quid eligam ignoro, compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo: multò enim magis optimum, manere in carne necessarium propter vos.* Incertum enim est vtrum ex duobus concupiscentiam habens, an compellor autem ex duobus, vt illud adiungatur, concupiscentiam habens dissolui, & esse cum Christo. Sed quoniam ita sequitur, *Multò enim magis optimum*, apparet eum eius optimi dicere se habere concupiscentiam, vt cùm ex duobus compellatur, alterius tamen Ioh. 1. 1. Phil. 1. 22. 23.

habeat concupiſcentiam, alterius neceſſitatem: concupiſcentiam ſcilicet eſſe cum Chriſto, neceſſitatem manere in carne. Quæ ambiguitas vno conſequenti verbo diiudicatur, quod poſitum eſt, *enim*: quam particulam qui abſtulerunt interpretes, illa potiùs ſententia ducti ſunt, vt non ſolùm compelli ex duobus, ſed etiam duorum habere concupiſcentiam videretur. Sic ergo diſtinguendum eſt: *Et quid eligam ignoro, compellor autem ex duobus*: quam diſtinctionem ſequitur, *concupiſcentiam habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Et tanquam quæreretur, quare huius rei potiùs habeat concupiſcentiam? *Multò enim magis optimum*, inquit. Cur ergo è duobus compellitur? Quia eſt manendi neceſſitas quàm ita ſubiecit, *Manere in carne neceſſarium propter vos*. Vbi autem neque præſcripto fidei, neque ipſius ſermonis textu ambiguitas explicari poteſt, nihil obeſt ſecundùm quamlibet earum quæ oſtenduntur ſententiam diſtinguere. Veluti eſt illa ad Corinthios: *Has ergo promiſſiones habentes, chariſſimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini: capite nos, nemini nocuimus.* Dubium eſt quippe vtrum mundemus nos ab omni coinquinatione carnis & ſpiritus, ſecundùm illam ſententiam, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu: an mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, vt alius ſit ſenſus, *Et ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Domini: capite nos.* Tales igitur diſtinctionum ambiguitates, in poteſtate legentis ſunt.

2. Cor. 7.1.

CAP. III. *Diſtinctio in pronunciando.*

QVÆCVNQVE autem de ambiguis diſtinctionibus diximus, eadem obſeruanda ſunt & in ambiguis pronunciationibus. Nam & ipſæ niſi nimia lectoris vitientur incuria: aut regulis fidei corriguntur, aut præcedentis vel conſequentis contexione ſermonis: aut ſi neutrum horum adhibetur ad correctionem, nihilominus dubiæ remanebunt, vt quolibet modo lector pronunciauerit, non ſit in culpa. Niſi enim fides reuocet, qua credimus Deum non accuſaturum aduerſus electos ſuos, & Chriſtum non condemnaturum electos ſuos, poteſt illud ſic pronunciari: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Vt hanc interrogationem quaſi reſponſio ſubſequatur: *Deus qui iuſtificat.* Et iterum interrogetur: *Quis eſt qui condemnat?* Et reſpondeatur: *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt.* Quod credere quia dementiſſimum eſt, ita pronunciabitur,

Rom. 8.33. 34.

vt præcedat percontatio, sequatur interrogatio.

Inter percontationem autem & interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quòd ad percontationem multa responderi possunt: ad interregarionem verò, aut non, aut etiam. Pronunciabitur ergo ita, vt post percontationem qua dicimus, *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Illud quod sequitur sono interrogantis enuncietur, *Deus qui iustificat?* vt tacitè respondeatur, non. Et item percontemur, *Quis est qui condemnat?* rursúsque interrogemus, *Christus Iesus qui mortuus est: magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis?* vt vbique tacitè respondeatur, Non. At verò illo loco vbi ait, *Quid ergo dicemus? quia gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam:* nisi post percontationem qua dictum est, *Quid ergo dicemus?* responsio subiiciatur, *Quia gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam:* textus consequens non cohærebit. Qualibet autem voce pronuncietur illud quod Nathanael dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse:* siue affirmantis, vt illud solùm ad interrogationem pertineat quod ait, *A Nazareth:* siue totum cum dubitatione interrogantis, non video quomodò discernatur: vterque autem sensus fidem non impedit.

Rom.9. 10.

Ioh.1. v. 46.

Est etiã ambiguitas in sono dubio syllabarũ, & hæc vtique ad pronunciationem pertinens. Nam quod scriptum est, *Non est absconditum à te os meum quod fecisti in abscondito*, non elucet legenti vtrum correpta litera os pronunciet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa: si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione diiudicantur: nam in Græco non στόμα, sed ὀστέον positum est. Vnde plerumque loquendi consuetudo vulgaris vtilior est significandis rebus, quàm integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici, *Non est absconditum à te ossum meum*, quàm vt ideo esset minus apertum, quia magis Latinum est. Sed aliquando dubius syllabæ sonus etiam vicino verbo ad eandem sententiam pertinente diiudicatur. Sicut est illud Apostoli: *Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Si tantummodò dixisset, *Quæ prædico vobis*, neque subiunxisset, *Sicut prædixi*, non nisi ad codicem præcedentis linguæ recurrendum esset, vt cognosceremus vtrum in eo quod dixit, *præ-*

Psal.138. 15.

Gal. 5. 21.

dico, producenda an corripienda esset media syllaba: nunc autem manifestum est producendam esse. Non enim ait, sicut prædicaui, sed sicut prædixi.

CAP. IV. *Ambiguitas sermonis qua ratione expediatur.* 2. Thess. 3. 7.

NON solùm autem istæ, sed etiam illæ ambiguitates quæ non ad distinctionem vel ad pronunciationem pertinent, similiter considerandæ sunt, qualis illa est ad Thessalonicenses, *Propterea consolati sumus fratres in vobis.* Dubium est enim vtrū ô fratres, an hos fratres. Neutrum autem horum est contra fidem: sed Græca lingua hos casus pares non habet, & ideo illâ inspectâ renunciatur vocatiuus, id est ô fratres. Quod si voluisset interpres dicere, *propterea consolationem habuimus fratres in vobis:* minus seruitum esset verbis, sed minus de sententia dubitaretur: aut certè si adderetur, *nostri*, nemo fere ambigeret vocatiuum esse casum, cum audiret: Propterea consolati sumus fratres nostri in vobis. Sed iam hoc periculosiùs permittitur. Ita factum est in illa ad Corinthios, cùm ait Apostolus: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu.* Ait enim quidam interpres: *Quotidie morior, per vestram iuro gloriam:* quia in Græco vox iurantis manifesta est sine ambiguo sono. Rarissimè igitur & difficillimè inueniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantùm ad libros diuinarū scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut precedentis linguæ soluat inspectio.

1. Cor. 15. 31.

CAP. V. *Figuratus sermo si intelligatur, illustrat Scripturā.* 2. Cor. 3. 6.

SED verborum translatorum ambiguitates, de quibus deinceps loquendum est, non mediocrem curam industriámque desiderant. Nam in principio cauendum est, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Et ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus: *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Cum enim figuratè dictum sic accipitur, tanquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors animæ congruentiùs appellatur; quàm cùm id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est intelligentia carni subiicitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam, translata verba sicut propria tenet: neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem. Sed si sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi vnum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur. Et cùm audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis peco-

rum terrenísque fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse.

QVÆ tamen seruitus in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more distabat, quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quamquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus obseruarent, nescientes quò referrentur, id tamen insitum habebant, quòd tali seruitute vni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pædagogo paruulorum fuisse scribit Apostolus. Et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cùm iam tempus reuelationis eorum venisset, ferre non potuerunt: atque inde calumnias, quòd sabbato curaret, moliti sunt principes eorum: populusque signis illis tanquam rebus astrictus, non credebat Deum esse: vel à Deo venisse, qui ea sicut à Iudæis obseruabantur, nollet attendere. Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, satis ostenderunt quanta vtilitas fuerit eo modo sub pædagogo custodiri, vt signa quæ temporaliter imposita erant seruientibus, ad vnius Dei cultum, qui fecit cœlum & terram, opinionem obseruantium religarent. Namque illi quia proximi spiritalibus fuerunt, in ipsis enim temporalibus & carnalibus vocibus * atque signis, quamuis quomodò spiritaliter essent intelligenda, nescirent; quia vnum tamen didicerant venerari æternum Deum, tam capaces extiterunt Spiritus sancti, vt omnia sua venderent, eorúmque precium indigentibus distribuendum, ante Apostolorum pedes ponerent, séque totos dedicarent Deo tanquam templum nouum, cuius terrenæ imagini, hoc est templo veteri seruiebant. Non enim hoc vllas ecclesias gentium fecisse scriptum est, quia non tam propè inuenti erant qui simulacra manufacta deos habebant.

Cap. VI. Seruitus legis.

Gal. 3. 24.

Matt. 12. 2. Luc. 6. 7.

al * votis.

ET si quando aliqui eorum illa tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandámque referebant. Quid enim mihi prodest simulacrum, verbi gratia, Neptuni, non ipsum habendum Deum, sed eo significari vniuersum mare, vel etiam omnes aquas cæteras, quæ fonti-

Cap. VII. De cultoribus simulacrorum & creaturarum.

* Claudiano. bus proruunt: ſicut à quodam poëta * illorum deſcribitur: ſi bene recolo, ita dicente,

Tu Neptune pater, cui tempora cana crepanti
Cincta ſalo reſonant, magnus cui perpete mento
Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Hæc ſiliqua intra dulce tectorium ſonantes lapillos quatit. Non eſt autem hominum, ſed porcorum cibus. Nouit quid dicam, qui Euangelium nouit. Quid ergo mihi prodeſt quòd Neptuni ſimulacrum ad illam ſignificationem refertur, niſi fortè vt neutrum colam? Tam enim mihi ſtatua quælibet, quàm mare vniuerſum, non eſt Deus. Fateor tamen altiùs demerſos eſſe, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei. Sed nobis vnus diligendus & colendus Deus præcipitur, qui fecit hæc omnia, quorum illi ſimulacra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam ſigna & imagines Deorum. Si ergo ſignum vtiliter inſtitutum pro ipſa re ſequi, cui ſignificandæ inſtitutum eſt, carnalis eſt ſeruitus, quantò magis inutilium rerum ſigna inſtituta pro rebus accipere? Quæ ſi retuleris ad ea ipſa quæ his ſignificantur, eiſque colendis animum obligaueris, nihilominus ſeruili carnalique onere atque velamine non carebis.

Cap. VIII. *Chriſtiani ſigna interpretantur.* QVAMOBREM Chriſtiana libertas eos, quos inuenit ſub ſignis vtilibus tanquam propè inuentos, interpretatis ſignis quibus ſubditi erant, eleuatos ad eas res, quarum illa ſigna ſunt, liberauit. Ex his factæ ſunt Eccleſiæ ſanctorum Iſraëlitarum. Quos autem inuenit ſub ſignis inutilibus, non ſolùm ſeruilem operationem ſub talibus ſignis, ſed etiam ipſa ſigna fruſtrauit remouítque omnia, vt à corruptione multitudinis ſimulatorum Deorum, quam ſæpe ac propriè Scriptura fornicationem vocat, ad vnius Dei cultum gentes conuerterentur, nec ſub ipſis iam ſignis vtilibus ſeruituræ, ſed exercitaturæ potiùs animum in eorum intelligentia ſpiritali.

Cap. IX. *De ſignis Iſraëlitarũ Chriſtianorum.* SVB ſigno enim ſeruit qui operatur aut veneratur aliquam rem ſignificantem, neſciens quid ſignificet, qui verò aut operatur, aut veneratur vtile ſignum diuinitùs inſtitutum, cuius vim ſignificationémque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & tranſit, ſed illud potiùs quo talia cuncta referenda ſunt. Talis autem homo ſpiritalis & liber eſt, etiam tempore ſeruitutis, quo carnalibus animis nondum oportet ſigna illa reuelari,

reuelari, quorum iugo edomandi sunt. Tales autem spiritales erant Patriarchæ ac Prophetæ, omnésque in populo Israël per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministrauit. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri IESV CHRISTI manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum quæ iam intelligimus operatione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini Quæ vnusquisque cùm percipit quò referantur imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spiritali potiùs libertate veneretur. Vt autem literam sequi & signa pro rebus quæ iis significantur accipere seruilis infirmitatis est, ita inutiliter signa interpretari malè vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem, vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere.

Cap. x. *Quæ vt figuratè dicta, sint accipienda.*

HVIC autem obseruationi qua cauemus figuratam locutionem, id est translatam quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur priùs modus inueniendæ locutionis, propriáne an figurata sit. Et iste omnino modus est, vt quidquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodū se sentit ad dilectionē Dei & proximi cognitionémque proficere. De quibus omnibus primo libro dictum est. Sed quoniam procliue est humanum genus, non ex momentis ipsius libidinis, sed potiùs suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque vt quisque hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ suæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare consueuerunt, & ea tantùm probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum cum quibus viuit admittit: eóque contingit, vt si quid Scriptura vel præceperit quod

abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpauerit, si animum eorum iam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autem præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.

Item si animum præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis & futuris & præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænunciatio, præsentium demonstratio. Sed omnia hæc ad eandem charitatem nutriendam atque corroborandam, & cupiditatem vincendam atque extinguendam valent. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autē motum animi ad fruendum se & proximo & quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus suum *, flagitium vocatur. Quod autem agit vt alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum, sed flagitia priora sunt. Quæ cùm exinaniuerint animum, & ad quandam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quibus remoueantur impedimenta flagitiorum aut adiumenta quærantur. Item quod agit charitas quo sibi prosit, vtilitas est: quod autem agit vt prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hinc præcedit vtilitas, quia nemo potest ex eo quod non habet prodesse alteri. Quantò autem magis regnum cupiditatis destruitur, tantò charitatis augetur.

al. * corporis sensum.

Cap. xi. *Quæ ad euellendam cupiditatē, quæque ad inferendam charitatem faciant.*

QVICQVID ergo asperum & quasi sæuum factu dictúque in sanctis scripturis legitur ex persona Dei vel Sanctorum eius, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quòd si perspicuè sonat, non est ad aliud referendum quasi figuratè dictū sit. Sicuti est illud Apostoli: *Thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera sua, iis quidem qui secundùm sustinentiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æternam: iis autem qui ex contentione sunt, & diffidunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci.* Sed hoc ad eos, cum quibus euertitur ipsa cupiditas, qui eam vincere

Rom. 2. 5.

noluerũt. Cùm autẽ in homine cui dominabantur, regna cupiditatis subuertuntur, illa est aperta locutio: *Qui autem* IESV CHRISTI *sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Nisi quia & hîc quædam verba translata tractantur, sicuti est, *ira Dei*, &, *crucifixerunt*. Sed non tam multa sunt vel ita posita, vt obtegant sensum & allegoriam, vel ænigma faciant, quam propriè figuratam locutionem voco. Quod autem Hieremiæ dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas & dissipes:* non dubium quin figurata locutio tota sit, ad eum finem referenda quem diximus. Gal. 5. 24. Hier. 1. 10.

QVÆ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, siue tantùm dicta, siue etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt, quorum ad charitatis pastum enucleanda secreta sunt. Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictiùs vtitur quàm sese habent mores eorum cum quibus viuit, aut temperans aut superstitiosus est: quisquis verò sic eis vtitur, vt metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est. Neque enim vllo modo quisquam sobrius crediderit Domini pedes ita vnguento precioso à muliere perfusos, vt luxuriosorum & nequam hominum solent, quorum talia conuiuia detestamur. Odor enim bonus, bona fama est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius preciosissimo odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in diuina vel prophetica persona magnæ cuiusdam rei signum est. Alia quippe est in perditis moribus, alia in Oseæ Prophetæ vaticinatione coniunctio meretricis. Nec si flagitiosè in conuiuiis temulentorum & lasciuorum nudantur corpora, propterea in balneis nudum esse, flagitium est. Cap. XII. Facta iudicantur ex circumstantiis. Oseæ 1.

Quid igitur locis & temporibus personisque conueniat, diligenter attendendum est, ne temerè flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis preciosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum ardescat. Et saniùs quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticulâ more Esau.

nepotis Abraham, aut hordeo more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiuscemodi rebus non ex earum rerum natura quibus vtimur, sed ex causa vtendi & modo appetendi vel probandum est, vel improbandum quod facimus. Regno terreno veteres iusti cœleste regnum imaginabantur, & prænunciabant. Sufficiendæ prolis causâ erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo, & ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fœcundior, sed meretricia potiùs turpitudo est, vel quæstum vel liberos vulgò quærere. In huiuscemodi moribus quicquid illorum temporum sancti non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quicquid ibi tale narratur, non solùm historicè ac propriè, sed etiam figuratè ac propheticè acceptum, interpretandum est vsque in finem illum charitatis, siue Dei, siue proximi, siue vtriusque. Sicut enim talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honesto loco natis, cùm tunicati sunt, non eas habere flagitium est: sic animaduertendum est in cætero quoque vsu rerum abesse oportere libidinem: quæ non solùm ipsa eorum inter quos viuit consuetudine nequiter abutitur: sed etiam sæpe fines eius egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solennium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.

Cap. XIII. Omnia ad proximi vtilitatem referenda.

QVICQVID autem congruit consuetudini eorum, cum quibus vita ista degenda, vel necessitate imponitur, vel officio suscipitur, à bonis & magnis hominibus ad vtilitatem & beneficentiam referendum est, vel propriè, sicut & nos debemus, vel etiam figuratè, sicut Prophetis licet.

Cap. XIV. Consuetudinem non esse iustitiam.

IN quæ facta legenda cùm incurrũt indocti alterius cõsuetudinis, nisi auctoritate reprimantur, flagitia putant, nec possunt animaduertere totã conuersationẽ suam, vel in cõiugiis, vel in conuiuiis, vel in vestitu, cæteróque humano victu atque cultu, aliis gentibus & aliis temporibus flagitiosã videri. Qua varietate innumerabilium consuetudinum commoti quidam dormitantes, vt ita dicam, qui neque alto somno stultitiæ sopiebantur, nec in sapientiæ lucem poterant euigilare, puta-

uerunt nullam esse iustitiam per seipsam, sed vnicuique genti consuetudinem suam iustam videri: quæ cùm sit diuersa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere iustitia, fieri manifestum, nullam vsquam esse iustitiam: non intellexerunt, ne multa commemorem, quod tibi fieri non vis, alij ne feceris, nullo modo posse vlla eorum gentili diuersitate variari. Quæ sententia cùm refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur: cùm ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum, non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi à quoquam noceri: nec ipse igitur cuiquam nocuerit.

Sic euersa tyrannide cupiditatis, charitas regnat iustissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui & proximi propter Deum. Seruabitur ergo in locutionibus figuratis regula huiusmodi, vt tamdiu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Cap. xv. *Charitas finis scripturæ.*

Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis:* facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Ait Scriptura: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Hîc nullo dubitante beneficentiam præcipit. Sed quod sequitur: *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius:* maleuolentiæ facinus putes iuberi. Ne igitur dubitaueris figuratè dictum: & cùm possit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præstandum, ad beneficentiam te potiùs charitas reuocet, vt intelligas carbones ignis esse vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius qui dolet se inimicum fuisse hominis à quo eius miseriæ subuenitur. Item cùm ait Dominus: *Qui amat animam suam perdet eam:* non vtilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conseruare Cap. xvi. *Vbi figura subsit, vbi non.* Ioan. 6. 53. Prou. 25. 21. Rom 12. 20. Ioh 12. 25.

animam suam: sed figuratè dictum, *perdet animam*, id est, perimat atque amittat vsum eius quem nunc habet, peruersum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, vt
Eccl. 12. 3. terna non quærat. Scriptum est: *Da misericordiam, & ne suscipias peccatorem.* Posterior pars huius sententiæ videtur vetare beneficentiam. Ait enim, *ne suscipias peccatorem.* Intelligas enim figuratè positum pro peccato peccatorem, vt peccatum eius non suscipias.

Cap. XVII. *Non omnia præcipi omnibus.* SÆPE autem accidit, vt quisquis in meliori gradu spiritualis vitæ vel est, vel esse se putat, figuratè dicta esse arbitretur, quæ inferioribus gradibus præcipiuntur: vt verbi gratia, si cœlibem amplexus est vitam, & se castrauit propter regnum cœlorum, quicquid de vxore diligenda & regenda sancti libri præcipiunt, non propriè, sed translatè accipi oportere contendat. Et quisquis statuit seruare innuptam virginem suam, tanquam figuratam locutionem conetur interpretari
Eccl. 7. 27. qua dictum est: *Trade filiam, & grande opus perfeceris.* Erit igitur etiam hoc in obseruationibus intelligendarum Scripturarum, vt sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum, vt non solùm ad vniuersum statum valetudinis, sed etiam ad suam cuiusque membri propriam infirmitatem medicina pertineat. In suo quippe genere curandum est, quod curandum est, quod ad melius genus non potest erigi.

Cap. XVIII. *Quo tempore quid præceptum sit considerandum.* ITEM [cau]endum est ne fortè quod in Scripturis veteribus pro illorum temporum conditione, etiamsi non figuratè sed propriè intelligatur, non est flagitium neque facinus, ad ista etiam tempora quis putet in vsum vitæ posse transferri: quod nisi dominante cupiditate, & ipsarum quoque Scripturarum quibus euertenda est satellitium quærente non faciet: nec intelliget miser ad hanc vtilitatem illa sic esse posita, vt spei bonæ homines salubriter videant, & consuetudinem quam aspernantur posse habere vsum bonum, & eam quam amplexantur esse posse damnabilem, si & ibi charitas vtentium, & hîc cupiditas attendatur? Nam si multis vxoribus castè vti quisquā pro tempore potuit, potest alius vnâ libidinosè. Magis enim probo multarum fœcunditate vtentem propter aliud, quàm vnius carne fruentem propter ipsam. Ibi enim quæritur vtilitas temporum opportunitatibus congrua, hic satiatur cu-

piditas temporalibus voluptatibus implicata. Inferiorisque gradus ad Deum sunt quibus secundùm veniam concedit Apostolus carnalem cum singulis coniugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum, quàm illi qui plures singuli cùm haberent, sicut sapiens in cibo & potu, non nisi salutem corporis, sic in concubitu non nisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque si eos in hac vita inuenisset Domini aduentus, cùm iam non mittendi sed colligendi lapides tēpus esset, statim seipsos castrarent propter regnum cœlorum. Non enim est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas. Nouerant quippe illi homines etiam in ipsis coniugibus luxuriam esse abutendi intemperantiam, quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus vxori. Ait enim, *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & benedictum nomen tuum in omnia secula seculorum, benedicant te cæli & omnis creatura tua, tu fecisti Adam, & dedisti illi adiutorium Euam. Et nunc Domine tu scis, quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam, sed ipsa veritate vt miserearis nostri Domine.*

1. Cor. 7. c.

Tob. 8. 5. 6 7.

SED qui effrœnata libidine, vel per multa stupra diffluentes euagantur, vel in ipsa vna coniuge, non solùm excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam inhumanioris intemperantiæ sordes inuerecunda omnino licentia seruilis cuiusdam libertatis accumulant, non credunt fieri potuisse, vt temperanter multis fœminis antiqui vterentur viri, nihil seruantes in vsu illo nisi congruum tempori propagandæ prolis officium: & quod ipsi laqueis libidinis obstricti, vel in vna non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur. Sed isti possunt dicere, ne honorari quidem atque laudari oportere viros bonos & sanctos, quia ipsi, cùm honorantur atque laudantur intumescunt superbia, tantò auidiores inanissimæ gloriæ, quantò eos frequentiùs atque latiùs lingua blandior ventilauerit: qua ita leues fiunt, vt eos rumoris aura, siue quæ prospera, siue quæ aduersa existimatur, in quaslibet inuehat voragines flagitiorum, aut in facinorum etiam saxa collidat. Videant ergo quàm sibi arduum sit atque difficile, nec laudis esca illici, nec contumeliarum aculeis penetrari, & non ex se alios metiantur.

Cap. XIX. *Mali alios de suo astimant ingenio.*

CREDANT potiùs Apostolos nostros nec cùm suspicerentur ab hominibus inflatos fuisse, nec cùm despicerentur eli-

Cap. XX. *In quaenis viuendi ra-*

tiene boni sui sunt similes.

fos. Neutra quippe tentatio defuit illis viris. Nam & credentium celebrabantur præconio, & persequentium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tempore vtebantur his omnibus & non corrumpebantur: sic illi veteres vsum fœminarum ad sui temporis conuenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui seruiunt qui ista non credunt. Et ideo isti sese nullo modo cohiberent ab inexpiabili filiorum odio à quibus vel vxores vel concubinas suas attentatas, aut attrectatas esse cognoscerent, si eis fortè tale aliquid accidisset.

Cap. XXI. Adulteriũ Dauid.

REX autem Dauid cùm hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solùm ferocientem tolerauit, sed etiam planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo iniuriæ suæ, sed peccata filii commouebant. Nam ideo si vinceretur, eum occidi prohibuerat, vt edomito seruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in eius interitu, sed quia nouerat in quas pœnas tam impiè adultera & parricidalis anima raperetur. Namque alio priùs filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est. Ex hoc maximè apparet qua moderatione ac temperantia illi viri fœminis vtebantur, quòd cùm in vnam illicitè irruisset Rex idem æstu quodam ætatis & temporalium rerum prosperitatibus abreptus, cuius etiam maritum occidendum præceperat, accusatus est per Prophetam: qui cùm ad eum venisset conuincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere qui habebat ouem vnam, cuius vicinus cùm haberet multas, ad aduentum hospitis sui vnicam potiùs vicini pauperis ouiculam exhibuit epulandam. In quem commotus Dauid occidi eum iussit, & quadruplicari ouem pauperi, vt se nesciens condemnaret, qui peccauerat sciens. Quod cùm ei manifestatum esset, & diuinitus denunciata vindicta, diluit pœnitendo peccatum. Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodò designatum est de oue vicini pauperis: de marito autem mulieris interempto, hoc est de ipso paupere, qui vnam habebat ouem, occiso, non est per similitudinem interrogatus Dauid, vt in solo adulterio disceret sententiam damnationis suæ. Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de vna in qua excessit modum à seipso puniri coactus est.

est. Sed quia in isto viro immoderatæ huius libidinis, non permansio, sed transitus fuit, propterea etiã ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. Non enim dixit eum Regi suo, sed hospiti suo, vicini pauperis ouem ad epulandum exhibuisse. At verò in eius filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit. De quo Scriptura non tacuit, culpans eum fuisse amatorẽ mulierum. Cuius tamen initia desiderio sapientiæ flagrauerant, quam cùm amore spiritali adeptus esset, amore carnali amisit.

Ergo quanquam omnia vel penè omnia quæ in Veteris Testamenti libris gesta continentur, non solùm propriè, sed etiam figuratè accipienda sint: tamen etiam illa quæ propriè lector acceperit, si laudati sunt illi qui ea fecerunt, sed ea tamen abhorrent à consuetudine bonorum, qui post aduentum Domini diuina præcepta custodiunt, figuram ad intelligentiam referat, factum verò ipsum ad mores non transferat. Multa enim sunt quæ illo tempore officiosè facta sunt, quæ modò nisi libidinosè fieri non possunt. Cap. XXII. *Non eadem ratio veteris & nouæ legis.*

Si qua verò peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere atque indagare potuerit: rei tamen gestæ proprietatem ad hunc vsum assumat, vt se nequaquam recte suis factis iactare audeat, & præ sua iustitia cæteros tanquam peccatores contemnat, cùm videat tantorum virorum & cauendas tempestates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum scripta sunt, vt apostolica illa sententia vbique tremenda sit, qua ait, *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat.* Nulla enim fere pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cap. XXIII. *Sancti quare sint lapsi.* 1. Cor. 10. 12.

Maxime itaque inuestigandum est, verum propria sit, an figurata locutio quam intelligere conamur. Nam comperto quòd figurata sit, adhibitis regulis rerum quas in primo libro digessimus, facile est eam versare omnibus modis, donec perueniamus ad sententiam veritatis, præsertim cùm vsus accesserit pietatis exercitatione roboratus. Inuenimus autem vtrum propria sit an figurata locutio, illa intuentes quæ suprà dicta sunt. Cap. XXIV. *Ante omnia considerandum genus locutionis.*

Quod cùm apparuerit, verba quibus continetur, aut Cap. XXV. *Idem ver-*

bum non idem significat vbique.

à similibus rebus ducta inuenientur, aut ab aliqua vicinitate attingentibus. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam semper significare credamus. Nam & in vituperatione

Matth. 16. 11.

fermentum posuit Dominus cùm diceret: *Cauete à fermento Pharisæorum:* & in laude cùm diceret, *Simile est regnum cælorum mulieri quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ donec fermentaretur totum.* Huius igitur varietatis obseruatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, vt aut contraria aut tantummodò diuersa significent. Contraria scilicet, cùm aliàs in bono, aliàs in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est quod de fermento suprà diximus. Tale est etiam

Luc. 13. 21.

Apoc. 5. 5.

quòd leo significat Christum, vbi dicitur, *Vicit leo de tribu Iuda:* significat & diabolum, vbi scriptum est, *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.* Ita serpens in bono est: *Astuti vt serpentes:* in malo autem, *Serpens Euam seduxit astutiâ suâ.* In bono panis: *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi:* in malo autem, panis: *Panes occultos libenter edite.* Sic & alia plurima. Et hæc quidem quæ commemoraui minimè dubiam significationem gerunt, quia exempli gratia cõmemorari non nisi manifestissima debuerunt. Sunt autem quæ incertum sit in quam

1. Pet. 5. 8.

Matth. 10. 16.

2. Cor. 11. 3.

Ioh. 6. 51.

Prov. 9. 17.

Psal. 74. 9.

partem accipi debeant; sicut: *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto.* Incertum est enim vtrum iram Dei significet non vsque ad nouissimam pœnam, idest vsque ad fecem: an potiùs gratiam scripturarum à Iudæis ad Gentes transeuntem, quia inclinauit ex hoc in hoc, remanentibus apud Iudæos obseruationibus quas carnaliter sapiunt, quia fex eius non est exinanita. Cùm verò res eadem non in contraria, sed tãtùm in diuersa significatione ponitur, illud est in exemplũ, quòd aqua & populum significat, sicut in Apoca-

Apoc. 17. 15.

lypsi legimus, & Spiritum sanctum, vnde est illud: *Flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius:* & si quid aliud atque aliud, pro locis in quibus ponitur, aqua significare intelligitur. Sic & aliæ res non singulæ, sed vnaquæque earum non solùm duo aliqua diuersa, sed etiam nonnunquam multa significat, pro loco sententiæ, sicut posita reperitur.

Ioh. 7. 38.

VBI autem apertiùs ponuntur, ibi discendum est quomodò in locis intelligantur obscuris. Neque enim meliùs potest intelligi quod dictum est Deo: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi*: quàm ex illo loco vbi legitur: *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Nec tamen ita vt iam vbicunque scutum pro aliquo munimento legerimus positum, non accipiamus nisi bonam voluntatem Dei. Dictum est enim: *Et scutum fidei in quo possitis*, inquit, *omnes sagittas maligni ignitas extinguere.* Nec rursum ideò debemus in armis huiuscemodi spiritalibus scuto tantummodò fidem tribuere, cùm alio loco etiam lorica dicta sit fidei: *Induti*, inquit, *loricam fidei & charitatis.*

Cap. XXVI. *Obscura locis apertioribus explicanda.* Psal. 34. 2. Psal. 5. 13. Eph. 6. 16.

QVANDO autem ex eisdem Scripturæ verbis, non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri potest: id tamen eo conante qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus: siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis quæ fidei rectæ non refragatur exsculpat, testimonium habens à quocunque alio loco diuinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus & ipsam sententiam forsitan vidit, & certè Dei spiritus qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubitatione præuidit, imò vt occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, prouidit. Nam quid in diuinis eloquiis largiùs & vberiùs potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari?

Cap. XXVII. *Eundem locum variè intelligi nihil prohibet.*

VBI autem talis sensus eruitur, cuius incertum certis sanctarum scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cuius verba intelligere quærimus eum fortè non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est. Per Scripturas enim diuinas multò tutiùs ambulatur: quas verbis translatis occupatas cùm scrutari volumus, aut hoc inde exeat quod non habeat controuersiam: aut si habet, ex eadem Scriptura vbicunque inuentis atque adhibitis eius testibus terminetur.

Cap. XXVIII. *Humanis rationibus non fidendum.*

Cap. xxix. *Cognitio troporum necessaria.*

SCIANT autem literati, modis omnibus locutionis, quos Grammatici Græco nomine tropos vocant, auctores nostros vsos fuisse, & multipliciùs atque copiosiùs quàm possunt existimare vel credere, qui nesciunt eos & in aliis ista didicerunt. Quos tamen tropos qui nouerunt, agnoscunt in literis sanctis, eorúmque scientiâ ad eas intelligendas aliquantum adiuuantur. Sed hîc eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Extrà sanè vt discantur admoneo, quamuis iam superiùs id admonuerim, id est in secundo libro, vbi de linguarum necessaria cognitione disserui. Nam literæ à quibus ipsa grammatica nomen accepit, γράμματα enim Græci literas vocant, signa vtique sonorum sunt ad articulatam vocem qua loquimur pertinentium. Istorum autem troporum, non solum exempla omnium, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamuis penè omnes ij tropi qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammaticos audierunt, & eo quo vulgus vtitur sermone contenti sunt. Quis enim non dicit, sic floreas? Qui tropus metaphora vocatur. Quis non dicit, piscinam etiam quæ non habet pisces, nec facta est propter pisces, & tamen à piscibus nomen accepit? Qui tropus catachresis dicitur. Longum est isto modo cæteros persequi: nam vsque ad illos peruenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quàm dicitur significant, sicuti est quæ appellatur ironia vel antiphrasis. Sed ironia pronunciatione indicat quid velit intelligi, vti cùm dicimus homini mala facienti, res bonas facis. Antiphrasis verò, vt contraria significet, non voce pronunciantis efficitur: sed aut verba habet sua quorum origo contraria est, sicut appellatur lucus, quod minimè luceat: aut consueuit aliquid ita dici, quamuis dicatur etiam non è contrario: veluti cùm quærimus accipere quod ibi non est, & respondetur nobis, abundat: aut adiunctis verbis facimus vt à contrario intelligatur quod loquimur, veluti si dicamus, caue illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit, indoctus, nec omnino sciens qui * sint: vel quid vocentur hi tropi? Quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissoluendis est necessaria, quia cùm sensus ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quærendum est

al * quid

vtique ne fortè illo vel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus: & sic pleráque inuenta sunt quæ latebant.

Cap. XXX. Regulæ Ticonii cuiusdam.

TICONIVS quidam qui contra Donatistas inuictissimè scripsit, cùm fuerit Donatista, & illic inuenitur absurdissimi cordis, vbi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum quem Regularum vocauit, quia in eo quasdam septem regulas executus est, quibus quasi clauibus diuinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit de Domino & eius corpore: secundam de Domini corpore bipartito: tertiam de promissis & lege: quartam de specie & genere: quintam de temporibus: sextam de recapitulatione: septimam de diabolo & eius corpore. Quæ quidem considerata, sicut ab illo aperiuntur, non parùm adiuuant ad penetranda quæ tecta sunt diuinorum eloquiorum. Nec tamen omnia, quæ ita scripta sunt, vt non facilè intelligantur, possunt his regulis inueniri, sed aliis modis pluribus quos hoc numero septenario vsque adeò non est iste complexus, vt idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus est. Neque enim aliquid illic tale versatur aut quæritur. Sicut in Apocalypsi Ioannis quærit, quemadmodum intelligendi sint Angeli Ecclesiarum septem quibus scribere iubetur, & ratiocinatur multipliciter, & ad hoc peruenit vt ipsos Angelos intelligamus Ecclesias. In qua copiosissima disputatione, nihil istarum est regularum, & vtique res illic obscurissima quæritur, quod exempli gratia satis dictum sit. Nam colligere omnia nimis longum & nimis operosum est, quæ ita obscura sunt in Scripturis canonicis, vt nihil istorum septem ibi requirendum sit. Iste autem cùm has velut regulas commendaret, tantum eis tribuit, quasi omnia quæ in lege, id est in diuinis libris obscurè posita inuenerimus, his bene cognitis atque adhibitis intelligere valeamus. Ita quippe exorsus est eundem librum vt diceret: Necessarium duxi ante omnia quæ mihi videntur libellum regularum scribere, & secretorum legis veluti claues & luminaria fabricare. Sunt enim quædam regulæ mysticæ quæ vniuersæ legis recessus obtinent, & veritatis thesauros aliquibus inuisibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine inuidia vt communicamus accepta fuerit, clausa quæque patefient, & obscura dilucidabuntur, vt quisque prophetiæ immensam syluam „

Apoc. 1. 20.

„ perambulans, his regulis quodammodò quasi lucis tramiti-
„ bus deductus ab errore defendatur. Hic si dixisset; Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ nonnullos legis recessus obtinent, aut certè quæ legis magnos recessus obtinent: non autem quod ait, vniuersæ legis recessus: neque dixisset, clausa quæque patefient: sed, clausa multa patefient, verum dixisset: nec tam elaborato atque vtili operi suo plus quàm res ipsa postulat dando, in spem falsam lectorem eius cognitorémque misisset. Quod ideo dicendum putaui, vt liber ipse & legatur à studiosis, quia plurimùm adiuuat ad Scripturas intelligendas, & non de illo speretur tantum, quantum non habet: cautè sanè legendus est, non solùm propter quædam, in quibus vt homo errauit: sed maximè propter illa quæ sicut Donatista hæreticus loquitur. Quid autem doceant vel admoneant istæ septem regulæ breuiter ostendam.

Hæretici si quid bene dixerunt, legendi, sed cautè.

Cap. xxxi. *Ticonii regula prima.*

Prima de Domino & eius corpore est, in qua scientes aliquando capitis & corporis, id est Christi & Ecclesiæ vnam personam nobis intimari: neque enim frustra dictum est fidelibus: *Ergo Abrahæ semen estis, cùm sit vnum semen Abrahæ, quod est Christus:* non hæsitemus quando à capite ad corpus, vel à corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab vna eademque persona. Vna enim persona loquitur dicens, *Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento:* & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est quid Christo, quid Ecclesiæ conueniat, vtique intelligendum est.

Gal. 3. 29.

Esa. 61. 10.

Cap. xxxii. *Regula secunda.*

Secvnda est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari. Non enim reuera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit, de Domini corpore vero atque permixto: aut vero atque simulato, vel quid aliud: quia non solùm in æternum, verumetiam nunc hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamuis in eius esse videantur Ecclesia. Vnde poterat ista regula & sic appellari, vt diceretur de permixta Ecclesia. Quæ regula lectorem vigilantem requirit, quando Scriptura cùm ad alios iam loquatur, tanquam ad eos ipsos ad quos loquebatur videtur loqui: vel de ipsis cùm de aliis iam loquatur, tanquam vnum sit vtrorumque corpus, propter temporalem commixtionem & communionem sacramentorum. Ad hoc pertinet

in Canticis canticorum: *Fusca sum & speciosa, vt tabernacula Cedar, speciosa sum vt pelles Salomonis.* Non enim ait, Fusca fui vt tabernacula Cedar, & speciosa fui vt pelles Salomonis: sed vtrumque se esse dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia piscium bonorum & malorum. Tabernacula enim Cedar ad Hismaelem pertinent, qui non erit heres cum filio liberæ. Itaque cùm de bona parte Deus dicat: *Ducam cæcos in viam quam non nouerunt, & semitas quas non nouerunt calcabunt, & faciam illis tenebras in lucem, & praua in directum: hæc verba faciam, & non derelinquam eos.* Mox de alia parte quæ malè permixta est, dicit: *Ipsi autem conuersi sunt retrorsum,* quamuis alij iam significentur his verbis. Sed quoniam nunc in vno sunt, tanquam de ipsis loquitur, de quibus loquebatur: non tamen semper in vno erunt. Ipse est quippe ille seruus commemoratus in Euangelio, cuius Dominus cùm venerit diuidet eum, & partem eius cum hypocritis ponet.

Cant. 1. 5. Esa. 42. 16. Mat. 24. 51.

Caput XXXIII. Regula tertia.

TERTIA regula est de promissis & lege, quæ alio modo dici potest de spiritu & litera, sicut nos eam appellauimus, cùm de hac re librum scriberemus. Potest etiam sic dici, de gratia & mandato. Hæc autem magis mihi videtur magna quæstio quàm regula, quæ soluendis quæstionibus adhibenda est. Hæc est autem quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam hæresim, vel auxerunt. Laborauit in ea dissoluenda Ticonius bene, sed non plenè. Disputans enim de fide & operibus, opera nobis dixit à Deo dari merito fidei: ipsam verò fidem sic esse à nobis, vt nobis non sit à Deo. Nec attendit Apostolum dicentem: *Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo.* Sed non erat expertus hanc hæresim: quæ nostro tempore exorta multùm nos, vt gratiam Dei quæ per Dominum nostrum Iesum Christum est aduersus eam defenderemus, exercuit: & secundùm id quod ait Apostolus: *Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis:* multò vigilantiores diligentioresque reddidit: vt adverteremus in Scripturis sanctis, quod istum Ticonium minus attentum, minúsque sine hoste solicitum fugit, etiam ipsam scilicet fidem donum illius esse qui eius mensuram vnicuique partitur. Ex qua sententia quibusdam dictum est, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, verum etiam vt pro eo patiamini.* Vnde quis dubitet vtrumque

Eph. 6. 23. 1. Cor. 11. 19. Rom. 12. 3. Phil. 1. 29.

esse Dei donum, qui fideliter atque intelligenter audit vtrumque donatum? Plura sunt & alia testimonia quibus id ostenditur: sed hoc nunc non agimus, alibi autem atque alibi sæpissimè ista egimus.

Cap. xxxiv. Regula quarta. QVARTA verò Ticonij regula est de specie & genere. Sic enim eam vocant, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cuius ea pars est quam nuncupat speciem: sicut vnaquæque ciuitas pars est vtique vniuersitatis gentium: hanc ille vocat speciem, genus autem omnes gentes. Neque hic ea discernendi subtilitas adhibenda est quæ à dialecticis traditur, qui inter partem & speciem quid intersit acutissimè disputant. Eadem verò ratio est, si non de vnaquaque ciuitate, sed de vnaquaque prouincia vel gente vel regno tale aliquid in diuinis reperiatur eloquiis. Non solùm enim, verbi gratia, de Hierusalem, vel de aliqua gentium ciuitate, siue Tyro, siue Babylone, siue alia qualibet dicitur aliquid in Scripturis sanctis quod modum eius excedat, & conueniat potiùs omnibus gentibus, verumetiam de Iudæa, de Ægypto, de Assyria, & quacunque alia gente in qua sunt plurimæ ciuitates, non tamen totus orbis, sed pars eius est, dicitur quod transeat eius modum, & congruat potiùs vniuerso cuius hæc pars est: vel sicut iste appellat, generi cuius hæc species est. Vnde & in notitiam vulgi verba ista venerunt, vt etiam idiotæ intelligant quid specialiter, quid generaliter in quocunque præcepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus, sicut ea quæ de Salomone dicuntur excedunt eius modum & potiùs ad Christum vel Ecclesiam, cuius ille pars est, relata clarescunt. Nec species semper exceditur: sæpe enim talia dicuntur, quæ vel ei quoque, vel ei fortasse tantummodò apertissimè congruant.

Psal. 71.

Sed cùm à specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, vbi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie quod in genere potest meliùs & certiùs inuenire. Facile quippe est illud quod ait Propheta Ezechiel: *Domus Israel habitauit in terra: & polluerunt illam in via sua, & in idolis suis, & peccatis suis: secundùm immunditiam menstruatæ facta est via eorum ante faciem meam: & effudi iram meam super eos, & dispersi illos inter nationes, & ventilaui eos in regiones, secundùm vias eorum, & secundùm peccata eorum iudicaui eos.* Facile

Ezech. 36. 17.

Facile est, inquam, hoc intelligere de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus: *Videte Israel secundùm carnem:* quia hæc omnia carnalis populus Israel & fecit & passus est. Alia etiã quæ sequuntur eidem intelliguntur populo conuenire. Sed cùm cœperit dicere: *Et sanctificabo nomen meum sanctum, illud magnum quod pollutum est inter nationes, quod polluistis in medio earum, & scient gentes quia ego sum Dominus:* iam intentus debet esse qui legit, quemadmodm species excidatur & adiungatur genus. Sequitur enim & dicit: *Et dum sanctificabor in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducam vos in terram vestram: & aspergam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus simulacris vestris, & mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vos: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum dabo in vos: & faciam vt in iustitiis * meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & faciatis: & habitabitis in terra quam dedi patribus vestris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum: & mundabo vos ex omnibus immunditiis vestris.* Hoc de Nouo Testamento esse prophetatum, ad quod pertinet non solùm vna gens illa in reliquiis suis, de quibus alibi scriptum est: *Si fuerit numerus filiorum Israel, sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient:* verumetiam in cæteras gentes quæ promissæ sunt *patribus eorum qui etiam nostri sunt:* non ambigit quisquis intuetur, & lauacrum regenerationis hîc esse promissum, quod nunc videmus omnibus gentibus redditum: Et illud quod ait Apostolus, cùm noui Testamenti gratiam commendaret, vt in comparatione Veteris emineret: *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus:* hinc esse respicit & perspicit dictum vbi iste Propheta dicit: *Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vos, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Cor quippe carneum, vnde ait Apostolus, *tabulis cordis carnalibus*, à corde lapideo voluit vitam sentientem discerni, & per vitam sentientem significauit intelligentem.

1. Cor. 10. 18.

Ezech. 36. 23.

al. * præceptis.

Esa. 10. 22.

2. Cor. 3. 2.

Ezech. 11. 19. & c. 36. 26.

Sic fit Israël spiritualis, non vnius gentis, sed omnium quæ promissæ sunt patribus in eorum semine quod est Christus. Hic ergo Israël spiritualis ab illo Israël carnali, qui est vnius gentis, nouitate gratiæ, non nobilitate patriæ, & mente, non

gente distinguitur. Sed altitudo prophetica dum de illo vel ad illum loquitur, latenter transit ad hunc: & cùm iam de isto vel ad istum loquatur, adhuc de illo vel ad illum loqui videtur: non intellectum scripturarum nobis quasi hostiliter inuidens, sed exercens medicinaliter cor nostrum. Vnde &

Ezech. 37. 12. & 36. 28. illud quod ait: *Et inducam vos in terram vestram:* & paulò pòst, tanquam idipsum repetens: *Et habitabitis*, inquit, *in terra quam dedi patribus vestris*, non carnaliter sicut carnalis Israel, sed spiritualiter, sicut spiritualis Israël, debemus accipere. Ecclesia quippe sine macula & ruga ex omnibus gentibus con-

Psal. 26. 13. gregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viuentium: ipsa est intelligenda patribus data, quando eis certa & immutabili Dei voluntate promissa est: quoniam ipsa promissionis vel prædestinationis firmitate iam data est, quæ danda suo tempore à patribus credita est, sicut de ipsa gratia quæ sanctis datur, scribens ad Ti-

2. Tim. 1. 9. motheum Apostolus ait: *Non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam quæ data est nobis in Christo* Iesv *ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri.* Datam dixit gratiam, quando nec erant adhuc quibus daretur: quoniam in dispositione ac prædestinatione Dei iam factum erat, quod suo tempore futurum erat, quo esse dicit manifestatam. Quamuis hæc possint intelligi, & de

Apoc. 21. 1. terra futuri seculi, quando erit cœlum nouum & terra noua, in qua iniusti habitare non poterunt. Et ideò rectè dicitur piis, quòd ipsa sit terra eorum, quæ vlla ex parte non erit impiorum: quia & ipsa similiter data est quando danda firmata est.

Cap. xxxv. *Regula quinta.* Qvintam Ticonius regulam ponit, quam de temporibus appellat, quâ regulâ plerunque inueniri vel coniici possit latens in Scripturis sanctis quantitas temporum. Duobus autem modis vigere dicit hanc regulam, aut tropo synecdoche, aut legitimis numeris. Tropus synecdoche, aut à par-

Luc. 9. 28. Matt. 17. 1. & 9. 2. te totum, aut à toto partem facit intelligi: sicut vnus Euangelista post dies octo factum dicit, quod alius post dies sex, quando in monte discipulis tantùm tribus præsentibus, facies Domini vt sol resplenduit, & vestimenta eius sicut nix. Vtrumque enim verum esse non posset, quod de numero dierum dictum est, nisi ille qui dixit, post dies octo, intelligatur

partem nouissimam diei ex quo id Christus prædixit futurum, & partem primam diei quo id ostendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris posuisse: is verò qui dixit, post dies sex, integros omnes & totos, sed solos medios computasse. Hoc modo locutionis quo significatur à parte totum, etiam illa de resurrectione Christi soluitur quæstio. Pars enim nouissima diei, quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est adiuncta etiam nocte præterita, & nox in cuius parte vltima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adiuncto scilicet die illucescente Dominico, non possunt esse tres dies & tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum. Legitimos Mat 12.40. autem numeros dicit, quos eminentiùs diuina Scriptura commendat, sicut septenarium vel denarium vel duodenarium, & quicunque alij sint quos legendo studiosi libenter agnoscunt. Plerunque enim huiusmodi numeri pro vniuerso tempore ponuntur; sicut *Septies in die laudem dixi tibi:* nihil est Psal. 119. v. aliud quàm, Semper laus eius in ore meo. Tantundem valent, 164. & cùm multiplicantur siue per denarium, sicut septuaginta & septingenti, vnde possunt & septuaginta anni Hieremiæ pro vniuerso tempore spiritaliter accipi, quo est apud alienos Ecclesia, siue per seipsos, sicut decem per decem, centum sunt: & duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor, quo numero significatur vniuersitas sanctorum in Apocalypsi. Vnde apparet non solas temporum quæstiones istis numeris esse soluendas: sed latiùs patere significationes eorum & in multa proserpere. Neque enim numerus iste in Apocalypsi ad tempora pertinet, sed ad homines.

Caput XXXVI. *Ordo narrationis inversus, qua ratione explicetur.*

SEXTAM regulam Ticonius recapitulationem vocat in obscuritate Scripturarum satis vigilanter inuentam. Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cùm ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio reuocetur. Quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur. Sicut in Genesi: *Et plantauit*, inquit, *Dominus Deus paradisum in Eden ad Orientem, & posuit* Gen. 2. 8. *ibi hominem quem formauit, & produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum & bonum in escam.* Ita videtur dictum tanquam id factum sit posteaquam factum posuit Deus hominem in paradisum, cùm breuiter vtroque commemorato, id est quòd plantauit Deus paradisum, & posuit ibi hominem quem

formauit, recapitulando redeat & dicat quod prætermiserat, quomodò scilicet paradisus fuerit plantatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum & bonum in escam. Denique secutus adiunxit: *Et lignum vitæ in medio paradisi, & lignum scientiæ boni & mali.* Deinde flumen quo paradisus irrigaretur, diuisum in quatuor principia fluuiorum quatuor explicatur, quod totum pertinet ad institutionem paradisi. Quod vbi terminauit, repetiuit illud quod iam dixerat, & reuera hoc sequebatur atque ait: *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in paradiso*, &c. Post ista enim facta ibi est positus homo, sicut nunc ordo ipse demonstrat: non post hominem ibi positum facta sunt ista, sicut priùs dictum putari potest, nisi recapitulatio illic vigilanter intelligatur, qua reditum est ad ea quæ fuerant prætermissa.

Itémque in eodem libro, cùm commemorarentur generationes filiorum Noë, dictum est: *Hi filij Cham in tribubus suis, secundùm linguas suas in regionibus suis & in gentibus suis.* Enumeratis quoque filiis Sem, sequitur: *Hi filij Sem in tribubus suis, secundùm linguas suas in regionibus suis & in gentibus suis.* Et annectitur de omnibus, *Hæ tribus filiorum Noë, secundùm generationes eorum & secundùm gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluuium.* * *Et erat omnis terra labium vnum, & vox vna omnibus.* Hoc itaque quod adiunctum est: *Et erat omnis terra labium vnum, & vox vna omnibus*, id est, vna lingua omnium, ita dictum videtur tanquam eo iam tempore quo dispersi fuerant super terram, etiam secundùm insulas gentium vna fuerit omnibus lingua communis. Quod procul dubio repugnat superioribus verbis vbi dictum est, *In tribubus secundùm linguas suas.* Neque enim dicerentur habuisse iam linguas suas singulæ tribus quæ gentes singulas fecerant, quando erat omnibus vna communis: ac per hoc recapitulando adiunctum est, *Et erat omnis terra labium vnum & vox vna omnibus*, latenter narratione redeunte, vt diceretur quomodò factum sit, vt ex vna omnium lingua fuerint diuisi per multas. Et continuò de illa turris ædificatione narratur, vbi hæc eis iudicio diuino ingesta est pœna superbiæ, post quod factum dispersi sunt super terram secundùm linguas suas. Fit ista recapitulatio etiam obscuriùs, sicut in Euangelio dicit Dominus: *Die quo exiit Loth à Sodomis, pluit ignem de cælo, &*

Gen. 10. 20. secundùm. 70. Ibid. 32. *Gen. 11. 1. Luc. 17. 29.

perdidit omnes: secundùm hæc erit dies filij hominis quo reuelabitur. Illâ horâ, qui erit in tecto & vasa eius in domo, non descendat tollere illa. Et qui in agro, similiter non reuertatur retrò: meminerit vxoris Loth: Nunquid cùm Dominus fuerit reuelatus, tunc sunt ista seruanda, ne quisque retrò respiciat, id est vitam præteritam cui renunciauit inquirat, & non potiùs isto tempore, vt cùm Dominus fuerit reuelatus retributionem pro eis quæ quisque seruauit vel contempsit inueniat? Et tamen quia dictum est, *In illa hora*, tunc putantur ista seruanda, cùm fuerit Dominus reuelatus, nisi ad intelligendam recapitulationem sensus legentis inuigilet, adiuuante alia Scriptura, quæ ipsorum Apostolorum adhuc tempore clamauit: *Filij nouissima hora est.* Tempus ergo ipsum quo Euangelium prædicatur, quousque Dominus reueletur, hora est in qua oportet ista seruari, quia & ipsa reuelatio Domini ad eandem horam pertinet, quæ die iudicij terminabitur. Gen. 19. 26. 1. Ioan. 2. 18. Rom. 2. 5. & 13. 11.

SEPTIMA Ticonij regula est, eadémque postrema de diabolo & eius corpore. Est enim & ipse caput impiorum, qui sunt eius quodammodò corpus, ituri cum illo in supplicium æterni ignis: sicut Christus caput est Ecclesiæ, quæ est corpus eius futurũ cum illo in regno & gloria sempiterna. Sicut ergo in prima regula, quam vocat de Domino & eius corpore, vigilandum est vt intelligatur, cùm de vna eadémque persona Scriptura loquitur, quid conueniat capiti, quid corpori: sic & in ista nouissima aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potiùs in eius corpore posset agnosci, quod habet non solùm in eis qui manifestissimè foris sunt, sed in eis etiam qui cùm ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur Ecclesiæ, donec vnusquisque de hac vita exeat, vel à frumento palea ventilabro vltimo separetur: Quod enim scriptum est apud Esaiam: *Quomodò cecidit de cœlo Lucifer mane oriens*, & cætera quæ sub figura regis Babyloniæ de eadem persona vel ad eandem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo vtique intelliguntur: & tamen quod ibi dictum est: *Contritus est in terra qui mittit ad omnes gentes*, non totum ipsi capiti congruit. Nam etsi mittit ad omnes gentes diabolus angelos suos, tamen in terra corpus eius, non ipse conteritur, nisi quia ipse est in corpore suo quod contritum fit vt puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Caput XXXVII. Regula septima. Luc. 3. 17. Esa. 14. 12. Psal. 1. 4.

Hæ autem omnes regulæ, excepta vna quæ vocatur de promiſſis & lege, aliud ex alio faciunt intelligi, quod eſt proprium tropicæ locutionis, quæ latiùs patet quàm vt poſſit, vt mihi videtur, ab aliquo vniuerſa comprehendi. Nam vbicunque velut aliud dicitur vt aliud intelligatur, etſi nomen ipſius tropi in loquendi arte non inuenitur, tropica locutio eſt. Quæ cùm fit vbi fieri ſolet, ſine labore ſequitur intellectus, cùm verò vbi non ſolet, laboratur vt intelligatur, ab aliis magis, ab aliis minùs, ſicut magis minúſve dona Dei ſunt in ingeniis hominum, vel adiutoria tribuuntur. Proinde ſicut in verbis propriis, de quibus ſuperiùs diſputauimus, vbi res vt dicuntur intelligendæ ſunt: ſic in tranſlatis quæ faciunt tropicas locutiones, vbi aliud ex alio intelligendum eſt, de quibus hucuſque quantum viſum eſt ſatis egimus: non ſolùm admonendi ſunt ſtudioſi venerabilium literarum, vt in ſcripturis ſanctis genera locutionum ſciant, & quomodò apud eas aliquid dici ſoleat, vigilanter aduertant memoritérque retineant, verumetiam, quod eſt præcipuum & maximè neceſſarium, orent vt intelligant. In eis quippe literis quarum ſtudioſi ſunt
Iac. 1. 5. legunt, quoniam Dominus dat ſapientiam, & à facie eius
Prou. 2. 6. ſcientia & intellectus, à quo & ipſum ſtudium, ſi pietate præditum eſt, acceperunt. Sed hæc ſatis etiam de ſignis, quantùm ad verba pertinent, dicta ſint. Reſtat vt de proferendis eis quæ ſentimus, ſequenti volumine quæ Dominus donauerit diſſeramus.

LIBER QVARTVS.

Prologus.



Hoc opus noſtrum quod inſcribitur de doctrina Chriſtiana, in duo quædam fueram prima diſtributione partitus. Nam poſt prooemium quo reſpondi eis, qui hoc fuerant reprehenſuri, duæ ſunt res, inquam, quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inueniendi quæ intelligenda ſunt, & modus proferendi quæ intellecta ſunt. De inueniendo priùs, de proferendo poſtea diſſeremus. Quia ergo de inueniendo multa iam diximus, & tria de hac vna parte volumina

absoluimus, Domino adiuuante, de proferendo pauca dicemus, vt si fieri potuerit, vno libro cuncta claudamus, totúmque hoc Opus quatuor voluminibus terminetur.

Cap. I. *Quid lectori expectandum hoc libro.*

PRIMO itaque expectationem legentium, qui fortè me putant rhetorica daturum esse præcepta, quæ in scholis secularibus & didici & docui, ista prælocutione prohibeo, atque vt à me non expectentur, admoneo: non quòd nihil habeant vtilitatis, sed si quid habent, seorsum dicendum est, si cui fortassis bono viro etiam hæc vacat discere, non autem à me vel in hoc Opere, vel in aliquo alio requirendum.

Cap. II. *Rhetorica tam falsa quàm vera persuadet.*

NAM cùm per artem rhetoricam & vera suadeantur & falsa, quis audeat dicere aduersus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem: vt videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, nouerint auditorem vel beneuolum vel intentum vel docilem prooemio facere, isti autem non nouerint? Illi falsa breuiter, apertè, verisimiliter: & isti vera sic narrent, vt audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremò non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem: isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem mouentes impellentésque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter, isti pro veritate lenti frigidíque dormitent? Quis ita desipiat, vt hoc sapiat? Cùm ergo sit in medio posita facultas eloquij, quæ ad persuadenda seu praua seu recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, vt militet veritati, si eam mali ad obtinendas peruersas vanásque causas in vsus iniquitatis & erroris vsurpant?

Cap. III. *Rhetoricam nisi quis citò, nunquã discit.*

SED quæcunque sunt de hac re obseruationes atque præcepta, quibus cùm accedit in verbis plurimis ornamentisque verborum exercitatioris linguæ solertissima consuetudo, fit illa quæ facundia vel eloquentia nominatur, extra istas literas nostras, seposito ad hoc congruo temporis spatio, apta & conuenienti ætate discenda sunt eis qui hoc celeriter possunt. Nam & ipsos Romanæ eloquentiæ principes non piguit dicere, quòd hanc artem nisi quis citò possit, nunquam omnino possit perdiscere. Quod verum verum sit, quid opus est quærere? Non enim etiam si possint hæc à tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tanti pendimus, vt eis discendis iam

Ex Cicerone de Oratore.

maturas vel etiam graues hominum ætates velimus impendi. Satis est vt adolescentulorum ista sit cura, nec ipsorum omnium quos vtilitati ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum quos nondum magis vrgens, & huic rei sine dubio præponenda necessitas occupauit. Quoniam si acutum & feruens adsit ingenium, faciliùs adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quàm eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticæ literæ etiam præter canonem in autoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodò rebus quæ ibi dicuntur intentus sit, etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur, accedente vel maximè exercitatione siue scribendi siue dictandi, postremò etiam dicendi, quæ secundùm pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur, nec si magno labore inculcata quantulacúnque ex parte capiantur, aliquid prosunt: quandoquidem etiam ipsi qui ea didicerunt, & copiosè ornatéque dicunt, non omnes vt secundùm ipsa dicant, possunt ea cogitare cùm dicunt, si non de his disputant: imò verò vix vllos eorum esse existimo, qui vtrunque possint, & dicere bene, & ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare, cùm dicunt. Cauendum est enim ne fugiant ex animo quæ dicenda sunt, dum attenditur vt arte dicantur. Et tamen in sermonibus atque dictionibus eloquentium, impleta reperiuntur præcepta eloquentiæ, de quibus illi vt eloquerentur, vel cùm loquerentur, non cogitauerunt, siue illa didicissent, siue ne attigissent quidem. Implent quippe illa quia eloquentes sunt, non adhibent vt sint eloquentes. Quapropter cùm ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentiũ: cur eloquentes fieri non possint nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo & audiendo, & quantum assequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine præceptis rhetoricis nouimus plurimos eloquentiores plurimis qui illa didicerunt: sine lectis verò & auditis eloquentium disputationibus vel dictionibus neminem. Nam neque ipsa arte grammatica qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines qui integrè loquerentur, crescere daretur & viuere. Nescientes quippe vlla nomina vitiorum, quicquid vitiorum, cuius-

cuiusquam ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent & cauerent, sicut rusticos vrbani reprehendunt, etiam qui literas nesciunt.

Debet igitur diuinarum Scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere sermonis conciliare auersos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Vbi autem beneuolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut causa postulat. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat vt res de qua agitur innotescat. Vt autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si verò qui audiunt monendi * sunt potiùs quàm docendi, vt in eo quod iam sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum quas veras esse fatentur accommodent, maioribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes & coercitiones, & quæcunque alia valent ad commouendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes ferè homines in iis quæ loquendo agunt *, facere non quiescunt.

Cap. IV. Officiũ doctoris Christiani.

al. mouendi.*

al. arguũt.*

Sed cùm alij faciant obtusè, deformiter, frigidè, alij acutè, ornatè, vehementer, illum ad hoc opus vnde agimus, iam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter, vt prosit audientibus, etiamsi minus prodesset, quàm si & eloquenter posset dicere. Qui verò affluit insipienti eloquentia, tantò magis cauendus est, quantò magis ab eo in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor, & cum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere existimat. Hæc autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse ciuibus, eloquentiam verò sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam. Si ergo hoc illi qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in eisdem libris in quibus id egerunt veritate instigante coacti sunt confiteri, veram, hoc est supernam, quæ à Patre luminum descendit, sapientiam nescientes: quantò magis nos non aliud sentire debemus, qui huius sapientiæ filij & ministri sumus? Sapienter autem dicit homo tantò magis vel minùs, quantò in Scriptu-

Cap. V. De variis dicendi generibus.

Verba Ciceronis ex I. libro De inuentione.

Iacobi 17. & 3. 15.

ris sanctis magis minúsve profecit. Non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legunt vt teneant, negligunt ne intelligant. Quibus longè sine dubio præferendi sunt, qui verba earum minus tenent, & cor earum sui cordis oculis vident. Sed vtrisque ille melior, qui & cùm volet eas dicit, & sicut oportet intelligit. Huic ergo qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maximè necessarium est. Quantò enim se pauperiorem cernit in suis, tantò eum oportet in istis esse ditiorem: vt quod dixerit suis verbis, probet ex illis, & qui propriis verbis minor erat, magnorũ testimonio quodammodò crescat. Probando enim delectat, qui minus potest delectare dicendo. Porro qui non solùm sapienter, verumetiam eloquenter vult dicere, quoniam profectò plus proderit, si vtrumque potuerit, ad legendos vel audiendos & exercitatione imitandos eloquentes eum multo libentiùs, quàm magistris artis rhetoricæ vacare præcipio: si tamen ij qui leguntur & audiuntur, non solùm eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suauiter: qui sapienter, salubriter audiuntur. Propter quod non ait scriptura, Multitudo eloquentium, sed *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Sicut autem sæpe sumenda sunt & amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. Sed salubri suauitate, vel suaui salubritate, quid melius? Quantò enim magis illic appetitur suauitas, tantò faciliùs salubritas prodest. Sunt ergo ecclesiastici viri qui diuina eloquia non solùm sapienter, sed eloquenter etiam tractauerunt. Quibus legendis magis non sufficit tempus, quàm deesse ipsi studentibus & vacantibus possunt.

Sap. 6. d. 26.

Cap. VI. *In sacris esse sanam eloquentiã.*

Hic aliquis forsitan quærit, vtrum autores nostri, quorum scripta diuinitùs inspirata canonem nobis saluberrimâ autoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sunt? Quæ quidem quæstio apud meipsum & apud eos qui mecum quod dico sentiunt, facillimè soluitur. Nam vbi eos intelligo non solùm nihil eis sapientius, verumetiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur, simul intel-

ligere non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem, nec iam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam quæ viros summa auctoritate dignissimos planéque diuinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem quantò videtur humilior, tantò altiùs non ventositate, sed soliditate transcendit. Vbi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est vbi intelligo. Ipsa quoque obscuritas diuinorum salubriúmque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus, non solùm inuentione, verumetiam exercitatione deberet. Possem quidem si vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur isti qui linguam suam nostrorum auctorũ linguæ non magnitudine, sed tumore præponunt, ostendere in istorum literis sacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc seculo prauo in beatum seculum transferendis, prouidentia diuina prouidit. Sed non ipsa me plus quàm dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus gentilium poëtisve communia. Illud magis admiror & stupeo, quòd istâ nostrâ eloquentiâ ita vsi sunt per alteram quandam eloquentiam suam, vt nec eis deesset, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat: quorum alterum fieret si vitaretur, alterum putari posset, si facilè agnosceretur. Et in quibus fortè locis agnoscitur à doctis, tales res dicuntur, vt verba quibus dicuntur non à dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subiuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est pectore sapientis procedere intelligas, & tanquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam.

Cap. VII. *Pulchrè docet adductis exemplis in Sacris literis inesse germanam eloquentiã, quæ sapientiæ adhæret velut inse-*

QVIS enim non videat quid voluerit dicere, & quàm sapienter dixerit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hic si quis, vt ita dixerim, imperitè peritus artis eloquentiæ præcepta Apostolum secutum fuisse contendat, nónne à Christianis doctis, indoctísque ridebitur? Et tamen a-

parabilis comes. gnoſcitur hîc figura quæ κλίμαξ Græcè, Latinè verò à quibuſ-
Rom. 5. 25. dam eſt appellata gradatio, quoniam ſcalam dicere noluerunt, cùm verba vel ſenſa connectuntur alterum ex altero: ſicut hîc, ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione ſpem connexam videmus. Agnoſcitur & aliud decus, quoniam poſt aliqua pronunciationis voce ſingula finita, quæ noſtri membra & cæſa, Græci autem κῶλα & κόμματα vocant, ſequitur ambitus ſiue circumitus quem περίοδον illi appellant, cuius membra ſuſpenduntur voce dicẽtis, donec vltimo finiantur. Nam eorum quæ præcedunt circumitum, membrum illud eſt primum, quoniam tribulatio patientiam operatur: ſecundum, patientia autem probationem: tertium, probatio verò ſpem. Deinde ſubiungitur ipſe circumitus, qui tribus peragitur membris: quorum primum eſt, ſpes autem non confundit: ſecundum, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris: tertium, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. At hæc atque huiuſcemodi in elocutionis arte traduntur. Sicut ergo Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quod eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.

Scribens ad Corinthios in ſecunda epiſtola, redarguit quoſdam qui erant ex Iudæis pſeudoapoſtoli, eique detrahebant. Et quoniam ſeipſum prædicare compellitur, hanc ſibi velut inſipientiam tribuens, quàm ſapienter dicit, quámque eloquenter? Sed comes ſapientiæ, dux eloquentiæ, illam ſe-
2. Cor. 11. 16. quens, iſtam præcedens & ſequentem non reſpuens. *Iterum dico*, inquit, *ne quis me exiſtimet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem ſuſcipite me, vt & ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in ſtultitia in hac ſubſtantia gloriæ: quoniam quidem multi gloriantur ſecundùm carnem, & ego gloriabor. Libenter enim ſuſtinetis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Toleratis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit: ſecundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmati ſimus. In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego. Hebræi ſunt? & ego. Iſraëlitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? & ego. Inſipiens dico, ſuper ego*. In laboribus plurimùm, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadraginta vna minus*

Supr. ego, Græcè ὑπὲρ ἐγώ, id eſt, ego amplius, ſiue magis ego: verba

accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis sæpius, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Quantâ sapientiâ ista sint dicta vigilantes vident.

magis reddidit, quam sententiam.

Quanto verò eloquentiæ cucurrerint flumine, & qui stertit aduertit. Portò autem qui nouit agnoscit, quod ea cæsa, quæ commata Græci vocant, & membra, & circumitus, de quibus paulò antè disserui, cùm decentissima varietate interponerentur, totam istam speciem dictionis, & quasi eius vultum, quo etiam indocti delectantur mouenrúrque, fecerunt. Nam vnde cœpimus hunc locum inserere, circumitus sunt, primus minimus, hoc est bimembris, minùs enim quàm duo membra circumitus habere non possunt, plura verò possunt: ergo ille primus est: *Iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse.* Sequitur alius trimembris: *Alioquin velut insipientem suscipite me, vt & ego modicum quid glorier.* Tertius qui sequitur membra habet quatuor: *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ.* Quartus duo habet: *Quandoquidem multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor* Et quintus habet duo: *Libenter enim sustinetis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes.* Etiam sextus bimembris est: *Toleratis enim, si quis vos in seruitutem redigit.* Sequuntur tria cæsa: *Si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur.* Deinde tria membra: *Si quis in faciem vos cædit, secundùm ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus.* Additur trimembris circumitus: *In quo tamen quis audet, in insipientia dico, audeo & ego.* Hinc iam singulis quibusque cæsis interrogando positis, singula itidem cæsa responsione redduntur, tria tribus: *Hebræi sunt? & ego. Israëlitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.* Quarto autem cæso simili interrogatione posito, non alterius cæsi, sed membri oppositione respondet: *Ministri Christi sunt? Insipiens dico, super ego.* Iam cæsa quatuor sequentia, remota decentissimè

Artificium rhetorices.

interrogatione funduntur: *In laboribus plurimùm, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Deinde interponitur breuis circumitus, quoniam suspensa pronunciatione distinguendum est: *A Iudæis quinquies.* vt hoc sit vnum membrum, cui connectitur alterum, *quadraginta vna minus accepi.* Inde reditur ad cæsa, & ponuntur tria: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* Sequitur membrum: *Nocte ac die in profundo maris fui.* Deinde quatuordecim cæsa decentissimo impetu profluunt: *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis sæpius, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate.* Post hæc interponit trimembrem circumitum: *Præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus,*
al. * huic. *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Et hinc * duo membra percontatione subiungit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Postremò totus iste quasi anhe-
2. Cor. 11. 1. lans locus, bimembri circumitu terminatur: *Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.* Quòd verò post hunc impetum interposita narratiuncula quodammodò requiescit, & requiescere facit auditorem, quid decoris, quid delectationis habeat, satis dici non potest. Sequitur enim dicens: *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quòd non mentior.* Ac deinde quomodò periclitatus fuerit, & quomodò euaserit breuissimè narrat. Longum est cætera persequi, vel in aliis sanctarum Scripturarum locis ista monstrare. Quid si etiam figuras locutionis quæ illa arte traduntur, in iis saltem quæ de Apostoli eloquio commemoraui, ostendere voluissem? Nònne faciliùs graues homines me nimiùm, quàm quisquam studiosorum sibi sufficientem putarent? Hæc omnia quando à magistris docentur, pro magno habentur, magno precio emuntur, magna iactatione venduntur. Quam iactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero. Sed malè doctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant quam nimis isti diligunt eloquentiam. Sed fortè quis putat, tanquam eloquentem nostrum elegisse
2. Cor. 11. 6. me apostolum Paulum. Videtur enim vbi ait: *Etsi imperitus*

sermone, sed non scientia: quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tanquam id verum agnosceret, confitendo. Si autem dixisset: Imperitus quidem sermone, & non addidisset, sed non scientia, nullo modo aliud posset intelligi. Scientiam planè non cunctatus est profiteri, sine qua esse doctor Gentium non valeret. Certè si quid eius proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illis epistolis vtique proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores eius, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, graues & fortes esse confessi sunt. 2. Cor. 10. 10.
Dicendum ergo mihi aliquid esse video & de eloquentia Prophetarum, vbi per tropologiam multa obteguntur. Quæ quantò magis translatis verbis videntur operiri, tantò magis cùm fuerint aperta dulcescunt. Sed hoc loco tale aliquid commemorare debeo, vbi quæ dicta sunt non cogar exponere, sed commendare tantùm quomodò dicta sint. Et ex illius Prophetæ libro potissimum hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde diuinitus ablatum atque missum, vt Dei populo prophetaret. Non autem secundùm Amos 7. 15. septuaginta interpretes, qui etiam ipsi diuino spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, vt ad spiritalem sensum scrutandum magis admoneretur Lectoris intentio, vnde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum: sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium Presbytero Hieronymo vtriusque linguæ perito interpretante translata sunt. Cùm igitur argueret impios, superbos, luxuriosos, & fraternæ ideo negligentissimos charitatis, rusticus, vel ex rustico iste Propheta exclamauit, dicens: *Væ vobis qui* Amos 6. 1. *opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel, transite in Calanne, & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterij. Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Nunquidnam isti qui Prophetas nostros tanquam ineruditos & elocutionis ignaros veluti docti diserti-

que contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent? Quid enim est quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent? Primò ipsa inuectio, quasi sopitis sensibus vt euigilarent, quo fremitu illisa est? *Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.* Deinde vt beneficiis Dei, qui eis ampla spacia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, vbi vtique idola colebantur: *Transite*, inquit, *in Calanne, & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est.* Simul etiam cùm ista dicuntur, locorum nominibus tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samaria, Calanne,
al.* hic. Emath magna, & Geth Palæstinorum. Deinde verba quæ his* adiunguntur locis decentissimè, variantur: *Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite.* Consequenter denunciatur futura sub iniquo Rege propinquare captiuitas, cùm adiungitur.: *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis.* Tunc subiiciuntur merita luxuriæ: *Qui dormitis in lectis eburneis; & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* Ista sex membra tres bimembres circumitus reddiderunt. Nonenim ait: Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: quòd si ita diceretur, esset quidem & hoc pulchrum, vt ab vno pronomine repetito singula sex membra decurrerent, & pronunciantis voce singula finirentur. Sed pulchrius factum est, vt eidem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarent: vnam ad captiuitatis prænunciationem, *Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis:* alteram ad libidinem; *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris:* ad voracitatem verò tertiam pertinentem: *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti:* vt in potestate sit pronunciantis, vtrum singula finiat, & membra sint sex: an primum & tertium & quintum voce suspendat, & secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circumitus

cumitus decentiſſimè faciat: vnum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium quo prodiga menſa monſtretur. Deinde luxurioſam remordet aurium voluptatem: vbi cùm dixiſſet, *Qui canitis ad vocem pſalterij*, quoniam poteſt exerceri ſapienter à ſapiētibus muſica, mirabili decore dicendi inuectionis impetu relaxato, & non ad illos, ſed de illis iam loquens, vt nos muſicam ſapientis à muſica luxuriantis diſtinguere commoneret, non ait, Qui canitis ad vocem pſalterij, & ſicut Dauid putatis vos habere vaſa cantici: ſed cùm illud ad illos dixiſſet, quod luxurioſi audire deberent; *Qui canitis ad vocem Pſalterij:* imperitiam quoque eorum aliis quodammodò indicauit, adiungens; *Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici, bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti.* Tria hæc meliùs pronunciantur, ſi ſuſpenſis duobus prioribus membris circuitu tertio finiantur. Iam verò quod his omnibus adiicitur; *Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, ſiue continuatim dicatur, vt vnum ſit membrum: ſiue decentiùs ſuſpendatur, *& nihil patiebantur*, & poſt hanc diſtinctionem inferatur, *ſuper contritione Ioſeph*, atque ſit bimembris circumitus: miro decore non dictum eſt, nihil patiebantur ſuper contritione fratris, ſed poſitus eſt pro fratre Ioſeph, vt quicunque frater proprio ſignificaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama præclara eſt, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Iſte certè tropus vbi Ioſeph quemcumque fratrem facit intelligi, neſcio vtrum illa quam didicimus & docuimus arte tradatur. Quàm ſit tamen pulcher, & quemadmodum afficiat legentes atque intelligenres, non opus eſt cuiquam dici, ſi ipſe non ſentit. Et plura quidem quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipſo loco quem pro exemplo poſuimus poſſunt reperiri. Sed bonum auditorem non tam ſi diligenter diſcutiatur inſtruit, quàm ſi ardenter pronuncietur accendit. Neque enim hæc humana induſtriâ compoſita, ſed diuina mente ſunt fuſa & ſapienter & eloquenter, non intentâ in eloquentiam ſapientiâ, ſed à ſapientia non recedente eloquentia. Si enim, ſicut quidam diſertiſſimi atque acutiſſimi viri videre ac dicere potuerunt, ea quæ velut oratoria arte diſcuntur, non obſeruarentur & notarentur, & in hanc doctrinam redigerentur, niſi priùs in oratorum inuenirentur ingeniis: quid mirum ſi & in iſtis inue-

niuntur, quos ille misit, qui facit ingenia? Quapropter & eloquentes quidem, non solùm sapientes, canonicos nostros autores doctorésque fateamur, tali eloquentia, qualis personis eiusmodi congruebat.

Cap. VIII. Qualis debeat esse sermo doctoris euãgelici.

SED nos etsi de literis eorum, quæ sine difficultate intelliguntur nonnulla sumimus elocutionis exempla, nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis esse in iis quæ ad exercendas & elimandas quodammodò mentes legentium, & ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, cælandos quoque siue vt ad pietatem conuertantur, siue vt à mysteriis secludantur animos impiorum, vtili ac salubri obscuritate dixerunt. Sic quippe illi locuti sunt, vt posteriores qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, veruntamen subsequentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, vt tanquam se ipsi exponendos simili autoritate proponant: sed in omnibus sermonibus suis primitùs ac maximè vt intelligantur elaborent ea quantum possunt perspicuitate dicendi, vt aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate ac subtilitate, non in nostra loquutione sit causa, quo minùs tardiúsue quod dicimus possit intelligi.

Cap. IX. Perspicuitas orationis

SVNT enim quædam quæ sua vi non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantolibet & quantumlibet, quamuis planissimè dicentis versentur eloquio, quæ in populi audientiam, vel rarò, si aliquid vrget, vel nunquam omnino mittenda sunt. In libris autem qui ita scribuntur, vt ipsi sibi quodammodò lectorem teneant, cùm intelliguntur, molesti non sint volentibus legere: cùm autem non intelliguntur, molesti non sint nolentibus legere. Et in aliquorum collocutionibus non est hoc officium deserendum, vt vera quamuis difficillima ad intelligendum quæ ipsi iam percepimus, cùm quantocunque labore disputationis ad aliorum intelligentiam perducamus: si tenet auditorem vel collocutorem discendi cupiditas, nec mentis capacitas desit, quæ quoquo modo intimata possit accipere, non curante illo qui docet quanta eloquentiâ doceat, sed quantâ euidentiâ.

Cap. X. Qua ratio-

CVIVS euidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet

atque intimet quod ostendere intendit. Vnde ait quidam, cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatum, vt sordes non contrahat. Quamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit vel esse debeat, vt verbum quod nisi obscurum sit vel ambiguum, Latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur vt ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur vt à doctis, sed potiùs vt ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros; *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus*: quoniam senserunt ad rem pertinere, vt eo loco pluraliter enunciaretur hoc nomen, quod in Latina lingua tantummodò singulariter dicitur: cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem ossum potiùs quàm os dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt ossa, sed ab eo quod sunt ora intelligatur, vbi * Aphræ aures de correptione vocalium vel productione non iudicant. Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cùm loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos vt intelligant loquimur? Qui ergo docet vitabit omnia verba quæ non docent. Et si pro eis alia integra quæ intelligantur potest dicere, id magis eliget. Si autem non potest, siue quia non sunt, siue quia in præsentia non occurrunt, vtetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integrè. Et hoc quidem non solùm in collocutionibus, siue fiant cum aliquo vno, siue cum pluribus, verum etiam multo magis in populis, quando sermo promitur, vt intelligatur instandum est: quia & in collocutionibus est cuique interrogandi potestas. Vbi autem omnes tacent vt audiatur vnus, & in eum intenta ora conuertunt, ibi vt requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est nec decoris, ac per hoc debet maximè tacenti subuenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare auida multitudo cognoscendi vtrum intellexerit. Quod donec significet, versandum est quod agitur multimoda varietate dicendi, quod in potestate non habent qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronunciant. Mox autem vt intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est qui cognita inculcat, eis duntaxat quorum tota ex-

ne perspicua fiat oratio.

Psal. 15. 4.

* al. vafræ.

pectatio in dissoluenda eorum quæ panduntur difficultate pendebat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur, vbi non ipsa, sed modus quo dicuntur attenditur. Quod si & ipse iam notus est, atque auditoribus placet, penè nihil interest vtrum is qui dicit, dictor vel lector sit. Solent enim & ea quæ commodè scripta sunt, non solùm ab iis quibus primitùs innotescunt iucundè legi, verùm ab iis etiam quibus iam nota sunt, neque adhuc illa de memoria deleuit obliuio, non sine iocunditate relegi, vel ab vtrisque libenter audiri. Quæ autem quisque iam oblitus est, cùm commonetur, docetur. Sed de modo delectandi nunc non ago, de modo autem quo docendi sunt qui discere desiderant, loquor. Is autem est optimus, quo fit vt qui audit, verum audiat, & quod audit intelligat. Ad quem finem cùm ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tanquam diutiùs docenda laborandum est, sed fortè de commendanda vt in corde figatur. Quòd si faciendum videbitur, ita modestè faciendum est, ne perueniatur ad tædium.

Cap. XI. Quare conandum docere discendum perspicuè.

PRORSVS hæc est in docendo eloquentia, qua fit discendo non vt libeat quod horrebat, aut vt fiat quod pigebat, sed vt appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuauiter, ad paucos quidem studiosissimos suus peruenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamuis abiectè incultéque dicantur scire desiderant. Quod cùm adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorúmque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est? Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus viui non potest, alimenta condienda sunt.

Cap. XII. Oratoris est docere, delectare, flectere.

DIXIT ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit, docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas, in rebus est constituta quas dicimus, reliqua duo in modo quo dicimus docendo. Qui ergo dicit cũ docere vult, quãdiu non intelligitur, nondum se existimet di-

xisse quod vult ei quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, à quo intellectus non est. Si verò intellectus est, quocunque modo dixerit, dixit. Quod si etiam delectare vult eum cui dicit, aut flectere: non quocunque modo dixerit faciet, sed interest quomodò dicat vt faciat. Sicut est autem vt teneatur ad audiendum delectandus auditor: ita flectendus, vt moueatur ad agendum. Et sicut delectatur si suauiter loquaris: ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat, cùm quid lætandum prædicas gaudeat, misereatur eorum quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos quos cauendos terrendo proponis: & quicquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commouendos animos auditorum, non quid agendum sit vt sciant, sed vt agant quod agendum esse iam sciunt. Si autem adhuc nesciunt, priùs vtique docendi sunt quam mouendi. Et fortasse rebus ipsis cognitis ita mouebuntur, vt eos non opus sit maioribus eloquentiæ viribus iam moueri. Quod tamen cùm opus est, faciendum est. Tunc autem opus est, quando cùm sciérint quid agendum sit, non agunt, ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines & agere & non agere quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere quod nesciunt? Et ideo flectere necessitatis non est, quia non semper opus est, si tantùm docenti vel etiam delectanti consentit auditor. Ideò autem victoriæ est flectere, quia fieri potest vt doceatur & delectetur, & non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Sed neque delectare necessitatis est: quandoquidem cùm docendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc attenditur, vt vel ipsa vel ipsum delectet eloquium, sed per seipsa quoniã vera sunt manifestata delectant. Vnde plerunque delectant etiam falsa patefacta atque conuicta. Neque enim delectant, quia falsa sunt, sed quia falsa esse verum est: delectat & dictio qua hoc verum esse monstratum est.

PROPTER eos autem quibus fastidientibus non placet veritas, si alio quocunque modo, nisi eo modo dicatur vt placeat & sermo dicentis, datus est in eloquentia non paruus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit du- CAP. XIIII. *Dicendo flectendi animi.*

ris, quos nec intellexisse, nec docentis elocutione delectatos esse profuerit. Quid enim hæc duo conferunt homini, qui & confitetur verum, & collaudat eloquium, nec inclinat assensum, propter quem solùm cùm aliquid suadetur, rebus quæ dicuntur inuigilat dicentis intentio: Si enim talia docentur, quæ credere vel nosse sufficiat, nihil est aliud eis consentire, nisi confiteri vera esse. Cùm verò id docetur quod agendum est, & ideò docetur vt agatur, frustra persuadetur verum esse quod dicitur, frustra placet modus ipse quo dicitur, si non ita discitur vt agatur. Oportet igitur eloquentem Ecclesiasticum quando suadet aliquid quod agendum est, non solùm docere vt instruat, & delectare vt teneat, verùm etiam flectere vt vincat. Ipse quippe iam remanet ad consensionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit vsque ad eius confessionem demonstrata veritas, adiuncta etiam suauitate dictionis.

Cap. XIV. *Dicendi genus graue.*

CVI suauitati tantum operæ impensum est ab hominibus, vt non solùm non facienda, verùm etiam fugienda ac detestanda tot & tanta mala atque turpia, quæ malis & turpibus disertissimè persuasa sunt, non vt eis consentiatur, sed sola delectationis gratia lectitentur. Auertat autem Deus ab Ecclesia sua quod de synagoga Iudæorum Hieremias Propheta commemorat, dicens: *Pauor & horrenda facta sunt super terram; Prophetæ prophetabant iniqua, & Sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic. Et quid facietis in futurum?* (Hier. 5. 30.) O eloquentia tantò terribilior, quantò purior, & quantò solidior, tantò vehementior: O verè securis concidens petras. Huic enim rei simile esse verbum suum quod per sanctos Prophetas fecit, & per hunc ipsum Prophetam, Deus ipse dixit. Absit itaque, absit à nobis, vt Sacerdotes plaudant manibus iniqua dicentibus, & plebs Dei diligat sic. Absit à nobis, inquam, tanta dementia: nam quid faciemus in futurum? Et certè minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicuntur, vera tamen dicantur & iusta, non iniqua libenter audiantur. quod vtique non fieret, nisi suauiter dicerentur. In populo autem graui, de quo dictum est Deo: *In populo graui laudabo te;* (Psal. 34. 18.) nec illa suauitas delectabilis est, qua non quidem iniqua diliguntur, sed exigua & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque sta-

bilia decenter & grauiter ornarentur. Est tale aliquid in Epistola beati Cypriani: quod idcò puto vel accidisse vel consultò factum esse, vt sciretur à posteris quam linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ista redundantia reuocauerit, & ad eloquentiam grauiorem modestiorémque restrinxerit, qualis in eius consequentibus literis securè amatur, religiosè appetitur, sed difficillimè impletur. Ait ergo quodam loco, Petamus hanc sedem: dant secessum vicina secreta: vbi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fœcunditate facundiæ, sed profusione nimia grauitati displicent. Qui verò hæc amant, profectò eos qui non ita dicunt, sed castigatiùs eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non iudicio ista deuitare. Quapropter iste vir sanctus & posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi, & nolle quoniam postmodùm nusquam. Cyprianus.

AGIT itaque noster iste eloquens cùm & iusta & sancta & bona dicit: neque enim alia debet dicere: agat ergo quantum potest cùm ista dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hæc se posse si potuerit, & inquantum potuerit, pietate magis orationum quàm oratorum facultate non dubitet, vt orando pro se ac pro illis quos est allocuturus sit orator antequam dictor*. Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Cùm enim de vnaquaque re quæ secundùm fidem delectationémque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hæc sciunt, quis nouit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit vt quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos & sermones nostri? Sap. 7. 16. Ac per hoc discat quidem omnia quæ docenda sunt qui & nosse vult & docere, facultatémque dicendi vt decet virum Ecclesiasticum comparet. Ad horam verò ipsius dictionis illud potiùs bonæ menti cogitet conuenire quod Dominus ait: *Nolite cogitare quomodò aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini,* Mat. 10. 19. 20.

Cap. XV. Orandus Deus à doctori Ecclesiastico ante concionem.

* al: doctor

sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis qui tradunt discentibus Christum?

Cap. xvi. *Non tantū preces, sed & studium necessariū.* QVISQVIS autem dicit non esse hominibus præcipiendum quid vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit spiritus, potest dicere, nec orandum nobis esse, quia
Matt.6.32. Dominus ait: *Scit pater vester quid vobis necessarium sit prius quàm petatis ab eo.* Aut Apostolum Paulum Timotheo & Tito non debuisse præcipere quid vel quemadmodum præciperent aliis. Quas tres Apostolicas Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita. Nonne
1.Tim. 4. 11. in prima ad Timotheum legitur: *Annuncia hæc, & doce?* quæ autem sint, supra dictum est. Nonne ibi est: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem?* Nonne in secunda ei dicitur:
1. Tim.5.1. *Formam habe verborum sanorum quæ à me audisti?* Nonne ibi ei
2.Tim.1.13. dicitur: *Satis age teipsum probabilem operarium exhibens Deo, non*
2.Tim.4.15. *erubescentem verbum veritatis rectè tractantem?* Ibi est & illud:
2.Tim. 4.2. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa*
Tit.1. 9. *in omni longanimitate & doctrina.* Itemque ad Titum, nonne dicit Episcopum iuxta doctrinam fidelis verbi perseuerantem esse debere, vt potens sit in doctrina sana & contradicentes
Tit. 2. 1. redarguere? Ibi etiam dicit: *Tu verò loquere quæ decet sanam do-*
Tit. 2. 15. *ctrinam, senes sobrios esse,* & quæ sequuntur: ibi & illud: *Hæc*
Tit. 3. 1. *loquere & exhortare, & increpa cum omni imperio: nemo te contemnat, admone illos principibus & potestatibus subditos esse, &c.* Quid ergo putamus? Nunquid contra seipsum sentit Apostolus, qui cùm dicat doctores operatione fieri Spiritus sancti, ipse illis præcipit quid & quemadmodum doceant? An intelligendum est, hominum officia ipso sancto Spiritu largiente in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare? & tamen
1.Cor. 3.7. *neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum qui incrementum dat?* Vnde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus nemo rectè discit quæ pertinent ad viuendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis,
Ps. 142. 10. cui dicitur in Psalmo: *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus:* Vnde & ipsi Timotheo idem dicit Apostolus,
2 Tim.3.14. loquens vtique ad discipulum doctor: *Tu autem persenera in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Sicut enim

enim corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non nisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cùm sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur, & si hoc officiosè fiat, inter opera misericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & adiumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur vt prosint, qui potuit Euangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

QVI ergo dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, vt scilicet doceat, vt delectet, vt flectat, oret atque agat: vt quemadmodum suprà diximus, intelligenter, libenter obedientérque audiatur. Quod cùm aptè & conuenienter facit, non immeritò eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc enim tria, id est, vt doceat, vt delectet, vt flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquij, cùm itidem dixit: Is igitur erit eloquens qui poterit parua submissè, modica temperatè, magna granditer dicere: tanquam si adderet illa etiam tria, & sic explicaret vnam eandemque sententiam, dicens: Is erit igitur eloquens, qui vt doceat, poterit parua submissè: vt delectet, modica temperatè: vt flectat, magna granditer dicere.

Cap. XVII. Triplex dicendi genus.

In lib. cui titulus Orator.

HÆC autem tria ille sicut ab eo dicta sunt, in caussis forensibus posset ostendere. Non autem hoc est in Ecclesiasticis quæstionibus: in quibus huiusmodi quem voluimus informare, sermo versatur. In illis enim ea parua dicuntur, vbi de rebus pecuniariis iudicandum est: ea magna, vbi de salute ac de capite hominum. Ea verò vbi nihil horum iudicandum est, nihilque agitur vt agat siue decernat, sed tantummodò vt delectetur auditor, inter vtrumque quasi media, & ob hoc modica, hoc est moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit. Nam modica pro paruis abusiuè non propriè dicimus. In istis autem nostris quandoquidem omnia, maximè quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, vbi etiam cauendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus: vsque adeò vt nec de ipsis pecuniariis rebus vel acquirendis vel amittendis parua videri debeant, quæ doctor Ecclesiasticus dicit, siue sit illa magna, siue parua pecunia.

Cap XVIII. Eadem Ecclesiastæ necessaria quæ oratori.

Neque enim parua est iustitia, quam profectò & in parua pe-
Lucæ 16.10. cunia custodire debemus, dicente Domino: *Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est.* Quod ergo minimum est, minimum est: sed in minimo fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis est, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est & in magno disco quæ in nummulo exiguo: ita vbi parua iustè geruntur, non minuitur iustitiæ magnitudo. De iudiciis denique secularibus, quibus
1.Co. 6.1. vtique nisi pecuniariis cùm loqueretur Apostolus: *Audet quisquam vestrum,* inquit, *aduersus alterum habens negotium iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quia Angelos iudicabimus, nedum secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratres. An nescitis quia iniusti regnum Dei non hereditabunt?* Quid est quod sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est quod sui animi affectum tam crebra & tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremò quod de rebus minimis tam granditer dicit? Tantúmne de illo negotia secularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter iustitiam, charitatem, pietatem, quæ nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quamlibet paruulis magna sunt. Sanè si moneremus homines quemadmodum ipsa negotia secularia vel pro se vel pro suis apud Ecclesiasticos iudices agere deberent, rectè admoneremus vt agerent tanquam parua submissè. Cùm verò de illius viri differamus eloquio, quem volumus earum rerum esse doctorem, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna peruenimus bona, vbicunque agantur hæc, siue ad populum, siue priuatim, siue ad vnum, siue ad plures, siue ad amicos, siue ad inimicos, siue in perpetua dictione, siue in collocutione, siue in tractatibus, siue in libris, siue in Epistolis vel longissimis vel breuissimis, magna sunt: nisi fortè quo-

niam calix aquæ frigidæ, res minima atque vilissima est, ideò minimum aliquid atque vilissimum Dominus ait, quòd eum qui dederit discipulo eius, non perdet mercedem suam. Aut Mat.10.42. verò quando iste doctor in Ecclesia facit inde sermonem, paruum aliquid debet existimare se dicere, & ideò non temperatè, non granditer, sed submissè sibi esse dicendum. Nonne quando accidit vt de hac re loqueremur ad populum, & Deus adfuit vt non incongruè diceremus, tanquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit, quæ etiam frigida hominum pectora, ad misericordiæ opera facienda, spe cælestis mercedis accenderet?

Et tamen cùm doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submissè cùm aliquid docetur, temperatè, cùm aliquid vituperatur siue laudatur. Cùm verò aliquid agendum est, & ad eos loquitúr qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de vna eademque re magna & submissè dicitur, si docetur: & temperatè, si prædicatur: & granditer, si auersus inde animus vt conuertatur impellitur. Quid enim Deo ipso maius est? Nunquid ideò non dicitur? Aut qui docet vnitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, vt res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Nunquid hîc ornamenta & non documenta quæruntur? Nunquid vt aliquid agat est flectendus auditor, & non potiùs vt discat instruendus? Porrò cùm laudatur Deus siue de seipso, siue de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis oboritur ei, qui potest quantum potest laudare, quem nemo conuenienter laudat, nemo quomodocunque non laudat. At si non colatur, aut cum illo vel etiam præ illo colantur idola, siue dæmonia, siue quæcunque creatura, quantum hoc malum sit, atque vt ab hoc malo auertantur homines, debet vtique granditer dici.

Cap. XIX. *A'iàs alio vtendũ dicẽdi genere.*

Svbmissæ dictionis exemplum est apud Apostolum Paulum, vt planius aliquid commemorem, vbi ait: *Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed ille qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem*

Cap. XX. *Exempla ex sacris literis.* Gal.4.21.

delibera, per repromissionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta: vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est huic quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filijs suis. Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra, &c.
Gal.3.15. Itemque ibi ratiocinatur, & dicit: *Fratres secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad euacuandas promissiones. Si enim ex lege hereditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.* Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, vt quid ergo lex data est, si ex illa non est hereditas? ipse sibi hoc obiecit, atque ait velut interrogans: *Quid ergo lex?* Deinde respondit: *Transgressionis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est, disposita per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est.* Et hîc occurrebat quod sibi ipse proposuit. *Lex ergo aduersus promissa Dei?* Et respondit, *Absit.* Reddiditque rationem, dicens: *Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato vt promissio ex fide* IESV CHRISTI *daretur credentibus, &c.* vel si quid eiusmodi est.

Pertinet ergo ad docendi curam non solùm aperire clausa, & nodos soluere quæstionum, sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus improbetur per illas aut refellatur, occurrere: si tamen & ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moueamus quod auferre non possumus. Fit autem vt cùm incidentes quæstioni aliæ quæstiones, & aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque soluuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, vt nisi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput vnde agebatur disputator redire non possit. Valdè autem bonum est, vt quicquid contradici potest, si occurrerit, refutetur, ne ibi occurrat vbi non erit qui respondeat: aut præsenti quidem sed tacenti occurrat, & minùs sanatus abscedat. In illis autem Apostolicis verbis dictio temperata est: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, iuniores*

vt fratres, anus vt matres, adolescentulas vt sorores. Et in illis: *Obsecro autem vos fratres per miserationem Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem.* Et totus ferè ipsius exhortationis locus temperatum habet elocutionis genus: vbi illa pulchriora sunt in quibus propria propriis tanquam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est: *Habentes dona diuersa secundùm gratiam quæ data est nobis: siue Prophetiam, secundùm regulam fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet, in doctrina: siue qui exhortatur, in exhortatione: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione: odio habentes malum, adhærentes bono: charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore mutuo præuenientes, studio non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes.* Et quàm pulchrè ista omnia sic effusa, bimembri circuitu terminantur? *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Et aliquanto pòst: *In hoc ipso*, inquit, *perseuerantes: reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipso circuitu, quem duo membra contexunt. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Et post paululùm: *Nox præcessit*, inquit, *dies autem appropinquauit, Abyciamus itaque opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induite * Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs.* Quòd si quisquam ita diceret, Et carnis prouidentiam ne in concupiscentiis feceritis: sine dubio aures clausula numerosiore mulceret: sed grauiorem interpres etiam ordinem maluit tenere verborum. Quomodò autem hoc in Græco eloquio sonet, quo est locutus Apostolus, viderint eius eloquij vsque ad ista doctores. Mihi tamen quod nobis eodem verborum ordine interpretatum est, nec ibi videtur currere numerosè. Sanè hunc elocutionis ornatum, qui numerosis fit clausulis, deesse fatendum est authoribus nostris: quod vtrum per interpretes factum sit, an (quod

Temperatæ dictionis exemplum. 1. Tim. 5. 1. Rom. 12. 1.

Distributio. Ibid. 6. & seqq.

Rom. 13. 12.

* al. induimini.

Numerosū, inquit Cicero, putatur, nō quod totum constat ex numeris, sed quod ad numeros proximè accedit.

magis arbitror) consultò illi hæc plausibilia deuitauerint, affirmare non audeo: quoniam me fateor ignorare. Illud tamen scio, quòd si quisquam huius numerositatis peritus, illorum clausulas eorundem numerorum lege componat: quod facillimè fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantundem significatione valent, vel mutato eorum quæ inuenerit ordine: nihil illorum quæ velut magna in scholis grammaticorum aut rhetorum didicit, illis diuinis viris defuisse cognoscet. Et multa reperiet locutionis genera tanti decoris, quæ quidem & in nostra, sed maximè in sua lingua decora sunt, quorum nullum in eis, quibus isti inflantur literis inuenitur.

Sed cauendum est ne diuinis grauibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, vbi numerus iste plenissimè discitur, vsque adeò non
In prologo super lib. defuit Prophetis nostris, vt vir doctissimus Hieronymus quorundam etiam metra commemoret, in Hebræa duntaxat lingua: cuius vt veritatem seruaret in verbis, hæc inde non transtulit. Ego autem vt de sensu meo loquar, qui mihi quàm aliis & quàm aliorum est vtique notior, sicut in meo eloquio, quantum modestè fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum: ita in authoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi eos rarissimè inuenio. Grande autem dicendi genus hoc maximè distat ab isto temperato genere, quod non tam verborum ornatibus comptum est, quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia, sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatóque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnę, agit quidem illis armis quod agit, nō quia preciosa, sed quia arma sunt: idem ipse est tamen, & valet plurimum, etiam cùm rimanti telo mira facit. Agit Apostolus, vt pro Euangelico ministerio patienter mala huius temporis, cum solatio * donorum Dei omnia
* *al.* consolatione tolerētur. Magna res est, & granditer agitur, nec desunt orna-
2.Co.6.a.1. menta dicendi: *Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nullam in quoquam dantes offensionem, vt non repre-*

hendatur ministerium nostrum: sed in omnibus commendantes nosmetipsos vt Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores & veraces, vt qui ignoramur & cognoscimur, quasi morientes, & ecce viuimus: vt coërciti & non mortificati: vt tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes: multos autem ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Vide adhuc ardentem: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*: & cætera, quæ persequi longum est. Itemque ad Romanos agit, vt persecutiones huius mundi charitate vincãtur, spe certa in adiutorio Dei. Agit autem & granditer & ornatè: *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti: quoniam quos antè præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, ipsos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo nobis omnia donauit. Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet?* CHRISTVS IESVS *qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis. Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Ad Galatas autem quamuis tota ipsa Epistola submisso dicendi genere scripta sit, nisi in extremis partibus vbi est eloquium temperatum, tamen interponit quendam locum eo motu animi, vt sine vllis quidem talibus ornamentis qualia sunt in iis quæ modò posuimus,

Grãdiloqua dictionis exemplum.

Rom. 8.28.

Psal. 43.22.

Gal. 4. 10. non possent tamen nisi granditer dici: *Dies,* inquit, *obseruatis & menses & annos & tempora: timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Estote sicut & ego, quoniam & ego sicut vos. Fratres precor vos, nihil me læsistis. Scitis quia per infirmitatem carnis iampridem euangelizaui vobis, & tentationes vestras in carne mea non spreuistis neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut* CHRISTVM IESVM. *Quæ ergo fuit beatitudo vestra? Testimonium vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans. Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, vt eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, & non solùm cum præsens sum apud vos. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, quia confundor in vobis.* Nunquid hîc aut contraria contrariis verba sunt reddita, aut aliqua gradatione sibi subnexa sunt, aut cæsa & membra circuitúsue sonuerunt? Et tamen non ideò tepuit grandis affectus, quo eloquium feruere sentimus.

Cap. XXI. *Exēpla ex doctoribus.* SED Apostolica ista sic clara sunt, vt & profunda sint: atque ita conscripta memoriæque mandata, vt non solùm lectore vel auditore, verùm etiam expositore opus habeant, si quis in eis non superficie contentus altitudinem quærat. Quapropter videamus ista genera dicendi in eis qui istorum lectione ad rerum diuinarum atque salubrium scientiam profecerunt, eamque Ecclesiæ ministrarunt. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere vtitur in eo libro vbi de Sacramento calicis disputat. Soluitur quippe ibi quæstio in qua quæritur, vtrum calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum est. Post principium ergo Epistolæ, iam soluere incipiens propositam quæstionem: Admonitos autem nos scias, inquit, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, vino mixtus offeratur. Nam cùm dicat Christus: *Ego sum vitis vera:* sanguis Christi, non aqua est vtique, sed vinum: nec potest videri sanguis eius quo redempti & viuificati sumus esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium Sacramento ac testimonio

Cyprianus in epist. de Sacramento Calicis, sub medium.

Submissæ dictionis exemplum.

Ioan 15. 1.

monio

monio prædicatur. Inuenimus enim in Genesi circa Sacramentum Noë hoc idem præcurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse, quòd vinum bibit, quòd inebriatus est, quòd in domo sua nudatus est, quòd fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quòd nuditas illa patris à medio filio denotata est, à maiore verò & minore contecta: & cætera quæ necesse non est exequi, cùm satis sit hoc solum complecti, quòd Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit: & sic imaginem Dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech Dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundùm quod Scriptura diuina testatur & dicit, Et Melchisedech rex Salem, protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in psalmis Spiritus sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens, *Ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hæc & alia quæ sequuntur huius Epistolæ, submissæ dictionis modum seruant, quod facilè est explorare legentibus.

Gen. 9.21. Gen. 14.18. Psal. 109. 4.

Sanctus quoque Ambrosius cùm agat rem magnam de Spiritu sancto, vt eum Patri & Filio demonstret æqualem: submisso tamen dicendi genere vtitur, quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter cætera in principio huius operis ait: Commotus * oraculo Gedeon, cùm audisset quòd deficientibus licet populorum milibus, in vno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hædum caprarum: cuius carnem secundùm præcepta Angeli, & azyma supra petram posuit, & ea iure perfudit: quæ simul vt virgæ cacumine quam gerebat Angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est: *Bibebant de consequenti petra, petra autem erat Christus.* Quod vtique non ad diuinitatem eius, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus IESVS in carne sua, totius mundi

Ambr. l. 1. de Spiritu sancto, in prologo, initio. Iud. 6.19. * al. quo motus. 1. Cor. 10. 4.

peccata crucifixus aboleret; nec solùm delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hædi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum

Num. 11. 4.

est: *Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt, Quis nos cibabit carne?* Quòd igitur extendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exiit, ostendit quòd caro Domini spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ condi-

Lucæ 12. 49.

tionis exureret. Vnde & Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram:* & cætera, in quibus rei docendæ ac probandæ maximè incumbit.

Cyprianus in epistola de habitu virginũ, quæ incipit, Disciplina custos. Post initium.

De genere temperato est apud Cyprianum virginitatis illa laudatio: Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria est, maior & cura. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis & honores, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret sanctæ matris Ecclesiæ gloriosa fœcunditas: quantóque plus gloriosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit. Et alio loco in fine Epistolæ: *Quo-*

Vbi suprà. 1. Cor. 15. 49.

modò, inquit, *portauimus imaginem eius qui de limo est, sic portemus & imaginem eius qui de cælo est.* Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat & veritas: portant disciplinæ Dei memores, iustitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendas iniurias mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace vnanimes atque concordes. Quæ vos singula, ô bonæ virgines, obseruare, diligere, implere debetis, quæ Deo & Christo vacantes, ad Dominum cui vos dicastis, maiore & meliore parte præceditis: prouectæ annis, iunioribus facite magisterium: minores natu, præbete comparibus incitamentum, hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam prouocate, durate fortiter, spiritaliter pergite, peruenite feliciter, tantùm mementote tunc nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.

De virginibus lib. 2. in principio.

Ambrosius etiam genere dicendi temperato & ornato professis virginibus proponit tanquam sub exempli forma quod moribus imitentur, & dicit: Virgo erat, non solùm cor-

pore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermoni, arbitrũ mentis solita non hominem sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando irrisit debilem? quando vitauit inopem? Eos solos solicita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, & figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ergo exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ penè defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hîc congeminati ieiunio dies: & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerunque obuius qui mortem arceret, non delicias ministraret, &c.

1. Cor. 6.

Hæc autem propterea in exemplo huius temperati generis posui, quia non hic agit vt virginitatem voueant quæ nondum vouerunt, sed quales esse debeant quæ iam votæ sunt. Nam vt aggrediatur animus tantum ac tale propositum, grandi vtique dicendi genere debet excitari & accendi. Sed martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit. Iste verò Episcopus etiam ad hoc eas magno accendit eloquio. Verùm ex eo quod ambo egerunt, dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe inuecti sunt in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potiùs decolorant: quorum prior ille cùm hoc ageret, ait inter cætera: Si quis pingendi artifex vultum alicuius & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consummatóque simulachro, manus alius inferret, vt iam formata, iam picta quasi peritior reformaret, grauis prioris ar-

Grandis generis exemplum.

In epistola de habitu virginis paulo post medium.

„ tificis iniuria & iusta indignatio videretur. Tu te existimas
„ impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei ar-
„ tificis offensam? Vt enim impudica circa homines, & incesta
„ fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatísque quæ Dei
„ sunt, peior adultera detineris. Quòd ornari te putas, quòd
„ putas comi, impugnatio est ista diuini operis, præuaricatio est
„ veritatis. Monentis Apostoli vox est: *Expurgate vetus fermen-*
1. Cor. 5. 7. 8. „ *tum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha no-*
„ *strum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus, non in fer-*
„ *mento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis*
„ *synceritatis & veritatis.* Num synceritas perseuerat & veritas,
„ quando quæ syncera sunt polluuntur, & colorum adulterinis
„ medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Domi-
Mat. 5. 36. „ nus tuus dicit: *Non potes facere capillum vnum album aut ni-*
„ *grum:* & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse po-
„ tiorem audaci conatu, & sacrilego contemptu? Crines tuos
„ inficis, malo præsagio futurorum capillos iam tibi flam-
„ meos auspicaris? Longum est inserere omnia quæ sequun-
tur.

Amb. l. 1. de virginibus, ante medium. „ Ille verò posterior vt in tales diceret: Hinc illa, inquit, nas-
„ cuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depin-
„ gant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultus,
„ meditantur adulterium castitatis. Quanta amentia hîc effi-
„ giem mutare naturæ, picturam quærere? Et dum verentur
„ maritale iudicium, perdiderunt suum. Prior enim de se pro-
„ nunciat, quæ cupit mutare quod nata est: ita dum alij studet
„ placere, priùs ipsa sibi displicet. Quem iudicem mulier ve-
„ riorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipsam quæ vi-
„ deri times? Si pulchra es, cur absconderis? Si deformis, cur te
„ formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gra-
„ tiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis
„ placere: & irasceris si amet alteram, qui adulterare in te do-
al. Malè. „ cetur. Mala * magistra es iniuriæ tuæ. Lenocinari enim re-
„ fugit, etiam quæ passa est lenonem. Ac licet vilis mulier, non
„ alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodùm in
„ adulterio crimina sunt: ibi enim pudicitia, hîc natura adulte-
ratur. Satis, vt existimo, apparet fœminas ne suam fucis adul-
terent formam, & ad pudorem & ad timorem hac facundia
vehementer impelli. Proinde neque submissum neque tem-

peratùm, ſed grande omnino genus hoc elocutionis agnoſcimus. In his autem quos duos ex omnibus proponere volui, & in aliis Eccleſiaſticis viris & bona & benè, id eſt ſicut res poſtulat, acutè, ornatè, ardenterque dicentibus, per multa eorum ſcripta vel dicta poſſunt hæc tria genera reperiri, & aſſidua lectione vel auditione admixta etiam exercitatione ſtudentibus inoleſcere.

Cap. XXII. Dictio varianda eſt.

NEC quiſquam præter diſciplinam eſſe exiſtimet iſta miſcere, imò quantum congruè fieri poteſt, omnibus generibus dictio varianda eſt. Nam quando prolixa eſt in vno genere, minùs detinet auditorem. Cùm verò fit in aliud ab alio tranſitus, etiam ſi longiùs eat, decentiùs procedit oratio: quamuis habeant & ſingula genera varietates ſuas in ſermone eloquentium, quibus non ſinuntur in eorum qui audiunt frigeſcere vel tepeſcere ſenſibus. Veruntamen faciliùs ſubmiſſum ſolum quàm ſolum grande diutiùs tolerari poteſt. Commotio quippe animi quantò magis excitanda eſt, vt nobis aſſentiat auditor, tantò minùs in ea diu teneri poteſt, cùm fuerit quantum ſatis eſt excitata. Et ideò cauendum eſt, ne dum volumus altiùs erigere quod erectum eſt, etiam inde decidat, quò fuerat excitatione perductum. Interpoſitis verò quæ ſunt dicenda ſubmiſſiùs, bene reditur ad ea quæ opus eſt granditer dici, vt dictionis impetus ſicut maris æſtus alternet. Ex quo fit vt grande dicendi genus, ſi diutiùs eſt dicendum, non debeat eſſe ſolum, ſed aliorum generum interpoſitione varietur: ei tamen generi dictio tota tribuatur, cuius copia præualuerit.

Cap. XXIII. De miſcēda dictionis genere.

INTEREST enim quod genus cui generi interponatur vel adhibeatur certis & neceſſariis locis: nam & in grandi genere ſemper aut penè ſemper temperata debent eſſe principia. Et in poteſtate eſt eloquentis, vt dicantur nonnulla ſubmiſsè etiam quæ poſſent granditer dici, vt ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, & eorum tanquam vmbris luminoſiora reddantur. In quocunque autem genere aliqua quæſtionum vincula ſoluenda ſunt, acumine opus eſt, quod ſibi ſubmiſſum genus propriè vendicat. Ac per hoc eo genere vtendum eſt & in aliis duobus generibus, quando eis iſta incidunt, ſicut laudandum aliquid vel vituperandum: vbi nec damnatio, nec cuiuſquam liberatio, nec

ad actionem quamlibet assensio requiritur: in quocunque alio genere occurrerit, genus adhibendum & interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inueniunt locos suos duo cætera, & in submisso similiter. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submisso indiget, si (vt dixi) * quæstio cuius nodus est soluendus, incurrat: vel quando nonnulla, quæ ornari possent, ideò non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, vt quibusdam quasi thoris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit *: ad delectandos quippe animos, non ad mouendos ipsa suscipitur.

al. sicut dixi, si quæstio.

al. temperatam dictionem requirit.

Cap. XXIV. *Sublime dicendi genus quid efficiat.*

NON sanè si dicenti crebriùs & vehementiùs acclametur, ideò granditer putandus est dicere: hoc enim & acumina submissi generis, & ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerúnque pondere suo voces premit, sed lachrymas exprimit. Denique cùm apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam ciuilem, vel potiùs plus quàm ciuilem, quam cateruam vocabant: neque enim ciues tantummodò, verumetiam propinqui, & fratres, postremò parentes ac filij lapidibus inter se in duas partes diuisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solenniter dimicabant, & quisque vt quemque poterat occidebat: egi quidem granditer quantum valui, vt tam crudele atque inueteratum malum de cordibus & moribus eorum auellerem, pelleremque dicendo: non tamen egisse aliquid me putaui, cùm eos audirem acclamantes, sed cùm flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri & delectari, flecti autem lachrymis indicabant. Quod vbi aspexi, immanem illam consuetudinem à patribus & auis, longéque à maioribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potiùs possidebat, deuictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora conuerti. Et ecce iam fermè octo vel ampliùs anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est. Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus homines quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potiùs quàm gemitu, aliquando etiam lachrymis, postremò vitæ mutatione monstrasse. Submisso etiam dicendi genere sunt plerique

mutati, sed vt quod non sciebant, scirent: aut quod eis videbatur incredibile, crederent: non autem vt agerent quod agendum iam nouerant, & agere nolebant. Ad huiusmodi namque duritiam flectendam, debet granditer dici. Nam & laudes & vituperationes quando eloquenter dicuntur, cùm sint in genere temperato, sic afficiunt quosdam, vt non solùm in laudibus & vituperationibus eloquentia delectentur, verùm & ipsi laudabiliter appetant, fugiántque vituperabiliter viuere. Sed nunquid omnes qui delectantur, mutantur: sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt, & in submisso genere omnes qui docentur sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt?

VNDE colligitur illa duo genera quod efficere intendunt, hoc eis esse maximè necessarium, qui sapienter & eloquenter volunt dicere. Illud verò quod agitur genere temperato, id est vt eloquentia ipsa delectet, non est propter seipsum vsurpandum, sed vt rebus quæ vtiliter honesteque dicuntur, si nec docente indigent eloquio nec mouente, quia & scientes & fauentes auditores habent, aliquantò promptiùs ex ipsa delectatione elocutionis accedat vel tenaciùs adhæreat assensus. Nam cùm eloquentiæ sit vniuersale officium in quocunque istorum trium generum, dicere aptè ad persuasionem, finis autem id quod intenderis persuadere dicendo: in quocunque istorum trium generum dicit quidem eloquens aptè ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non peruenit eloquentiæ. Persuadet autem in submisso genere vera esse quæ dicit. Persuadet in grandi, vt agantur quæ agenda iam esse sciuntur, nec tamen aguntur. Persuadet in genere temperato, pulchrè ornatéque se dicere: quo fine nobis quid opus est? Appetant eum qui lingua gloriantur, & se in panegyricis talibusque dictionibus iactant, vbi nec docendus, nec ad aliquid agendum mouendus, sed tantummodò est delectandus auditor. Nos verò istum finem referamus ad alterum finem, vt scilicet quod efficere volumus cùm granditer dicimus, hoc etiam isto velimus, id est vt bona morum diligantur, vel deuitentur mala: si ab hac actione non sic alieni sunt homines, vt ad eam grandi genere dictionis vrgendi videantur: aut si iam id agunt, vt agant studiosiùs, atque in eo firmiter perseuerent. Ita fit vt etiam temperati generis ornatu

CAP. XXV. Dicendum vt persuadeamus.

non iactanter, sed prudenter vtamur: non eius fine contenti, quo tantummodò delectatur auditor, sed hoc potiùs agentes, vt etiam ipso ad bonum, quod persuadere volumus, adiuuetur.

Cap. xxvi. *Vt cum audientium voluptate dicamus.*

ILLA itaque tria quæ suprà posuimus, eum qui sapienter dicit, si etiam eloquenter vult dicere, id agere debere vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur, non sic accipienda sunt tanquam singula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, vt ad submissum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri: sed sic potiùs vt hæc tria semper intendat, & quantùm potest agat: etiam cùm in illorum singulo quoque versatur. Nolumus enim fastidiri, etiam quod submissè dicimus, ac per hoc volumus non solùm intelligenter, verùm etiam libenter audiri. Quid autem agimus diuinis testimoniis docendo quod dicimus, nisi vt obedienter audiamur, id est vt credatur eis, opitulante

Psal. 92.5. illo cui dictum est: *Testimonia tua credibilia facta sunt valdè?* Quid etiam cupit nisi vt sibi credatur, qui aliquid licet submisso eloquio discentibus narrat? Et quis eum velit audire, nisi auditorem nonnulla etiam suauitate detineat? Nam si non intelligatur, quis nesciat nec libenter eum posse, nec obedienter audiri? Plerunque autem dictio ipsa submissa dissoluit difficillimas quæstiones, & inopinata manifestatione demonstrat: dum sententias acutissimas de nescio quibus quasi cauernis, vnde non sperabatur, eruit & ostendit: dum aduersarij conuincit errorem, & docet falsum esse quod ab illo dici videbatur inuictum: maximè quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodammodò naturale: & quando nonnulla non iactatiuncula, sed quasi necessaria, at-

* al. exorta. que (vt ita dicam) ipsis rebus extorta * numerositas clausularum, tantas acclamationes excitat, vt vix intelligatur esse

Metaphora venusta. submissa. Non enim quia neque incedit ornata neque armata, sed tanquam nuda congreditur, ideò non aduersarium neruis lacertisque collidit, & obsistentem subruit ac destruit membris fortissimis falsitatem. Vnde autem crebrò & multùm acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic inuicta delectat? Et in hoc igitur genere submisso iste noster doctor & dictor id agere debet, vt non solùm intelligenter, verùm etiam libenter & obedienter audiatur.

tur. Illa quoque eloquentia generis temperari apud eloquentem Ecclesiasticum, nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur: nec solũ hoc appetit vt delectet, quod solũ apud alios profitetur: verùm etiã in iis quæ laudat siue vituperat, illis appetendis vel firmiùs tenendis, illis autẽ vitandis vel respuendis, vult vtique obedienter audiri. Si autem non auditur intelligenter, nec libenter potest. Proinde illa tria, vt intelligant qui audiunt, vt delectentur, vt obediant, etiam in hoc genere agendum est, vbi tenet delectatio principatum. Iam verò vbi mouere & flectere grandi genere opus est auditorem, quod tunc est opus, quando & veraciter dicit, & suauiter confitetur, & tamen non vult facere quod dicitur, dicendum est proculdubio granditer. Sed quis mouetur, si nescit quod dicitur? Aut quis tenetur vt audiat, si non delectatur? Vnde & in isto genere, vbi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi & intelligenter & libenter qui dicit audiatur, non potest obedienter audiri.

HABET autem vt obedienter audiatur quantacunque granditate dictionis maius pondus vita dicentis: Nam qui sapienter & eloquenter dicit, viuit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamuis animæ suæ sit inutilis, sicut scriptum est: *Scribæ & Pharisæi in cathedra Moysi sederunt; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt*, vnde ait & Apostolus: *Siue occasione, siue veritate Christus annuncietur.* Christus autem veritas est, & tamen etiam non veritate annunciari veritas potest, id est vt prauo & fallaci corde quæ recta & vera sunt prædicentur. Sic quippe annunciatur IESVS CHRISTVS ab eis qui sua quærunt, non quæ IESV CHRISTI. Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt, qui ait: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt*; ideò audiuntur vtiliter, qui etiam vtiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent: de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus, priùs quàm de talibus quod commemoraui diceret, præmisit, *Super Cathedram Moysi sederunt.* Illa ergo cathedra, non eorum sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facien-

Cap. XXVII. *Obedientius audiri cuius vitæ orationi respondet.*

Mat. 23. 1.

Phil. 1. 18.

Phil. 2. 21.

Matt. 23. 3.

tes. Agebant ergo sua in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt: sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis & doctoribus quærunt, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt ore suo, atque dicentes, Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit vt cum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnant. Denique Apostolus scribens ad Timotheum,
1.Tim.4.12. cùm dixisset: *Nemo adolescentiam tuam contemnat:* subiecit vnde non contemneretur, atque ait: *Sed forma esto fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in fide, in castitate.*

Cap. XXVIII. *Sapienter dicere.*

TALIS doctor vt obedienter audiatur non impudenter, non solùm submissè ac temperatè, verum etiam granditer dicit, quia non contemptibiliter viuit. Sic námque elegit bonam vitam, vt etiam bonam non negligat famam, sed prouideat bona coram Deo & hominibus, quantùm potest illum timendo, his consulendo. In ipso etiam sermone malit rebus placere quàm verbis: nec existimet dici meliùs, nisi quod dicitur veriùs: nec doctor verbis seruiat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Non in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi.* Ad hoc enim valet etiam quod ait ad Timotheum: *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Neque enim hoc ideò dictum est, vt aduersariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et vbi erit quod cùm ostenderet qualis esse Episcopus debeat, ait inter cætera: *Vt potens sit in doctrina sana & contradicentes possit redarguere.* Verbis enim contendere, est non curare quomodò error veritate vincatur, sed quomodò tua dictio dictioni præferatur alterius. Porrò qui non verbis contendit, siue submissè, siue temperatè, siue granditer dicat, id agit verbis vt veritas pateat, veritas placeat, veritas moueat: quoniam nec ipsa quæ præcepti finis, & plenitudo legis est charitas, vllo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur non vera sed falsa sunt. Sicut autem cuius pulchrum corpus & deformis est animus, magis dolendus est, quàm si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt di-

Marginal references: 2.Cor.8.21. 1.Cor.1.17. 2.Tim.2.14. Tit.1.9.

cunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solùm eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus quas audire oporteat adhibere? Sed qui vtrumque non potest, dicat sapienter quod non dicit eloquenter, potiùs quàm dicat eloquenter, quod non dicit sapienter.

Cap. xxix. Diuersos esse verbi pracones secundū linguā, ingenij, vita diuersitatem.

SI autem ne hoc quidem potest, ita conuersetur, vt non solùm præmium sibi comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, & sit eius quasi copia dicendi forma viuendi. Sunt sanè quidam qui bene pronunciare possunt, quid autem pronuncient, excogitare non possunt. Quòd si ab aliis sumant eloquenter sapientérque conscriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant, si eam personam gerunt, non improbè faciunt. Sic enim, quod profectò vtile est, multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si vnius veri magistri idipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata. Nec deterrendi sunt isti voce Hieremiæ Prophetæ, per quem Deus arguit eos qui furantur verba eius, vnusquisque à proximo suo. Qui enim furantur, alienum auferunt: verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei: potiúsque ille dicit aliena, qui cùm dicat bene, viuit malè. Quæcunque enim bona dicit, eius excogitari videntur ingenio, sed ab eius moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt, cùm mali sint faciendo quæ sua sunt. Nec sanè ipsi dicunt bona, quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodò enim dicunt verbis, quod negant factis? Non enim frustrà de talibus ait Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Modo ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo ipsi non dicunt, quoniam vtrúmque verum est quod ait veritas. De talibus enim loquens: *Quæ dicunt*, inquit, *facite: quæ autem faciunt, facere nolite:* hoc est, quod ex ore illorum auditis, facite: quod in opere videtis, facere nolite: dicunt enim, inquit, & non faciunt. Ergo quamuis non faciant, dicunt tamen. Sed alio loco tales arguens: *Hypocritæ*, inquit, *quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Ac per hoc & ea quæ dicunt, quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet atque opere negando quod dicunt. Vnde contingit, vt

Hier. 23. 30. | Tit. 1. 16. | Mat. 23. 3. | Mat. 12. 34.

homo disertus & malus sermonem quo veritas prædicetur, dicendum ab alio non diserto sed bono ipse componat. Quod cùm fit, ipse à seipso tradit alienum, ille ab alieno accipit suum. Cùm verò boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, vtrique sua dicunt: quia & Deus ipsorum est, cuius sunt illa quæ dicunt: & ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundùm illa compositè viuunt.

Cap. xxx. *Orandus Deus, vt adsit nobis dicentibus.* SIVE autem apud populum vel apud quoslibet iamiamque dicturus, siue quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum est dictaturus, oret vt Deus sermonem bonum det in os eius. Si enim regina orauit Hester, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Regem, vt in os eius Deus congruum sermonem daret; quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? Illi verò qui ea dicturi sunt quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant orent pro eis à quibus accipiunt, vt eis detur quod per eos accipere volunt: & cùm acceperint, orent vt bene & ipsi proferant, & illi ad quos proferunt sumant: & de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant, vt qui gloriatur, in illo glorietur, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri.

Hest. 14. 13.

Sap. 7. 16.

Cap. xxxi. *Excusat prolixitatē libri.* LONGIOR euasit liber hic quàm volebam, quámque putaueram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est: cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum. Quem verò eius cognitionis piget, de longitudine non queratur. Ego tamen Deo nostro gratias ago, quòd in his quatuor libris non qualis ego essem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est Christiana, non solùm sibi, sed aliis etiam laborare studet, quantulacunque potui facultate disserui.



SANCTI AVRELII AVGVSTINI DE VERA RELIGIONE LIBER.

Argumentum huius libri ex Retract. lib. 1. c. 13.

*TVNC etiam de vera religione librum scripsi, in quo multipliciter & copiosissimè disputatur vnum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, religione vera colendum: & quanta misericordia eius, per temporalem dispensationem concessa sit hominibus Christiana religio, quæ vera religio est, & ad eundem cultum Dei quemadmodum sit homo quadam * vita sua coaptandus. Maximè tamen contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur.* * al. suauitate.

CVM omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera religione sit constituta, qua vnus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur, principium naturarum omnium à quo vniuersitas & inchoatur & perficitur & continetur: hinc euidentiùs error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere, quàm vnum verum Deum, & Dominum omnium maluerunt, quòd eorum sapientes, quos Philosophos vocant, scholas habebant dissentientes & templa communia. Non enim vel populos vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quàm diuersa sentirent, cùm suam quisque opinionem publicè profiteri non formidaret, atque omnibus si posset persuadere moliretur, omnes tamen cum sectatoribus suis diuersa & aduersa sentientibus, ad sacra communia nullo prohibente veniebant. Non nunc agitur quis eorum verius senserit, sed certè illud satis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione suscepisse cum po- *Cap. 1. Philosophi de religione quid senserint.*

pulo, & aliud eodem ipso populo audiente defendisse priuatim.

Cap. II. De diis quid Socrates senserit. * al. tanquā.

SOCRATES tamen * audacior cæteris fuisse perhibetur, iurando per canem quemlibet, & lapidem quemlibet, & quidquid iuraturo esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Credo intelligebat qualiacunque opera naturæ, quæ administrante diuina prouidentia gignerentur, multo quàm hominum & quorumlibet opificum esse meliora, & ideò diuinis honoribus digniora, quàm ea quæ in templis colebantur. Non quod verè lapis & canis essent colenda sapientibus, sed vt hoc modo intelligerent qui possent, tanta superstitione demersos esse homines, vt emergentibus hîc esset tam turpis demonstrandus gradus: ad quem venire si puderet, viderent quantò magis pudendum esset in turpiore consistere. Simul & illos qui mundum istum visibilem, summum Deum esse opinabantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens, vt quilibet lapis tanquam summi Dei particula iure coleretur. Quod si execrarentur, mutarent sententiam, & vnum Deum colerent *, quem solum suprà mentes nostras esse, & à quo omnem animam & totum istum mundum fabricatum esse constaret. Postea suauiùs ad legendum, quàm potentiùs ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic isti nati erant, vt populorum suorum * opinionem ad verum cultum veri Dei à simulachrorum superstitione, atque ab huius mundi vanitate conuerterent. Itaque & ipse Socrates cum populo simulachra venerabatur, & post eius damnationem mortemque nemo ausus est iurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem Iouem, sed hæc tantummodò memoriæ literisque mandare. Quod vtrum timore seueritatis, an aliqua cognitione temporum fecerint, iudicare non est meum.

Mundus hic pro Deo habitus.

* al. quærerent.

* al. ipsorū.

Cap. III. Pagani mirè conuersi ad Christū.

ILLVD tamen fidentissimè dixerim, pace horum omnium, qui eorum libros peruicaciter diligunt, Christianis temporibus quænam religio potissimùm tenenda sit, & quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viueret, & me interrogantem non aspernaretur, vel potiùs, si quis eius discipulus eo ipso tempore quo viuebat, cum interrogaret: cùm sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri, cui quæ-

cunque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam: ad quam percipiendam nihil magis impedire, quàm vitam libidinibus deditam & falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones erroresque generarent: quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, & eodem modo semper se habentem, atque vndique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed vnum atque idem omni ex parte seruantem, quam non crederent esse homines, cùm ipsa verè summéque sit: cætera nasci, occidere, fluere, labi, & tamen inquantum sunt, ab illo æterno Deo per eius veritatem fabricata consistere: in quibus animæ tantùm rationali & intellectuali datum est, vt eius æternitatis contemplatione perfruatur atque afficiatur, ornetúrque ex ea, æternámque vitam possit mereri. Sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur *, & dedita consuetudini huius vitæ atque sensibus corporis, inanibus euanescit imaginibus, irridet eos, qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec vllo phantasmate cogitetur, sed mente sola & intelligentia cerni queat.

* al. satiatur.

Cùm hæc ergo à magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, vtrum si quisquam existeret vir magnus atque diuinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non prauis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus, eum diuinis honoribus dignum iudicaret: responderet credo ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem fortè ipsa Dei virtus atque sapientia ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique maiestate subueheret, vt omnia contemnendo quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, & omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate conuerteret. De honoribus verò eius frustrà se consuli, cùm facilè possit existimari quantum honoris debeatur sapientiæ Dei, qua gestante & gubernante ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium,

& quod supra homines esset mereretur. Quæ si facta sunt, si literis monumentísque celebrantur, si ab vna regione terrarum, in qua sola vnus colebatur Deus, & vbi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri, virtutibus atque sermonibus diuini amoris incendia concitarunt: si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt: & ne de præteritis loquar, quæ potest quisque non credere, si hodie per gentes populósque prædicatur:
Ioan. 1.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum, vt anima sanetur, & tantæ luci hauriendæ mentis acies conualescat, dicitur auaris: *Nolite vobis*
Matt.6.19. *condere thesauros in terra, vbi tinea & ærugo exterminant, & vbi fures effodiunt & furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque tinea neque rubigo exterminat, neque fures effodiunt, neque furantur: vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Dicitur luxuriosis: *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem:*
Galat.6.8. *qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Dicitur superbis: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*
Lucæ 14.11.
Matt.5.38. Dicitur iracundis: *Accepisti alapam, para alteram maxillam.* Di-
Lucæ 6. 35. citur discordiosis: *Diligite inimicos vestros.* Dicitur superstiti-
Matt.5.44. tiosis: *Regnum Dei intra vos est.* Dicitur curiosis: *Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*
Lucæ 17 21 Postremò dicitur omnibus: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi.* Si
2.Cor 4.18.
1. Ioã.2.15 hæc per totum orbem iam populis leguntur, & cum veneratione libentissimè audiuntur: si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tantò fertiliùs & vberiùs vsque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt: si tot iuuenum & virginum millia contemnentium nuptias, castéque viuentium, iam nemo miratur: quod cùm fecisset Plato, vsque adeò peruersam temporum suorum timuit opinionem, vt perhibeatur sacrificasse naturæ, vt tanquam peccatum illud aboleretur: si hæc sic accipiuntur, vt quomodò antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit: si tali pollicitatione atque sponsioni per omnes terrarum partes quas

quas homines incolunt, sacra Christiana traduntur: si hæc quotidie leguntur in Ecclesiis, & à Sacerdotibus exponuntur: si tundunt pectora qui conantur hæc implere, si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, vt desertis diuitiis & honoribus huius mundi ex omni hominum genere vni Deo summo totam vitam dicare volentium, desertæ quondam insulæ, ac multarum terrarum solitudo compleatur: si denique per vrbes atque oppida, castella, vicos & agros etiam villásque priuatas in tantum apertè persuadetur & appetitur à terrenis auersio, & in vnum Deum verumque conuersio, vt quotidie per vniuersum orbem humanum genus vna penè voce respondeat, *Sursum corda se habere ad Dominum*, quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, & in mortuis pecudibus diuina eloquia perscrutamur? Si quando autem ad disputationem venitur, Platonico nomine ora crepantia, quàm pectus vero plenum, magis habere gestimus. *In Canone Missæ.*

Cap. IV. De amore cælesti un

QVI ergo sensibilem istum mundum contemnere & animam virtute purgandam, summo Deo subiicere atque subiugare, vanum aut malum putant, alia ratione refellendi sunt: si tamen cum his dignum est disputare. Qui autem bonum & appetendum fatentur, cognoscant Deum & cedant Deo, per quem populis iam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod vtique ab ipsis fieret, si tantum valerent: aut si non fieret, crimen inuidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei à quo factum est, nec curiositate aut inani iactantia impediantur quo minùs agnoscant, quid intersit inter paucorum tumidas coniecturas, & manifestam salutem correptionémque populorum. Illi enim si reuiuiscerent, quorum isti nominibus gloriantur, & inuenirent refertas Ecclesias, templáque deserta, & à cupiditate bonorum temporalium & fluentium ad spem vitæ æternæ, & bona spiritalia & intelligibilia vocari & currere hnmanum genus, dicerent fortasse (si tales essent quales fuisse memorantur) hæc sunt quæ nos persuadere populis non ausi sumus, & eorum potiùs consuetudini cessimus, quàm illos in nostram fidem voluntatémque traduximus. Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profectò cuius autoritate faciliùs consuleretur hominibus, & paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorúmque tem-

Platonici minimum ab sunt à Christianis.

porum Platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur neque facerent, in superbia & inuidia remanentes, nescio vtrum possent ad ea ipsa quæ appetenda & desideranda esse dixerant, cum istis sordibus viscoque reuolare. Nam tertio vitio curiositatis in percontandis dæmonibus, quo isti maximè cum quibus nunc agitur pagani à Christiana salute reuocantur: quia nimis puerile est, nescio vtrum tales illi præpedirentur viri.

In Phædro, item 6. de Legibus, ac Timæo.

Cap. v. *In quibus sectis vera religio.*

SED quoquo modo se habeat * Philosophorum iactantia, illud cuiuis intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, & de suorum deorum natura ac summo bono, diuersas contrariásque sententias in scholis suis eadem teste multitudine personabant. Quòd si hoc vnum tantùm vitium Christiana disciplina sanatum videremus, ineffabili laude prædicandam esse, neminem negare oporteret. Hæreses námque tam innumerabiles à regula Christianitatis auersæ, testes sunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos, qui de Patre Deo, & Sapientia eius, & MUNERE diuino aliter sentiunt, & hominibus persuadere conantur, quàm veritas postulat. Sic enim creditur, & docetur quod est humanæ salutis caput, non aliam esse Philosophiam, id est, sapientiæ studium, & aliam religionem, cùm ij quorum doctrinam non approbamus, nec Sacramenta nobiscum communicant. Quod in illis minùs mirandum est, qui eorum quoque Sacramentorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui serpentini, qui appellantur Manichæi*, sicut alij nonnulli. Sed in illis magis animaduertendū hoc magisque prædicandum, qui paria Sacramenta celebrantes, tamen quia sententiâ dispares sunt, & errores suos animosiùs defendere quàm cautiùs corrigere maluerunt, exclusi à Catholica communione, & à participatione, quamuis parium Sacramentorum, propria vocabula proprió que conuentus, non in sermone tantùm, sed etiam in superstitione meruerunt: vt Photiniani, Arriani, multíque præterea. Nam de iis qui schismata fecerunt, alia quæstio est. Posset enim eos area Dominica vsque ad tempus vltimæ ventilationis velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ nimia leuitate cessissent, & sese à nobis vltrò separassent. Iudæi verò quamuis vni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen tem-

* *al.* habebat.

Munus diuinū spiritus sanctus.

* *al* sicut Manichæi.

poralia & visibilia bona de illo expectantes, rudimenta noui populi ab humilitate surgentia, in ipsis suis scripturis nimia securitate noluerunt aduertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cùm ita sint, neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, & recta sectantes.

Cap. VI. Et bonis & malis vtitur Ecclesia.

HÆC enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè latéque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cùm euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi. Carnales autem suos, id est, viuentes aut sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque, vel palea vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accusatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam malè liberi defluunt ad admonitionem nostræ diligentiæ: aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ: aut hæresim aliquam gignunt ad examen siue occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus Christianorum carnalium, qui non potuerunt corrigi aut sustineri. Sæpè etiam sinit diuina prouidentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel iniuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesiæ pace tulerint, neque vllas nouitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu, & quanta synceritate charitatis Deo seruiendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus: aut si id non sinantur, vel eadem

Constantia Sanctorum pro Ecclesia.

tempestate perseuerante, vel ne suo reditu talis aut sæuior oriatur, tenent voluntatem consulendi, etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibúsque cesserunt, sine vlla conuenticulorum segregatione vsque ad mortem defendentes, & testimonio iuuantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt: imò plura sunt quàm credi potest. Ita omnibus generibus hominum & exemplorum ad animarum curationem, & ad institutionem spiritalis populi, vtitur diuina prouidentia.

Cap. VII. Catholicæ Ecclesiæ laus.

QVAMOBREM cùm ante paucos annos promiserim tibi scribere, charissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem, tempus nunc esse arbitratus sum, postquam tuas acerrimas interrogationes, sine vllo certo fine fluctuare, ea charitate qua tibi obstrictus sum, diutiùs sustinere non possum. Repudiatis igitur omnibus, qui neque in sacris philosophantur, nec in Philosophia consecrantur: & iis qui vel praua opinione, vel aliqua simultate superbientes, à regula & communione Ecclesiæ Catholicæ deuiarunt: & iis qui sanctarum scripturarum lumen, & spiritalis populi gratiam, quod nouum Testamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui breuitate perstrinxi. Tenenda est nobis Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verumetiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolintve ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Huius religionis sectandæ caput est historia & prophetia dispensationis temporalis diuinæ prouidentiæ, pro salute generis humani in æternam vitam reformandi atque reparandi. Quæ cùm credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus de diuinis præceptis conciliatus, & idoneam faciet spiritalibus percipiendis, quæ nec præterita sunt, nec futura, sed eodem modo semper manentia, nulli mutabilitati obnoxia, id est, vnum ipsum Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum: qua Trinitate quantum in hac vita datum est cognita, omnis in-

tellectualis & animalis & corporalis creatura, ab eadem Trinitate creatrice esse inquantum est, & speciem suam habere, & ordinatissimè administrari, sine vlla dubitatione perspicitur: non vt aliam partem totius creaturæ fecisse intelligatur Pater, & aliam Filius, & aliam Spiritus sanctus, sed & simul omnia & vnaquamque naturam Patrem fecisse per Filium in dono Spiritus sancti. Omnis enim res vel substantia vel essentia vel natura, vel si quo alio verbo meliùs enunciatur, simul hæc tria habet, vt & vnum aliquid sit, & specie propria discernatur à cæteris, & rerum ordinem non excedat.

Qvo cognito, satis apparebit quantum homo assequi potest quàm necessariis & inuictis, & iustis legibus, Deo & Domino suo cuncta subiecta sint: ex quo illa omnia quæ primò credidimus, nihil nisi autoritatem secuti, partim sic intelliguntur, vt videamus esse certissima: partim sic vt videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse, doleamúsque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quàm nobiscum credere maluerunt. Non enim iam illa hominis Sacrosancta susceptio, & virginis partus, & mors Filij Dei pro nobis, & resurrectio à mortuis, & in cælum ascensio, & consessus ad dexteram Patris, & peccatorum abolitio, & iudicij dies, & corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis & mutabilitate creaturæ creduntur tantùm, & non etiam iudicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere. Sed quoniam verissimè dictum est: *Oportet multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos,* vtamur etiam isto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cùm autem foris sunt, plurimùm prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus, quàm lucem veritatis intueri. Quapropter multi vt diem Dei videant & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eo-

Cap. VIII. *Varietas sectarum profuit Ecclesiæ.*

1. Cor. 11. 19

rum insidias afferentes, vigilantiores & cautiores simus, etiam si eos ad salutem reuocare non possumus.

Cap. IX. *Manichæorum error de duabus animabus.*

CREDO autem affuturum Deum, vt ista scriptura præcedente pietate legentibus bonis, non aduersus vnam aliquam, sed aduersus omnes prauas & falsas opiniones possit valere. Contra eos tamen potissimùm est instituta, qui duas naturas vel substantias singulis principiis aduersus inuicem rebelles esse arbitrantur. Offensi enim quibusdam rebus, & rursus quibusdam delectati, non earum quibus offenduntur, sed earum quibus delectantur, volunt esse aurorem Deum. Et cùm consuetudinem suam vincere nequeunt, iam carnalibus laqueis irretiti, duas animas esse in vno corpore existimant: vnam de Deo, quæ naturaliter hoc sit quod ipse: alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abiecerit, sed quæ suam vitam, suam terram, suos fœtus & animalia, suum postremum habuerit regnum, ingenitúmque principium: sed quodam tempore aduersus Deum rebellasse, Deum autem cùm aliud quod faceret non haberet, & quomodò aliter posset hosti resistere non inueniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, & quandam particulam suæ substantiæ, cuius commixtione atque miscela * hostem temperatum esse somniant, & mundum fabricatum. Neque nunc opiniones eorum refellimus, quod partim iam fecimus, partim quantum Deus siuerit faciemus: sed in hoc Opere quomodò aduersus eos fides Catholica tuta sit, & quomodò non perturbent animum ea, quibus commoti homines in eorum cedunt sententiam, rationibus quas Dominus dare dignatur, quantum possumus demonstramus. Illud sanè in primis tenere te volo, qui bene nosti animum meum, non hoc me fugiendæ arrogantiæ gratia quasi solenniter dicere, quicquid in his literis erroris inueniri poterit, hoc solùm mihi esse tribuendum: quicquid autem verum & conuenienter expositum, vni omnium bonorum munerum largitori Deo.

* al. misce-rai.

Cap. X. *Error vnde, & quomodò defenditur vera religio.*

QVAMOBREM sit tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam *, aut corpus, aut phantasmata sua, aut horum aliqua duo coniuncta, aut certè simul omnia: sed in hac vita societati generis humani sine dolo temporaliter

* Id est Spiritum.

congruens, æterna meditaretur, vnum Deum colens; qui nisi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. Mutari autem animam posse, non quidem localiter, sed tamen temporaliter, suis affectionibus quisque cognoscit. Corpus verò & temporibus & locis esse mutabile, cuius aduertere facile est. Phantasmata porrò nihil sunt aliud quàm de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta; quæ memoriæ mandare vt accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est, sed cùm verum quæritur, cauere & vitare difficile. Non ergo creaturæ potiùs, quàm creatori seruiamus, nec euanescamus in cogitationibus nostris, & hæc perfecta religio est. Æterno enim creatori adhærentes, & nos æternitate afficiamur necesse est. Sed quia hoc anima peccatis suis obruta & implicata per seipsam videre ac tenere non posset, nullo in rebus humanis ad diuina capessenda interposito gradu per quem ad Dei similitudinem à terrena vita homo niteretur, ineffabili misericordia Dei temporali dispensatione per creaturam mutabilem, sed tamen æternis legibus seruientem ad commemorationem primæ suæ perfectæque naturæ, partim singulis hominibus, partim verò ipsi hominum generi subuenitur. Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere ac sequi, securissima & certissima salus est. Defendi autem aduersus loquaces, & aperiri quærentibus, multis modis potest. Omnipotente ipso Deo per seipsum demonstrante, quæ vera sunt, & ad hæc intuenda & percipienda, bonas voluntates per bonos Angelos & quoslibet homines adiuuante. Eo modo autem quisque vtitur, quem videt congruere iis cum quibus agit. Ego itaque diu multúmque considerans, quales oblatrantes, & quales quærentes expertus sim, vel qualis ipse, siue cùm latrarem, siue quum quærerem fuerim, hoc modo mihi vtendum putaui: quæ vera esse perspexeris, tene, & Ecclesiæ Catholicæ tribue, quæ falsa, respue, & mihi qui homo sum ignosce: quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Intende igitur in hæc quæ sequuntur diligenter, & piè quantum potes: tales enim adiuuat Deus.

Vide lib. 1. Retract. c. 13.

Vide lib. 1. Retr. c. 13.

Cap. xi. *Quæ vera vita aut mors.*

De agone Christiano, cap. 5.

Nvlla vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus vtique summa vita est, & ipse fons vitæ, nec aliqua vita inquantum vita est, malum est, sed inquantum vergit ad mortem: mors autem vitæ non est, nisi nequitia, quæ ab eo quod nequicquam sit, dicta est: & ideò nequissimi homines, nihili homines appellantur. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo, qui eam fecit, & cuius essentia fruebatur, & volens contra Dei legem frui corporibus quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum: & hæc est nequitia, non quia corpus iam nihilum est, nam & ipsum habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non posset. Ergo ab eo factum est & corpus, qui omnis concordiæ caput est. Habet corpus quandam pacem suæ formæ; sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est & corporis conditor, à quo pax omnis est, & qui forma est infabricata, atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem sine qua corpus non est corpus. Si ergo quæritur quis instituerit corpus, ille quæratur, qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi vnus Deus, vna veritas, vna salus omnium, & prima atque summa essentia, ex qua est omne quicquid est, inquantum est, quia inquantum est, quicquid est, bonum est. Et ideò ex Deo non est mors. *Non enim Deus mortem fecit, nec lætatur in perditione viuorum:* quoniam summa essentia esse facit omne quod est, vnde & essentia dicitur. Mors autem non esse cogit quicquid moritur, inquantum moritur. Nam si ea quæ moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio peruenirent: sed tantùm moriuntur, quantùm minus essentiæ participant. Quod breuius ita dici potest. tantò magis moriuntur, quantò minus sunt. Corpus autem minus est quàm vita quælibet, quoniam quantulumcunque manet in specie, per vitam manet, siue qua vnumquodque animal, siue qua vniuersa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subiacet morti, & ideò vicinius est nihilo: quapropter vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia.

Sap. 1. d. 13.

Cap. xii. *Lapsus & reparatio totius hominis.*

Hoc autem pacto vita carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam caro & terra nominatur, & quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit, & eripietur ei quod amat. Id enim amat, quod & minus est quàm vita, quia corpus est: & propter

pter ipsum peccatum quod amatur, fit corruptibile, vt fluendo deserat amatorem suum, quia & ille hoc amando deseruit Deum. Præcepta enim eius neglexit dicentis: Hoc manduca, & hoc noli. Trahitur ergo ad pœnas, quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum, & in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis eius rei, quam malè vtendo anima corruptioni fecit obnoxiam? Quid est autem dolor qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse sperauerat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, & pœna peccati. Si autem dum in hoc stadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas quas aduersum se nutriuit cupiditates fruendo mortalibus, & ad eas vincendas gratia Dei se adiuuari credat, mente illi seruiens, & bona voluntate, sine vlla dubitatione reparabitur, & à multis mutabilibus ad vnum incommutabile reuertetur, reformata per sapientiam non formatam*, sed per quam formantur vniuersa, frueturque Deo per Spiritum sanctum, quod est donum Dei: ita fit homo spiritalis omnia iudicans, vt ipse à nemine iudicetur, diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima sua, in tota mente sua, & diligens proximum suum non carnaliter, sed tanquam seipsum. Se autem spiritaliter diligit, qui ex toto quod in eo viuit, Deum diligit. In his enim duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Inde iam erit consequens, vt post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinæ stabilitati*, quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo. Quæ rursus non per se stabilitur, sed per Deum quo fruitur, ideóque ampliùs quàm corpus vigebit: corpus enim per ipsam vigebit, & ipsa per incommutabilem veritatem, qui Filius Dei vnicus est, atque ita & corpus per ipsum Filium Dei vigebit, quia omnia per ipsum. Dono etiam eius quod animæ datur, id est sancto Spiritu, non solùm anima cui datur salua & pacata & sancta fit, sed ipsum etiam corpus viuificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Ipse enim dixit: *Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt.* Dicit & Apostolus: *Viuificabit & mortalia corpora vestra pro-*

1. Cor. 2.15.
Math. 22. d. 36.
1. Retract. cap. 13.
* Imo etiã & n. 16. 14.
Ioan. 1. a. 3.
Mat. 23. 26.
Rom. 6. c. 11.

1. Cor. 15. 55 *pter spiritum manentem in vobis*. Ablato ergo peccato, auferetur & pœna peccati: &, Vbi est malum? vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? Vincit enim essentia nihilum, & sic absorbetur mors in victoriam.

Cap. XIII. *Angelorum differentia.*

NEC aliquid sanctificatis malus Angelus oberit; qui diabolus dicitur: quia & ipse, inquantum Angelus est, non est malus, sed inquantum peruersus propria voluntate. Fatendum est enim, & Angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incommutabilis: sed ea voluntate qua magis Deum quàm se diligunt, firmi & stabiles manent in illo, & fruuntur maiestate ipsius, ei vni libentissimè subditi. Ille autem Angelus magis seipsum quàm Deum diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit, & lapsus est: & ob hoc minùs est quàm fuit, quia eo quod minus erat frui voluit, quum magis voluit sua potentia frui, quàm Dei. Quanquam enim non summè, tamen amplius erat, quando eo quod summè est, fruebatur, quoniam Deus solus summè est. Quicquid autem minus est quàm erat, non inquantum est, sed inquantum minus est, malum est. Eo enim quo minus est quàm erat, tendit ad mortem. Quid autem mirum si fit ex defectu inopia, & ex inopia inuidentia, qua diabolus vtique diabolus est?

Cap. XIV. *A libero arbitrio peccatum.* 1. *Retract. cap.* 13.

DEFECTVS autem iste qui peccatum vocatur, si tanquam febris inuitum occuparet, rectè iniusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc verò vsque adeò peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem manifestum est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perseuerantem in peccatis iusta lege Dei damnari. Postremò, si non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus: quibus sublatis Christiana lex & disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam pec-

cati non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent. Liberaliter igitur Deo Angeli seruiunt, neque hoc Deo, sed ipsis prodest. Deus enim bono alterius non indiget, quoniam à seipso est. Quod autem ab eo genitum est, idipsum est, quia non est factum, sed genitum. Illa verò quæ facta sunt, eius bono indigent, summo scilicet bono, id est summa essentia. Minus autem sunt quàm erant, cùm per animæ peccatum minus ad illum mouentur, nec tamen penitus separantur, nam omnino nulla essent. Quod enim affectibus contingit animæ, hoc locis corpori: nam illa mouetur voluntate, corpus autem spacio. Quod autem homini à peruerso Angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc vtique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.

QVOD verò corpus hominis cùm ante peccatum esset in suo genere optimum, post peccatum factum est imbecillum, & morti destinatum, quanquam iusta vindicta peccati sit, plus tamen clementiæ Dei quàm seueritatis ostendit. Ita enim nobis suadetur à corporis voluptatibus ad æternam essentiam veritatis amorem nostrum oportere conuerti. Et est iustitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, vt quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita etiam nostra supplicia diuina prouidentia moderata est; vt & in hoc corpore tam corruptibili ad iustitiam tendere liceret, & deposita omni superbia, vni Deo vero collum subdere, nihil de seipso fidere, illi vni se regendum tuendùmque committere. Ita ipso duce homo bonæ voluntatis molestias huius vitæ in vsum fortitudinis vertit. In copia verò voluptatum prosperísque successibus temporalium, temperantiam suam probat & roborat: acuit in tentationibus prudentiam, vt non solùm in eas non inducatur, sed fiat etiam vigilantior, & in amorem veritatis, quæ sola non fallit, ardentior.

Cap. xv. *A peccatis quomodo resipiscimus.*

SED cùm omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia eius ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfe-

Cap. xvi. *Christus cur aduenerit.*

ctóſque tractandum eſt, nullo modo beneficentiùs conſuluit generi humano, quàm cùm ipſa ſapientia Dei, id eſt vnicus Filius conſubſtantialis Patri & coæternus, totum hominem
Ioan.1.14. ſuſcipere dignatus eſt, *& Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Ita enim demonſtrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporeiſque ſenſibus deditis, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, quòd non ſolùm viſibiliter, nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad noſtrorum aſpectuum tolerantiam temperato, ſed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipſa enim natura ſuſcipienda erat quæ liberanda. Et ne quis fortè ſexus à ſuo creatore ſe contemptum putaret, virum ſuſce-
*Vide lib.1 Retrac.c.13 pit, natus eſt ex fœmina. Nihil egit vi *, ſed omnia ſuadendo & monendo: veteri quippe ſeruitute tranſacta, tempus libertatis illuxerat, & opportunè iam homini ſuadebatur, atque ſalubriter, quàm libero eſſet creatus arbitrio. Miraculis conciliauit fidem Deo qui erat, paſſione homini quem gere-
Math. 12.d. 48. bat. Ita loquens ad turbas vt Deus, nunciatam ſibi matrem
Luc 2.51. negauit. Et tamen, vt Euangelium loquitur, puer parentibus ſubditus erat. Doctrinâ enim Deus apparebat, ætatibus homo. Item aquam in vinum conuerſurus vt Deus: *Recede à me mulier*, inquit, *quid mihi & tibi eſt? Nondum venit hora mea.*
Ioan.2.4. Ioan. 19. 27. Cùm autem veniſſet hora, qua vt homo moreretur, de cruce cognitam matrem commendauit diſcipulo, quem præ cæteris diligebat. Satellites voluptatum diuitias pernicioſè populi appetebant: pauper eſſe voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: tale coniugium prolémque contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ maior iniuria quàm iuſtum innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant: morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant: crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque vita eius in terris per

hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio verò eius à mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salua sunt Deo, satis indicauit, & quemadmodum cuncta seruiant creatori suo, siue ad vindictam peccatorum, siue ad hominis liberationem, quámque facilè corpus animæ seruiat, cùm ipsa subiicitur Deo. Quibus perfectis non solùm nulla substantia malum est, quod fieri nunquam potest, sed etiam nullo malo afficitur, quod fieri per peccatum & vindictam potuit. Et hæc est disciplina naturalis Christianis minus intelligentibus plena fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

Cap. XVII. Vetus & nouum Testamentū quomodo differant.

IAM verò ipse totius doctrinæ modus, partim apertissimus * rationibus, partim similitudinibus, in dictis, in factis, in Sacramentis, ad omnem animæ instructionem, exercitationémque accommodatus, quid aliud quàm rationalis disciplinæ regulam impleuit? Nam & mysteriorum expositio ad ea dirigitur, quæ apertissimè dicta sunt. Et si ea tantùm essent quæ facillimè intelliguntur, nec studiosè quæreretur, nec suauiter inueniretur veritas. Neque si essent in Scripturis Sacramenta, & in Sacramentis non essent signacula veritatis, satis cum cognitione actio conueniret. Nunc verò quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur, populus timore constrictus tempore seruitutis in veteri lege multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi, hoc est sub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc est sub eodem vno Deo compeditæ multitudini erant imposita, ab actione remota sunt, in fide atque interpretatione remanserunt. Ita nunc nec seruiliter alligant, & exercent liberaliter animum. Quisquis autem ideò negat vtrumque testamentum ab vno Deo esse posse, quia non eisdem Sacramentis tenetur populus noster, quibus Iudæi tenebantur vel adhuc tenentur: potest dicere non posse fieri, vt vnus paterfamilias iustissimus aliud imperet eis quibus seruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si

* al. apertissimis rationibus.

autem præcepta vitæ mouent, quod in veteri lege minora sunt, in Euangelio maiora, & ideò putatur non ad vnum Deum vtraque pertinere: potest qui hoc putat perturbari, si vnus medicus alia per ministros suos imbecilliotibus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem. Vt enim ars medicinæ cùm eadem maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita diuina prouidentia cùm sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subuenit, & pro diuersitate morborum aliis alia iubet aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet.

Cap. XVIII. *Creatura quare mutabiles.* SED dicis mihi, Quare deficiunt? Quia mutabilia sunt. Quare mutabilia sunt? Quia non summè sunt. Quare non summè sunt? Quia inferiora sunt eo à quo facta sunt. Quis ea fecit? qui summè est. quis hic est? DEUS incommutabilis Trinitas, quoniam & per summam sapientiam ea fecit, & summa benignitate conseruat. Cur ea fecit? Vt essent: ipsum enim quantuluncunque esse, bonum est: quia summum bonum est summè esse. Vnde fecit? Ex nihilo. Quoniam quicquid est, quantulacunque specie sit, necesse est: ita & si minimum bonum, tamen bonum erit, & ex DEO erit. Nam quoniam summa species summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut DEUS, aut ex DEO est. Ergo ex DEO est etiam minima species. Sanè quod de specie, hoc etiam de forma dici potest. Neque enim frustrà tam speciosissimum, quàm etiam formosissimum in laude ponitur. Id ergo est vnde fecit DEUS omnia, quod nullam speciem habet, nullámque formam, quod nihil est aliud quàm nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si habet aliquid formæ, quamuis exiguum, quamuis inchoatum, nondum est nihil, ac per hoc id quoque inquantum est, non est nisi ex DEO. Quapropter etiã si de aliqua informi materia factus est mundus, hæc ipsa facta est omnino de nihilo. Nam & quod nondum formatum est, tamen aliquo modo vt formari possit, inchoatum est, DEI beneficio formabile est: bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est & capacitas formæ: & ideò bonorum omnium

Plato in Timæo.

auctor, qui præstitit formam, ipse fecit etiam posse formari. Ita omne quod est, inquantum est: & omne quod nondum est, inquantum esse potest ex Deo habet. Quod alio modo sic dicitur: Omne formatum, inquantum formatum est: & omne quod nondum formatum est, inquantum formari potest, ex Deo habet. Nulla autem res obtinet integritatem naturæ suę, nisi in suo genere salua sit. Ab eo autem est omnis salus, à quo est omne bonum: & omne bonum ex Deo, salus igitur omnis ex Deo.

HINC iam cui oculi mentis patent, nec pernicioso studio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facilè intelligit, omnia quæ vitiantur, & moriuntur, bona esse, quanquam ipsum vitium, & ipsa mors malum sit. Nisi enim salute aliqua priuarentur, non eis noceret vitium vel mors: sed si non noceret vitium, nullo modo esset vitium. Si ergo saluti aduersatur vitium, & nullo dubitante salus bonum est: bona omnia sunt quibus aduersatur vitium. Quibus autem aduersatur vitium, ipsa vitiantur. Bona sunt ergo quæ vitiantur, sed ideò vitiantur, quia non summa bona sunt. Quia igitur bona sunt, ex Deo sunt: quia non summa bona sunt, non sunt Deus. Bonum ergo quod vitiari non potest, Deus est. Cætera autem omnia bona ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt: per ipsum autem partim non vitiantur, partim vitiata sanantur. Cap. XIX. *Omnia bona ex Deo.*

EST autem vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi quæ vetat summa & intima veritas: ita homo de paradiso in hoc seculum expulsus est, id est ab æternis ad temporalia, à copiosis ad egena, à firmitate ad infirma: non ergo à bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est: sed à bono æterno ad bonum temporale, à bono spiritali ad bonum carnale, à bono intelligibili ad bonum sensibile, à bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat, quia infra illam ordinatum est: quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia quæ peccando diligitur. Non ergo arbor illa mala est, quæ in medio paradisi plantata esse scribitur, sed diuini præcepti transgressio. Quæ quum consequentem habet iustam damnationem, contigit ex illa arbore, quæ contra vetitum tacta est, dignoscentia boni & mali: quia Cap. XX. *Unde animæ vitium.*

cùm suo peccato anima fuerit implicata, luendo pœnas, discit quid intersit inter præceptum, quod custodire noluit, & peccatum quod fecit: atque hoc modo malum, quod cauendo non didicit, discit sentiendo: & bonum quod non obtemperando minùs diligebat, ardentiùs diligit comparando. Vitium ergo animæ est quod fecit, & difficultas ex vitio pœna est quam patitur, & hoc est totum malum. Facere autem & pati, non est substantia, quapropter substantia non est malum. Sic enim nec aqua malum est, nec animal quod viuit in aëre: nam istæ substantiæ sunt. Sed malum est voluntaria præcipitatio in aquam, & suffocatio quam mersus patitur. Stilus ferreus alia parte qua scribamus, alia qua deleamus à fabro factus est, & in suo genere pulcher, & ad vsum nostrum accommodatus. At si quispiam ea parte scribere qua deletur, & ea velit delere qua scribitur, nullo modo stilum malum fecerit, cùm ipsum factum iure vituperetur: quòd si corrigat, vbi erit malum? Si quis repentè meridianum solem intueatur, repercussi oculi turbabuntur: num ideò aut sol malum erit aut oculi? Nullo modo: sunt enim substantiæ: sed malum est inordinatus aspectus, & ipsa quæ consequitur perturbatio. Quod malum non erit, cùm oculi fuerint recreati, & lucem suam congruenter aspexerint. Neque cùm eadem lux quæ ad oculos pertinet, pro luce sapientiæ quæ ad mentem pertinet, colitur, ipsa fit malum: sed superstitio malum est, qua creaturæ potiùs quàm creatori seruitur. Quod malum omnino nullum erit, cùm anima recognito creatore, ipsi vni se subiecerit, & cætera per eum subiecta sibi esse persenserit. Ita omnis corporea creatura, si tantummodò possideatur ab anima quæ diligit Deum, bonum est infimum, & in genere suo pulchrum: quoniam forma & specie continetur. Si autem diligatur ab anima quæ negligit Deum, ne sic quidem malum fit ipsa: sed quoniam peccatum malum est, quo ita diligitur, fit pœnalis dilectori suo, & eum implicat ærumnis, & pascit fallacibus voluptatibus: quia neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus. Quia cùm ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, & per cruciatum sentientis discedit à sensibus, & erroribus agitat: vt hanc esse primam speciem putet, quæ omnium infima est, natura scilicet corporea quam

quam per lubricos sensus caro malè dilecta nunciauerat, vt cùm aliquid cogitat, intelligere se credat vmbris illusus phantasmatum. Si quando autem non tenens integram diuinæ prouidentiæ disciplinam, sed tenere se arbitrans carni resistere conatur, vsque ad visibilium rerum imagines peruenit, & lucis huius quam certis terminis circumscriptam videt, immensa spacia cogitatione format inaniter, & hanc spem sibi futuræ habitationis pollicetur; nesciens oculorum concupiscentiam se trahere, & cum hoc mundo ire velle extra mundum, quem propterea ipsum esse non putat, quia eius clariorem partem per infinitum falsa cogitatione distendit. Quod non solùm de hac luce, sed etiam de aqua, postremò de vino, de melle, de auro, de argento, de ipsis denique pulpis, vel sanguine, vel ossibus quorumlibet animalium, & cæteris huiusmodi rebus facillimè fieri potest. Nihil enim est corporis, quod non vel vno viso possit innumerabiliter cogitari, vel in paruo spacio visum possit eadem imaginandi facultate per infinita diffundi: sed facillimum est execrari carnem, difficillimum autem non carnaliter sapere.

HAC ergo peruersitate animæ, quæ contingit peccato atque supplicio, fit omnis natura corporea, illud quod per Salomonem dicitur: *Vanitas vanitantium & omnia vanitas: quæ abundantia homini in omni labore eius, quo ipse laborat sub sole?* Neque enim frustra est additum vanitantium, quia si vanitantes detrahas, qui tanquam prima sectantur extrema, non erit corpus vanitas, sed in suo genere, quamuis extremam pulchritudinem sine vllo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab vnitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diuerberauit, & mutabili varietate multiplicauit eius affectum: ita facta est abundantia laboriosa, &, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet. Sic à tempore frumenti, vini & olei sui multiplicatus est, vt non inueniat idipsum, id est naturam incommutabilem & singularem, quam secutus non erret, & assecutus non doleat. Habebit enim etiam consequentem redemptionem corporis sui, quòd iam non corrumpetur. Nunc verò *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem,*

[Margin notes: Cap. xxi. Anima quibus rebus seducitur. — Eccl. 1.2. — Psal. 4.8. — Sap. 9.15.]

T

quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideò extrema est, quia simul non potest habere omnia, sed cùm alia cedunt atque succedunt, temporalium formarum numeros in pulchritudinem * complent.

al. numerũ in vnã pulchritudinem.

Cap. XXII. *Auctor rerũ anteponendus.*

Et hoc totum non propterea malum quia transit. Sic enim & versus in suo genere pulcher est, quamuis duæ syllabæ simul dici nullo modo possint. Nec enim secunda enunciatur, nisi prima transierit, atque ita per ordinem peruenitur ad finem, vt cùm sola vltima sonat, non secum sonantibus superioribus, formam tamen & decus metricum præteritis contexta perficiat. Nec ideò tamen ars ipsa qua versus fabricatur, sic tempori obnoxia est, vt pulchritudo eius per mensuras morarum digeratur: sed simul habet omnia quibus efficit versum, non simul habentem omnia, sed posterioribus priora tollentem, propterea tamen pulchrum, quia extrema vestigia illius pulchritudinis ostendat, quam constanter atque incommutabiliter ars ipsa custodit. Itaque vt nonnulli peruersi magis amant versum quàm artem ipsam qua conficitur versus, quia plus se auribus quàm intelligentiæ dediderunt: ita multi temporalia diligunt, conditricem verò ac moderatricem temporum diuinam prouidentiam non requirunt, atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant: & tam sunt absurdi, quàm si quisquam in recitatione præclari carminis vnam aliquam syllabam solam perpetuò vellet audire: sed tales auditores carminum non inueniuntur, talibus autem rerum æstimatoribus plena sunt omnia: propterea quia nemo est qui non facilè non modò totum versum, sed etiam totum carmen possit audire: totum autem ordinem sæculorum sentire nullus hominum potest. Huc accedit quòd carminis non sumus partes, sæculorum verò partes damnatione facti sumus. Illud ergo canitur sub iudicio nostro, ista peraguntur de labore nostro. Nulli autem victo ludi agonistici placent, sed tamen cùm eius dedecore decori sunt. Et hæc enim quædam imitatio veritatis est. Nec ob aliud à talibus prohibemur spectaculis, nisi ne vmbris rerum decepti, ab ipsis rebus quarum illæ vmbræ sunt aberremus. Ita vniuersitatis huius conditio atque administratio, solis impiis animis damnatisque non placet, sed etiam cum mi-

ſeria earum, multis vel in terra victricibus, vel in cælo ſine periculo ſpectantibus placet: nihil enim iuſtum diſplicet iuſto.

QVOCIRCA cùm omnis anima rationalis aut peccatis ſuis miſera ſit, aut rectè factis beata, omnis autem irrationalis aut cedat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut certamen exerceat, aut damnato noceat, & omne corpus ſuæ animæ ſeruiat, quantum pro eius meritis, & pro rerum ordine finitur, nullum malum eſt naturæ vniuerſæ, ſed ſua cuique culpa fit malum. Porro quum anima per Dei gratiam regenerata, & in integrum reſtitura, & illi ſubdita vni à quo eſt creata, inſtaurato etiam corpore in priſtinam firmitatem, non cum mundo poſſideri, ſed mundum poſſidere cœperit, nullum ei malum erit: quia iſta infima pulchritudo temporalium viciſſitudinum, quæ cum ipſa peragebatur, ſub ipſa peragetur, & erit, vt ſcriptum eſt; *Cælum nouum & terra noua*, non in parte laborantibus animis, ſed in vniuerſitate regnantibus: *Omnia enim veſtra*, inquit Apoſtolus, *vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Et, *Caput mulieris vir, caput viri Chriſtus, caput autem Chriſti Deus.* Quoniam igitur vitium animæ non natura eius, ſed contra naturam eius eſt, nihílque aliud eſt quàm peccatum & pœna peccati, inde intelligitur nullam naturam, vel ſi meliùs ita dicitur, nullam ſubſtantiam ſiue eſſentiam malum eſſe. Neque de peccatis pœníſque eius animæ efficitur, vt vniuerſitas vlla deformitate turpetur. Quia rationalis ſubſtantia, quæ ab omni peccato munda eſt Deo ſubiecta, ſubiectis ſibi cæteris dominatur. Ea verò quæ peccauit, ibi ordinata eſt, vbi eſſe tales decet, vt Deo conditore atque rectore vniuerſitatis decora ſint omnia. Et eſt pulchritudo vniuerſæ creaturæ per hæc tria inculpabilis, damnatione peccatorum, exercitatione iuſtorum, perfectione beatorum.

Cap. xxiii. *Omnis ſubſtătia bona.* Iſa. 65. 17. Apo. 21. 1. 1. Cor. 3. 21. 1. Cor. 11. 3.

QVAMOBREM ipſa quoque animæ medicina, quæ diuina prouidentia, & ineffabili beneficentia geritur, gradatim diſtinctéque pulcherrima eſt. Diſtribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionémque perducit. Quanquam neque auctoritatem ratio penitùs deſerit, cùm conſideratur cui ſit credendum, & certè ſumma eſt

Cap. xxiv. *Animarum medicina.*

ipsius iam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia deuenimus, & eorum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ & excellentiæ, sed ipsius temporis ordine prior est. Nam in quemcunque locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere vt resurgat. Ergo ipsis carnalibus formis quibus detinemur, nitendum est ad eas cognoscendas quas caro non nunciat. Eas autem carnales voco quæ per carnem sentiri queunt, id est per oculos, per aures, cæterósque corporis sensus. His ergo carnalibus vel corporalibus formis inhærere amore pueros, necesse est, adolescentes verò propè necesse est, hinc iam procedente ætate non est necesse.

Cap. xxv. Miracula cur cessauerint.

QVONIAM igitur diuina prouidentia, non solùm singulis hominibus quasi priuatim, sed vniuerso generi humano tanquam publicè consulit, quid cum singulis agitur, Deus scit qui agit, atque ipsi cum quibus agitur sciunt. Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, & per prophetiam. Temporalium autem rerum fides, siue præteritarum, siue futurarum, magis credendo quàm intelligendo valet. Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus, vel libris credendum sit, ad colendum rectè Deum, quæ vna salus est. Huius rei verò prima disceptatio est, vtrum iis potiùs credamus, qui ad multos deos, an iis qui ad vnum Deum colendum nos vocant. Quis dubitet eos potissimùm sequendos qui ad vnum vocant, præsertim cùm illi multorum cultores, de hoc vno Domino cunctorum, & rectore consentiant? Et certè ab vno incipit numerus. Priùs ergo isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum solum verum Deum, & solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est. Sicut enim in ipsa rerum natura maior est auctoritas vnius ad vnum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis vlla potentia est nisi consentientis, id est vnum sentientis: ita in religione qui ad vnum vocant eorum maior, & fide dignior esse debet auctoritas. Altera consideratio est dissensionis eius; quæ de vnius Dei cultu inter homines orta est. Sed accepimus maiores nostros eo gradu fidei, quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula, non enim aliter po-

terant, secutos esse: per quos id actum est, vt necessaria non essent posteris. Cùm enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit: nec iam nobis dubium esse debet iis esse credendum, qui cùm ea prædicarent, quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur quibus credendum sit, antequam quisque sit idoneus ineundæ rationi de diuinis, & de inuisibilibus rebus: nam ipsi rationi purgatoris animæ, quæ ad perspicuam veritatem peruenit, nullo modo auctoritas humana præponitur, sed ad hanc nulla superbia humana perducit. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ simulacrorúmque cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multò pigriùs veritas quæreretur. *Vide lib. 1. Retr. c. 13.*

DISPENSATIO ergo temporalis, & medicina diuinæ prouidentiæ, erga illos qui peccato mortalitatem meruerunt, sic traditur: primò vnius cuiuslibet hominis nascentis natura, & eruditio cogitatur. Prima huius ætas infantia in nutrimentis corporalibus agitur, penitùs obliuiscenda crescenti. Eam pueritia sequitur, vnde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescentia, cui iam propagationem prolis natura permittit, & patrem facit. Porrò adolescentiam iuuentus excipit, iam exercenda muneribus publicis, & domanda sub legibus: in qua vehementior prohibitio peccatorum, & pœna peccantium seruiliter coërcens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, & omnia commissa congeminat. Non enim simplex peccatum est, non solùm malum, sed etiam vetitum admittere. Post labores autem iuuentutis seniori pax nonnulla conceditur. Inde vsque ad mortem deterior ætas ac decolor, & morbis subiectior debilísque perducit. Hæc est vita hominis viuentis, ex corpore & cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic dicitur vetus homo & exterior & terrenus, etiamsi obtineat eã quam vulgus vocat felicitatem, in bene constituta terrena ciuitate, siue sub Regibus, siue sub Principibus, siue sub legibus, siue sub his omnibus. Aliter enim bene constitui populus non *Cap. XXVI. Vetus & nouus homo. Li. 1 de Gen. cõtra Manichaeos, c. 23.*

poteſt, etiam qui terrena ſectatur. Habet quippe & ipſe modum quendam pulchritudinis ſuæ. Hunc autem hominem quem veterem, & exteriorem & terrenum deſcripſimus, ſiue in ſuo genere moderatum, ſiue etiam ſeruilis iuſtitiæ modum excedentem, nonnulli agunt totum ab iſtius vitæ ortu vſque ad occaſum. Nonnulli autem iſtam vitam neceſſariò ab illo incipiunt, ſed renaſcuntur interiùs, & cæteras eius partes ſuo robore ſpiritali, & incrementis ſapientiæ corrumpunt & necant, & in cæleſtes leges donec poſt viſibilem mortem totum inſtauretur aſtringunt. Iſte dicitur nouus homo, & interior & cæleſtis, habens & ipſe proportione non annis, ſed profectibus diſtinctas quaſdam ſpiritales ætates ſuas. Primam in vberibus vtilis hiſtoriæ, quæ nutrit exemplis. Secundam iam obliuiſcentem humana, & ad diuina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ ſinu continetur, ſed ad ſummam & incommutabilem legem paſſibus rationis innititur. Tertiam iam fidentiorem, & carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentémque intrinſecus in quadam dulcedine coniugali: cùm anima menti copulatur, & velamento pudoris obnubitur, vt iam rectè viuere non cogatur, ſed etiamſi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam iam idipſum multò firmiùs ordinatiúſque facientem & emicantem in virum perfectum, atque aptam & idoneam omnibus & perſecutionibus, & mundi huius tempeſtatibus ac fluctibus ſuſtinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viuentem in opibus, & abundantia incommutabilis regni, ſummæ atque ineffabilis ſapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, & vſque ad totam obliuionem vitæ temporalis tranſeuntem in perfectam formam, quæ facta eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Septima enim iam quies æterna eſt, & nullis ætatibus diſtinguenda beatitudo perpetua. Vt enim finis veteris hominis mors eſt, ſic finis noui hominis vita æterna. Ille namque homo peccati eſt, iſte iuſtitiæ.

CAP. XXVII. *Vtriuſque hominis decurſus.*

SICVT autem iſti ambo nullo dubitante ita ſunt, vt vnum eorum, id eſt veterem atque terrenum poſſit in hac tota vita vnus homo agere, nouum verò & cæleſtem nemo in hac vita poſſit niſi cum vetere: nam & ab ipſo incipiat neceſſe eſt, & vſque ad viſibilem mortem cum illo, quamuis eo deficiente,

ſe proficiente perduret. Sic proportione vniuerſum genus humanum, cuius tanquam vnius hominis vita eſt ab Adam vſque ad finem huius ſæculi, ita ſub diuinæ prouidentiæ legibus adminiſtratur, vt in duo genera diſtributum appareat. Quorum in vno eſt turba impiorum terreni hominis imaginem ab initio ſæculi vſque ad finem gerentium. In altero ſeries populi vni Deo dediti, ſed ab Adam vſque ad Ioannem Baptiſtam terreni hominis vitam gerentis ſeruili quadam iuſtitia: cuius hiſtoria vetus Teſtamentum vocatur, quaſi terrenum pollicens regnum, quæ tota nihil aliud eſt quàm imago noui populi & noui Teſtamenti pollicentis regnum cælorum. Cuius populi vita interim temporalis incipit à Domini aduentu in humilitate vſque ad diem iudicij, quando in claritate venturus eſt. Poſt quod iudicium vetere homine extincto, erit illa mutatio quæ angelicam vitam pollicetur. *Omnes enim reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Reſurget 1.Cor.15.51. ergo pius populus, vt veteris hominis ſui reliquias transformet in nouum. Reſurget autem impius populus, qui ab initio vſque ad finem veterem hominem geſſerit, vt in ſecundam mortem præcipitetur. Ætatum autem articulos qui diligenter legunt, inueniunt: nec zizania nec paleas perhorreſcunt. Impius namque pio viuit, & peccator iuſto, vt eorum comparatione alacriùs, donec perficiantur, aſſurgant.

QVISQVIS autem populi terreni temporibus vſque ad Cap.XXVIII. *Quæ, quibus, quomodò tradẽda.* illuminationem interioris hominis meruit peruenire, genus humanum pro tempore adiuuit, exhibens ei quod ætas illa poſcebat, & per prophetiam intimans id quod exhibere opportunum non erat: quales Patriarchæ ac Prophetæ inueniuntur ab iis, qui non pueriliter inſiliunt, ſed piè diligentérque pertractant diuinarum & humanarum rerum tam bonum, & tam grande ſecretum. Quod etiam temporibus noui populi à magnis, & ſpiritalibus viris Eccleſiæ Catholicæ alumnis video cautiſſimè prouideri: ne quid populariter agant, quod nondum eſſe temporis vt cum populo agatur intelligunt: alimenta lactea largè auidis infirmioribus pluribus atque inſtanter infundunt, validioribus autem cibis cum ſapientibus paucis veſcuntur. Sapientiam enim loquuntur 1.Cor.2.6. inter perfectos, carnalibus verò & animalibus, quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis, nonnulla obtegunt,

sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. Hæc enim lex est diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam, & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adiuuerit. Ita de peccato nostro quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, & genus humanum factum est magnum decus ornamentúmque terrarum, & tam decenter diuinæ prouidentiæ procuratione administratur, vt ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.

Cap. xxix. *Humana naturæ præeminentia.*

Et quoniam de auctoritatis beneficentia, quantum in præsentia satis visum est, locuti sumus: videamus quatenus ratio possit progredi à visibilibus ad inuisibilia, & à temporalibus ad æterna conscendens. Non enim frustrà & inaniter intueri oportet pulchritudinem cæli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum & noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum, species numerósque gignentium, & omnia in suo genere modum proprium naturámque seruantia. In quorum consideratione non vana & peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus. Proximum enim est, attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit: quæ profectò quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscunque moles, quanquam ista visibili luce præfulgeat, si vita careat, magni æstimanda est. Quælibet namque viua substantia cuilibet non viuæ substantiæ naturæ lege præponitur, Sed quia irrationabilia quoque animantia viuere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo iudicat de sensibilibus. Nam & vident acutiùs & cæteris corporis sensibus acriùs corpora attingunt pleræque bestiæ quàm homines: sed iudicare de corporibus non sentientis tantùm vitæ, sed etiam ratiocinantis est, qua illæ carent, nos excellimus. Iam verò illud videre facillimum est, præstantiorem esse iudicantem, quàm illa res est, de qua iudicatur. Non solùm autem rationalis vita de sensibilibus,

bilibus, sed de ipsis quoque sensibus iudicat: cur in aqua remum infractum oporteat apparere cùm rectus sit, & cur ita per oculos sentire necesse sit: nam ipse aspectus oculorum renunciare id potest, iudicare autem nullo modo. Quare manifestum est, vt sensualem vitam corpori, ita rationalem vtrique præstare.

Ex prima Euclidis suppositione.

ITAQVE si rationalis vita secundùm seipsam iudicat, nulla iam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita inuenitur, tantò autem meliùs iudicat quantò est peritior, & tantò est peritior, quantò alicuius artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est, ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum nouit, qui nouit ea impensa quæ calce & arena confit, tenaciùs lapides cohærere, quàm luto? Aut qui tam eleganter ædificat, vt quæ plura sunt, paria paribus respondeant, quæ autem singula sunt, medium locum teneant? Quanquam iste sensus iam sit rationi veritatique vicinior. Sed certè quærendum est, cur nos offendat, si duabus fenestris non super inuicem, sed iuxta inuicem locatis, vna earum maior minórue sit, cùm æquales esse potuerint: si verò super inuicem fuerint, ámbæque de medio quamuis impares non ita offendat illa inæqualitas: & cur non multùm curemus, quantò sit vna earum aut maior aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus ipse videtur expetere vt aut impares non sint, aut inter maximam & minimam ita sit media, vt tantò præcedat minorem, quantò à maiore præceditur. Ita enim primò quasi natura ipsa consulitur quid probet. Vbi potissimùm notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuerit, in melioris comparatione respuatur: ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarúmque memoriam, vsu quodam corporis atque operationis adiuncto: quo si careas, iudicare de operibus possis, quod multò est excellentius, quamuis operari artificiosa non possis. Sed cùm in omnibus artibus conuenientia placeat, quâ vnâ salua & pulchra sunt omnia, ipsa verò conuenientia æqualitatem vnitatémque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium, quis est qui summam æqualitatem vel

Cap. xxx.
Lex supra mentem hominis veritatem docens.
1. Retr. c. 13.

similitudinem in corporibus inueniat, audeátque dicere, cùm diligenter considerauerit quodlibet corpus verè ac simpliciter vnum esse; cùm omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, & partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spacia diuersa diuiduntur? Porrò ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera & prima vnitas, non oculis carneis, neque vllo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Vnde enim qualiscunque in corporibus appeteretur æqualitas, aut vnde conuinceretur, longè plurimùm differre à perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur: si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est? Et cùm omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, siue naturâ edita, siue artibus elaborata, locis & temporibus sint pulchra, vt corpus & corporis motus: illa æqualitas & vnitas menti tantummodò cognita, secundùm quam de corporea pulchritudine sensu internuncio iudicatur, nec loco tumida est, nec mutabilis tempore. Non enim rectè dici potest secundùm eam iudicari rotundum canthum, & non secundùm eam rotundum vasculum: aut secundùm eam rotundum vasculum, & non secundùm eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum, ridiculè dicitur, secundùm eam iudicari æquales annos, & non secundùm eam æquales mẽses: aut secundùm eam æquales menses, & non secundũ eam ęquales dies. Sed siue per hęc spatia, siue per horas, siue per breuiora momenta conuenienter moueatur aliquid, eadem vna & incommutabili æqualitate iudicatur. Quòd si minora & maiora spatia figurarum atque motionum secundùm eam legem parilitatis vel similitudinis, vel congruentiæ iudicantur, ipsa lex maior est his omnibus, sed potentia. Cæterùm spatio aut loci aut temporis, nec maior nec minor: quia si maior esset, non secundùm eam iudicaremus minora: si autem minor esset, non secundùm eam iudicaremus maiora. Nunc verò cùm secundùm totam quadraturæ legem iudicetur & forum quadratum, & lapis quadratus, & tabella, & gemma quadrata: rursus secundùm totam æqualitatis legem iudicentur conuenire sibi motus pedum currentis formicæ, & secundùm eam gradientis elephantis: quis eam dubitet locorum interuallis ac temporum, nec maiorem esse, nec minorem, cùm potentia superet omnia? Hæc autem lex omnium

Canthus, summa curuatura rotæ, siue ferrũ quod illic affigitur.

artium cùm sit omnino incommutabilis, mens verò humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.

Cap. xxxi. Legem summam cognoscere fas est, iudicare nequaquam.

Nec iam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse: & ibi esse primam vitam & primam essentiam, vbi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis. Itaque cùm se anima sentiat, nec corporum speciem motúmque iudicare secundùm seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ, de qua iudicat: præstare autem sibi eam naturam, secundùm quam iudicat, & de qua iudicare nullo modo potest. Possum enim dicere, quare similia sibi ex vtraque parte respondere membra cuiusque corporis debeant, quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor. Quapropter tantò meliora esse iudico, quæ oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis, quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita debere esse quisquam sobriè dixerit, quasi possint esse non ita. Quare autem nobis placeant, & cur ea quantò meliùs sapimus, vehementissimè diligamus, ne id quidem quisquam, si ea ritè intelligit, dicere audebit. Vt enim nos & omnes animæ rationales secundùm veritatem de inferioribus rectè iudicamus, sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat. De ipsa verò nec Pater, non enim minor est quam ipse, & ideò quæ Pater iudicat, per ipsam iudicat. Omnia enim quæ appetunt vnitatem, hanc habent regulam vel formam, vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit, quoniam sola eius similitudinem à quo esse accepit impleuit: si tamen accepit, non incongruè dicitur pro ea significatione, qua Filius appellatur: quia non de seipso est, sed de primo summóque principio, qui Pater dicitur: *ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur.* Eph. 3. 15. *Pater ergo non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio:* Ioan. 5. 22. *& spiritalis homo iudicat omnia, ipse autem à nemine iudicatur,* 1. Cor. 2. 15. id est à nullo homine, sed à sola ipsa lege secundùm quam iudicat omnia, quoniam & illud verissimè dictum est: *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi.* 2. Cor 5. 10. Omnia ergo iudi-

eat, quia super omnia est quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam ipse sit, secundùm quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est: vt secundùm eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandúmque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est. Hoc autem interest, quod ad cognoscendum satis est, vt videamus ita esse aliquid vel non ita: ad iudicandum verò addimus aliquid quo significemus posse esse & aliter: velut cùm dicimus, ita esse debet, aut ita esse debuit, aut ita esse debebit, vt in suis operibus artifices faciunt.

Cicero de legibus.

Cap. XXXII. *Rerum simplicitas vestigium est Dei.*

SED multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, vt iudicent cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, vno arcu constructo, cur alterum parem contra in alteram partem moliatur? Respondebit, credo, vt paria paribus ædificij membra respondeant. Porrò si pergam quærere, idipsum cur eligat, dicet hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes: nihil audebit ampliùs. Inclinatus enim recumbit oculis, & vnde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, & inuisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, vt iudex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundùm ipsam, sed ipsam iudicat. Et priùs quæram vtrum ideò pulchra sint, quia delectant: an ideò delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideò delectare, quia pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra. Et si titubabitur, subiiciam vtrum ideò quia similes sibi partes sunt, & aliqua copulatione ad vnam conuenientiam rediguntur. Quod cùm ita esse comperterit, interrogabo vtrum hanc ipsam vnitatem, quam conuincuntur appetere, summè impleant, an longè infrà iaceant, & eam quodammodò men-

tiantur. Quod si ita est; quis non admonitus videat, neque vllam speciem, neque vllum omnino esse corpus, quod non habeat vnitatis qualecunque vestigium, neque quantumuis pulcherrimum corpus, cùm interuallis locorum necessariò aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur vnitatem? quare si hoc ita est, flagitabo vt respondeat, vbi videat ipse vnitatem hanc, aut vnde videat: quam si non videret, vnde cognosceret, & quid imitaretur corporum species, & quid implere non posset. Nunc verò cùm dicit corporibus, vos quidem nisi aliqua vnitas contineret, nihil essetis, & rursus si vos essetis ipsa vnitas, corpora non essetis, rectè illi dicitur: Vnde illam nosti vnitatem, secundùm quam iudicas corpora, quam nisi videres, iudicare non posses quod eam non impleant. Si autem his corporeis oculis eam videres, non verè diceres, quanquam eius vestigio teneantur, longè tamen ab ea distare: nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vides: mente igitur eam videmus. Sed vbi videmus? Si hoc loco esset vbi corpus nostrum est, non eam videret, qui hoc modo in oriente de corporibus iudicat. Non ergo ista continetur loco, & cùm adest vbicunque iudicanti, nusquam est per spatia locorum, & per potentiam nusquam non est.

QVOD eam si corpora mentiuntur, non est credendum mentientibus, ne incidamus in vanitates vanitantium: sed quærendum potiùs est, cùm ideò mentiantur, quia eam videntur ostendere oculis carneis, cùm illa mente pura videatur, vtrum intantum mentiantur inquantum ei similia sunt, an inquantum eam non assequuntur. Nam si assequerentur, quod imitanrur implerent. Si autem implerent, omnino essent similia. Si omnino essent similia, nihil inter illam naturam & istam interesset. Quod si ita esset, non eam mentirentur: id enim essent quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentiùs considerantibus; quia ille mentitur qui vult videri id quod non est: quod autem non volens aliud putatur quàm est, non mentitur, sed fallit tantùm. Nam ita discernitur mentiens à fallente, quòd inest omni mentienti voluntas fallendi, etiam si non ei credatur: fallens autem esse non potest, qui non fallit. Ergo corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur: si verò etiam non putetur esse

Cap. XXXIII. Non sensus corporis, sed iudicium mentitur.

Differunt mentiens & fallens.

quod non est, nec fallit. Sed ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim renunciare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solùm ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renunciant vt afficiuntur, quid ab eis ampliùs exigere debeamus ignoro. Tolle itaque vanitantes, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur integrari, non malum habet internuncium, sed malus est iudex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit: si enim aliud est aër, aliud aqua, iustum est vt aliter in aëre, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt: ad hoc enim factus est vt tantùm videat: sed animus peruersè iudicat, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem conuertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritalia, quod fieri non potest.

Cap. xxxiv. Conspecta phantasmata quomodò iudicentur.

QVARE ista peruersitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, & quod deorsum est sursum, regno cælorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis, nec ipsis infimis inhæreamus. Iudicemus ea, ne cum ipsis iudicemur, id est tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema, ne cùm in nouissimis prima quærimus, à primis inter nouissima numeremur. Quod nihil ipsis nouissimis obest, sed nobis plurimùm. Nec ideò diuinæ prouidentiæ administratio minus decora fit, quia & iniusti iustè, & fœdi pulchrè ordinantur. Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia vnitate continetur, & non implet vnitatem, intelligamus si possumus non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus verum corpus est, sed falsa vnitas. Non enim summè vnum est, aut intantum id imitatur vt impleat: & tamen nec corpus ipsum esset, nisi vtcunque vnum esset. Porrò vtcunque vnum esse non posset, nisi ab eo quod summè vnum est, id haberet. O animæ peruicaces, date mihi, qui videat sine vlla imaginatione visorum carnalium. Date mihi, qui videat omnis vnius principium non esse, nisi vnum solum à quo sit omne vnum, siue illud impleat, siue non impleat. Qui videat date, non qui litiget, non qui videri velit se videre, quod non videt. Date qui resistat sensibus carnis, & plagis quibus per illos in anima

vapulauit: qui resistat consuetudini hominum, resistat laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui resculpat suum spiritum, qui non foris diligat vanitates, & quærat mendacia, qui iam sibi nouerit dicere: Si vna Roma est, quam circa Tyberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo, non enim est ipsa, nec ibi sum modò; nam quid ibi agatur modò, vtique scirem. Si vnus est sol, falsus est iste quem cogitans fingo. Nam ille curricula sua certis locis & temporibus peragit. Istum verò ego vbi volo, & quando volo constituo. Si vnus est ille amicus meus, falsus est iste quem cogitans fingo. Nam ille vbi sit nescio, iste ibi fingitur vbi volo. Ego ipse certè vnus sum, & hoc loco esse sentio corpus meum, & tamen figmento cogitationis pergo quolibet, & loquor cum quolibet. Falsa sunt hæc: nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo quum ista contemplor, & istis credo, quia verum esse oportet quod intellectu contemplor. Nunquid fortè sunt ista quæ phantasmata dici solent? Vnde ergo impleta est anima mea illusionibus? Vbi est verum quod mente conspicitur? Ita cogitanti iam dici potest. Illa lux vera est, qua hæc non esse vera cognoscis. Per hanc illud vnum vides, quo iudicas vnum esse quicquid aliud vides, nec tamen hoc esse quod illud est quicquid mutabile vides. Psal. 4. 3.

Cap. xxxv. *Vacandum vt Deum cognoscas.*

QVOD si hæc intueri palpitat mentis aspectus, quiescite, nolite certare, nisi cum consuetudine corporum: ipsam vincite, & victa erunt omnia. Vnum certè quærimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quæramus illum. Agite ocium, inquit, & agnoscetis quia ego sum Dominus, non ocium desidiæ, sed ocium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis. Hæc enim phantasmata tumoris & volubilitatis, constantem vnitatem videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, & relinquunt in anima turbas phantasmatum; quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere à quibus tenetur exoptans. Vocatur ergo ad ocium, id est vt ista non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. *Iugum enim meum*, inquit, *leue est*. Huic iugo qui subiectus est, subiecta habet cætera. Non ergo laborabit, non Sap. 1. Mat. 11. 29.

enim resistit, quod subiectum est. Sed miseri amici huius mundi, cuius Domini erunt, si filij Dei esse voluerint, quoniam *dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Amici ergo huius mundi tam timent ab eius amplexibus separari, vt nihil eis sit laboriosius, quàm non laborare.

Ioan. 1. 12.

Cap. xxxvi. *Vnde falsitas oriatur & veritas*

SED cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora intantum fallunt, inquantum non implent illud vnum quod conuincuntur imitari, à quo principio vnum est quicquid est, ad cuius similitudinem quicquid nititur, naturaliter approbamus, quia naturaliter improbamus quicquid ab vnitate discedit, atque in eius dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid quod illius vnius solius, à quo principio vnum est quicquid aliquo modo vnum est, ita simile sit vt hoc omnino impleat, ac sit idipsum, & hoc est veritas & verbum in principio, & verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur vnum, non inquantum id imitantur, sed inquantum adimplere non possunt: illa est veritas quæ adimplere potuit, & id esse quod est illud: ipsa est quæ illud ostendit sicut est: vnde & verbum eius & lux eius rectissimè dicitur. Cætera illius vnius similia dici possunt inquantum sunt, intantum enim & vera sunt: hæc autem ipsa eius similitudo, & ideò veritas. Vt enim veritate sunt vera, quæ vera sunt, ita similitudine similia sunt, quæcunque similia sunt. Vt ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam intantum vera sunt, inquantum sunt, intantum autem sunt, inquantum principalis vnius similia sunt: ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo principij: & veritas est, quia sine vlla dissimilitudine est. Vnde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quàm speciem suam, quam pro suæ pulchritudinis acceperunt gradu: neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quàm suas affectiones præsidenti animo nunciant: sed peccata animas fallunt cùm verum quærunt, relicta & neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quàm artificem atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, vt in operibus artificem artémque conquirant: & cùm inuenire nequiuerint,

rint: Deus enim non corporalibus sensibus subiacet, sed ipsi menti supereminet, ipsa opera existimenr esse & artem & artificem.

Cap. xxxvii. *Impietas idololatrarum.*

HINC oritur omnis impietas, non modò peccantium, sed etiam damnarorum pro peccatis suis. Non enim tantùm scrutari creaturam contra præceptum Dei, sed ea frui potiùs quàm ipsa lege & veritate volunt, quòd primi hominis peccatum deprehenditur, malè vtentis libero arbitrio. Sed hoc quoque in ipsa damnatione addunr, vt non modò diligant, sed etiam seruianr creaturæ potiùs quàm creatori, & eam colanr per partes eius, à summis vsque ad ima venientes. Sed aliqui se in hoc tenent, vt pro summo Deo animam colant, & primam intellectualem creaturam, quam per veritatem Pater fabricauit ad ipsam veritatem semper intuendam, & per seipsam, quia omnimodò ei simillima est. Deinde veniunt ad viram genitalem, per quam creaturam visibilia & temporalia gignentia Deus æternus & incommutabilis operatur. Hinc ad animalia, & inde ad ipsa corpora colenda dilabuntur, & in his primò eligunt pulchriora, in quibus cælestia maximè excellunt. Ergo in primis solis corpus occurrit, & in eo nonnulli remanent. Aliqui & lunæ splendorem religione dignum putant: est enim nobis, vt perhibetur, propinquior, vnde viciniorem speciem habere sentitur. Alij etiam cæterorum siderum corpora adiungunt, & totum cælum cùm stellis suis. Alij cælo ætrhereo copulanr aërem, & istis duobus superioribus elementis corporeis subiiciunt animas suas. Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui vniuersam simul creaturam, id est mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, & vitam qua spiratur & animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt: hoc ergo totum simul vnum Deum magnum esse arbitrantur, cuius partes sint cætera. Non enim vniuersæ creaturæ auctorem conditorémque nouerunr. Inde est quòd in simulacra præcipitantur, & ab operibus Dei vsque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt.

1 Retr. c. 13

C. xxxviii. *Triplex in mundo tentatio.*

EST enim alius deterior & inferior cultus simulacrorum, quo phanrasmara sua colunt, & quicquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis

nomine obseruant, donec fiat in anima nihil omnino colendum esse, & errare homines qui superstitioni se inuoluunt, & misera se implicant seruitute. Sed frustrà hoc sentiunt: non enim efficiunt vt non seruiant: remanent quippe ipsa vitia, quibus vt illa colenda opinarentur attracti sunt. Seruiunt enim cupiditati triplici, vel voluntatis *, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foueat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita nescientes diligunt temporalia, vt inde beatitudinem expectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, seruiat necesse est, velit nolit. Nam quocunque duxerint, sequitur: & quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur. Possunt autem auferre ista, & scintilla ignis & aliqua parua bestiola. Postremò, vt omittam innumerabiles aduersitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cùm omnia temporalia transeuntia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus seruiunt, qui propterea putant nihil colendum esse, ne seruiant. Veruntamen quanquam in hac rerum extremitate miseri iaceant, vt vitia sua sibi dominari patiantur vel libidine, vel superbia vel curiositate damnati, vel duobus horum, vel omnibus: quamdiu sunt in hoc stadio vitæ humanæ, licet eis congredi & vincere, si priùs credant, quod intelligere nondum valent, & non diligant mundum: *Quoniam omne quod in mundo est*, sicut diuinitus dictum est, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi.* Hoc modo tria illa sunt notata: nam concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum, curiosos: ambitio sæculi, superbos. Triplex etiam tentatio in homine quem veritas ipsa suscepit, cauenda monstrata est. *Dic*, inquit tentator, *lapidibus istis vt panes fiant.* At ille vnus & solus Magister: *Non*, inquit, *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, vt nec fami cedendum sit. Sed fortè dominationis temporalis fastu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit: omnia ergo regna mundi monstrata sunt ei, & dictum est: *Omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me.* Cui responsum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies:* Ita calcata est superbia. Sub-

[Margin notes: * al. voluptatis. — 1. Ioã. 2. 16. — Matt. 4. 4. — Ibid.]

iecta est autem extrema etiam curiositatis illecebra: non enim vt se de fastigio templi præcipitaret vrgebat, nisi causa tantùm aliquid experiendi. Sed neque hic victus est, & ideò sic respondit, vt intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum, tentationibus visibiliter diuina explorare molientibus: *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur, non quærit in ista eremo voluptatem. Qui vni Deo tantùm subiectus est, non quærit in monte, id est, in terrena elatione iactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhæresit, non per fastigium huius corporis, id est per hos oculos præcipitatur, vt temporalia & inferiora cognoscat.

Cap. xxxix. Ex rebus conditis quomodo deprehendatur summa veritas.

QVID igitur restat, vnde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam reliquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim sapientia Dei pertendit à fine vsque ad finem fortiter. Ita per hanc summus ille artifex opera sua in vnum finem decoris ordinata contexuit. Ita illa bonitas à summo vsque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset inuidit, vt nemo ab ipsa veritate deiiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporis voluptate quid teneat, nihil aliud inuenies quàm conuenientiam: nam si resistentia pariunt dolorem, conuenientia pariunt voluptatem. Recognosce ergo quæ sit summa conuenientia: noli foras ire, in teipsum redi, in interiore homine habitat veritas, & si tuam naturam mutabilem inueneris, transcende & teipsum. Sed memento cùm te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, vnde ipsum lumen rationis accenditur. Quò enim peruenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem? Cùm ad seipsam veritas non vtique ratiocinando perueniat, sed quod ratiocinantes appetunt ipsa sit, vide ibi conuenientiam, qua superior esse non possit, & ipse conueni cum ea. Confitere te non esse quod ipsa est: siquidem se ipsa non quærit, tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spacio, sed mentis affectu, vt ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infima & carnali, sed summa & spiritali voluntate conueniat. Aut si non cernis quæ dico, & an vera sint dubitas, cerne saltem vtrum te de iis dubitare non dubites, & si certum est te esse dubitantem, quære vnde sit certum: non illic

tibi omnino solis huius lumen occurret, sed lumen verum
Ioan. 1. 9. quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod his oculis videri non potest, nec illis quibus phantasmata cogitantur, per eosdem oculos animæ impacta, sed illis quibus ipsis phantasmatibus dicitur: non estis vos quod ego quæro, neque illud estis vnde ego vos ordino, & quod mihi inter vos fœdum occurrerit, improbo, quod pulchrum approbo, cùm pulchrius sit illud vnde improbo & approbo: quare hoc ipsum magis approbo, & non solùm vobis, sed illis omnibus corporibus vnde vos hausi, antepono. Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc modo: Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, & de hac re quam intelligit certus est. De vero igitur certus est. Omnis igitur qui verum sit veritas dubitat, in seipso habet verum vnde non dubitet, nec vllum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit vndecunque dubitare. Vbi videntur hæc, ibi est lumen sine spacio locorum & temporum, & sine vllo spaciorum talium phantasmate. Nunquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator intereat, aut potiùs apud carnales inferos veterascat? Non enim ratiocinatio talia facit, sed inuenit. Ergo antequam inueniantur, in se manent, & cùm inueniuntur, nos innouant.

Cap. XL. Diaboli tentatio cedit in decorê vniversi. 2. Cor. 4.

ITA renascitur interior homo, & exterior corrumpitur de die in diem. Sed interior exteriorem respicit, & in sua comparatione fœdum videt: in proprio tamen genere pulchrum & corporum conuenientia lętantem, & corrumpentem quod in bonum suum conuertit, alimenta scilicet carnis: quæ tamen corrupta, id est amittentia formam suam, in membrorum istorum fabricam migrant, & corrupta reficiunt, in aliam formam per conuenientiam transeuntia: & per vitalem motum diiudicantur quodammodò, vt ex eis in structuram huius visibilis pulchri quæ apta sunt assumantur, non apta verò per incongruos meatus eiiciantur. Quorum aliud fœculentissimum redditur terræ ad alias formas assumendas, aliud per totum corpus exhalat, aliud totius animalis latentes numeros accipit, & inchoatur in prolem, & siue conuenientia duorum corporum, siue tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice defluit in infima

voluptate. Iam verò in matre per certos numeros temporum in locorum numerum coaptatur, vt suas regiones quæque membra occupent, & si modum parilitatis seruauerint, luce coloris adiuncta nascitur corpus quod formosum vocatur, & à suis dilectoribus amatur acerrimè: non tamen in eo plus placet forma quæ mouetur, quàm vita quæ mouet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentiùs: si oderit autem, succensemus, & ferre non possumus, etiam si formam ipsam præbeat fruenti. Hoc totum est voluptatis regnum, & ima pulchritudo, subiacet enim corruptioni: quod si non esset, summa putaretur. Sed adest diuina prouidentia, quæ hanc ostendat, & non malam, propter tam manifesta vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus, & extremam tamen esse: miscens ei dolores & morbos & distortiones membrorum, & tenebras coloris, & animorum simultates ac dissensiones, vt ex his admoneamur incommutabile aliquid esse quærendum. Et hoc facit per infima ministeria eorum quibus id agere voluptatis est, quos exterminatores & Angelos iracundiæ, diuinæ Scripturæ nominant, quamuis ipsi nesciant quid de se agatur boni. His similes sunt homines, qui gaudent miseriis alienis, & risus sibi & ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt euersionibus & erroribus aliorum. Atque ita in his omnibus boni admonentur & exercentur & vincunt, & triumphant & regnant. Mali verò decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur & seruiunt, non vni omnium summo Domino, sed vltimis seruis, illis videlicet Angelis, qui doloribus & miseriis damnatorum pascuntur, & pro ista maleuolentia bonorum liberatione torquentur. Ita ordinantur omnes officiis & finibus suis in pulchritudinem vniuersitatis, vt quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimùm placeat: quia nec in ædificio iudicando vnum tantùm angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronunciante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantùm figuras. Ista enim quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, siue in statu, siue in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si rectè volumus iudicare. Verum enim nostrum iudicium, siue de toto, siue de parte iudicet, pulchrum est: vni-

Psal. 146.5.

V. Confess. lib. 3. c. 3.

uerso quippe mundo superfertur, nec alicubi parti eius inquantum verum iudicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens eius, ipse per se fœdus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher: sic totum istum agonem decenter edit incommutabilis diuina prouidentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis & solum Deum contemplantibus tribuens: cùm in his omnibus non sit malum nisi peccatum, & pœna peccati, hoc est defectus voluntarius à summa essentia, & labor in vltima non voluntarius. Quod alio modo dici potest, libertas à iustitia, & seruitus sub peccato.

Cap. XLI. *Duplex exterioris hominis corruptio.* CORRVMPITVR autem homo exterior aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, vt totus in melius reformetur, & restituatur in integrum in nouissima tuba, vt iam non corrumpatur neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est pœnarum ordinem præcipitatur. Nec miremur quòd adhuc pulchritudines nomino: nihil enim est ordinatum quod non sit pulchrum. Et sicut ait Apostolus: *Omnis ordo à Deo est.* (Rom. 13. 1.) Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quam lætantem vermiculum: & tamen vermiculi laudem sine vllo mendacio copiosè possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, & vnitatis appetentiam pro suæ naturæ humilitate seruantia, nihil ex vna parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid iam de anima ipsa dicam, vegetante modulum corporis sui, quomodò eum numerosè moueat, quomodò appetat conuenientia, quomodò vincat aut caueat obsistentia quantum potest, & ad vnum sensum incolumitatis referens omnia, vnitatem illam conditricem naturarum omnium, multò euidentius quàm corpus insinuet: loquor de vermiculo animante qualicunque. Cineris & stercoris laudem verissimè atque vberrimè plerique dixerunt. (*Cato apud Ciceronem in Catone maiore.*) Quid ergo mirum est, si hominis animam quæ vbicunque sit & qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchrè ordinari, & de pœnis eius alias pulchritudines fieri, cùm ibi non sit quando misera est, vbi beatos esse decet, sed ibi sit vbi esse miseros decet? Prorsus nemo nos fallat. Quicquid rectè

vituperatur, in melioris comparatione respuitur. Omnis enim natura quamuis extrema, quamuis infima, in comparatione nihili iure laudatur. Et tunc cuique non est bene, si melius esse potest. Quare si nobis potest bene esse cum ipsa veritate, malè sumus cum quolibet vestigio veritatis: multò ergo deteriùs cum extremitate vestigij, quando carnis voluptatibus adhæremus. Vincamus ergo huius cupiditatis vel blanditias vel molestias, subiugemus nobis hanc fœminam, si viri sumus. Nobis ducibus, & ipsa erit melior, nec iam cupiditas, sed temperantia nominabitur. Nam cùm ipsa ducit, nos autem sequimur, cupiditas illa & libido, nos verò temeritas & stultitia nuncupamur. Sequamur Christum caput nostrum, vt & nos sequatur cui caput sumus. Hoc & fœminis præcipi potest, non maritali, sed fraterno iure, quo iure in Christo nec masculus nec fœmina sumus. Habent enim & illæ virile quiddam vnde fœmineas subiugent voluptates, vnde Christo seruiant, & imperent cupiditati. Quod in multis viduis & virginibus Dei, in multis etiam maritatis, sed iam fraternè coniugalia iura seruantibus Christiani populi dispensatione manifestum est. Quòd si ab ea parte cui dominari Deus nos iubet, atque vt in nostram possessionem restituamur & hortatur & opitulatur: si ergo ab hac parte per negligentiam & impietatem vir subditus fuerit, id est mens & ratio, erit quidem homo turpis & miser: sed destinatur in hac vita, & post hanc vitã ordinatur, quò eum destinari, & vbi ordinari sũmus ille rector & Dominus iudicat. Nulla itaque fœditate vniuersa creatura maculari permittitur.

AMBVLEMVS ergo dum diem habemus, id est, dum ratione vti possumus, vt ad Deum conuersi, verbo eius quod verum lumen est, illustrari mereamur, ne nos tenebræ comprehendant. Dies est enim præsentia illius luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hominem dixit, qui ratione vti potest: & vbi cecidit, ibi incumbere debet vt surgat. Si ergo voluptas carnis diligitur, ea ipsa diligentiùs consideretur, & quum ibi recognita fuerint quorundam vestigia numerorum, quærendum est vbi sine tumore sint. Ibi enim magis vnum est quod est. Et si tales sunt in ipsa motione vitali, quæ in seminibus operatur, magis ibi mirandi sunt quam in corpore. Si enim numeri seminum

Cap. XLII. Vnitatis pulchritudo in quibus.

ſicut ipſa ſemina tumerent, de dimidio grano fici, arbor dimidia naſceretur, neque de animalium ſeminibus etiam non totis, animalia tota & integra gignerentur, neque tantillum & vnum ſemen vim haberet ſui cuiuſque generis innumerabilem. De vno quippe ſecundùm ſuam naturam poſſunt, vel ſegetes ſegetum, vel ſyluæ ſyluarum, vel greges gregum, vel populi populorum per ſæcula propagari, vt nullum folium ſit, vel nullus pilus per tam numeroſam ſucceſſionem, cuius non ratio in illo primo & vno ſemine fuerit. Deinde illud cogitandum eſt, quàm numeroſas, quàm ſuaues ſonorum pulchritudines verberatus aër traiciat cantante luſcinia, quas illius auiculæ anima non tam liberè cùm liberet fabricaretur, niſi vitali motu incorporaliter haberet impreſſas. Hoc & in cæteris animantibus, quæ ratione carentia ſenſu tamen non carent, animaduerti poteſt. Nullum enim horum eſt, quod non vel in ſono vocis, vel in cætero motu atque operatione membrorum numeroſum aliquid, atque in ſuo genere moderatum gerat, non aliqua ſcientia, ſed tamen intimis naturæ terminis, ab illa incommutabili numerorum lege modulatis.

Cap. XLIIII. *Ex ordine verū cognoſci Deum.*

REDEAMVS ad nos, & omittamus ea quæ cum arbuſtis, & beſtiis habemus communia. Vno namque modo hirundo nidificat, & vnumquodque auium genus vno aliquo ſuo modo. Quid eſt ergo in nobis, quo & de illis omnibus iudicamus, quas figuras appetant, & quatenus impleant, & nos in ædificiis aliiſque corporeis operibus, tanquam Domini omnium talium figurarum, innumerabilia machinamur? Quid eſt in nobis, quod intus intelligit has ipſas viſibiles corporum moles proportione magnas eſſe, vel paruas, & omne corpus habere dimidium quantulumcunque ſit, & ſi dimidium, innumerabiles partes? Itaque omne granum milij ſuæ parti tantæ, quantam in hoc mundo noſtrum corpus tenet, tam magnum eſſe quàm mundus eſt nobis, totúmque iſtum mundum figurarum ratione pulchrum eſſe, non mole: magnum autem videri, non pro ſua quantitate, ſed pro breuitate noſtra, id eſt animalium quibus eſt plenus, quæ rurſus cùm habeant infinitatem diuiſionis, non ipſa per ſe, ſed in aliorum, & maximè ipſius vniuerſi comparatione tam parua ſunt. Nec in ſpacio temporum alia ratio eſt, quia vt omnis loci, ſic omnis tempo-

ris longitudo habet dimidium sui : quamuis enim sit breuissima, & incipit & progreditur & desinit. Itaque non potest nisi habere dimidium, dum ibi diuiditur quà transit ad finem. Ac per hoc & breuis syllabæ tempus in comparatione longioris breue, & hora brumalis æstiuæ horæ comparata minor est. Sic mora vnius horæ ad diem, & diei ad mensem, & mensis ad annum, & anni ad lustrum, & lustri ad maiores circuitus, & ipsi ad vniuersum tempus relati breues sunt, cùm illa ipsa numerosa successio, & quædam gradatio, siue localium, siue temporalium spaciorum, non tumore vel mora, sed ordinata conuenientia pulchra iudicetur. Ipse autem ordinis modus viuit in veritate perpetua, nec mole vastus, nec protractione volubilis, sed potentia super omnes locos magnus, æternitate super omnia tempora immobilis : sine quo tamen nec vllius molis vastitas in vnum redigi, nec vllius temporis productio potest ab errore cohiberi, & aliquid esse vel corpus vt corpus sit, vel motus vt motus sit. Ipsum est vnum principale, nec per finitum, nec per infinitum crassum, nec per finitum nec per infinitum mutabile. Non enim habet aliud hìc, aliud alibi, aut aliud nunc, aliud postea: quia summè vnus est Pater veritatis, Pater suæ sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo eius dicta est, & imago, quia de ipso est. Itaque etiam Filius rectè dicitur ex ipso, cętera per ipsum. Præcessit enim forma omnium summè implens vnum de quo est, vt cætera quæ sunt inquantum sunt vni similia, per eam formam fierent.

Horas inæquales intelligit, quæ pro loco solis in zodiaco variantur, nã brumalis dies totidẽ habet horas quot æstiuus, licet breuiores.

HORVM alia sic sunt per ipsam, vt ad ipsam etiam sint, vt omnis rationalis, & intellectualis creatura, in qua homo rectissimè dicitur factus ad imaginem & similitudinem Dei: non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere. Alia verò ita sunt per ipsam facta, vt non sint ad ipsam. Et ideò rationalis anima si creatori suo seruiat à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est, cuncta ei cætera seruient: & vita vltima quæ tam vicina illi est, & est adiutorium eius, per quod imperat corpori: & ipsum corpus, extrema natura & essentia: cui omni modo cedenti ad arbitrium dominabitur, nullam de illo sentiens molestiam: quia iam non ex ipso nec per ipsum quæret beatitudinem, sed ex Deo per seipsam percipiet. Reformatum ergo corpus

Cap. XLIV. Dei imago Filius, ad quam facta quædam.

ac sanctificatum, sine detrimento corruptionis, & sine onere difficultatis administrabit. *In resurrectione enim nec nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælis. Esca verò ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & illas destruet, quoniam non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium.*

Math. 22. 1. Cor. 6. 13. Rom. 14. 17.

Cap. XLV. *Voluptatis imbecillitas prætendit nos ad sublimiora.*

QVAPROPTER etiam in ista corporis voluptate inuenimus vnde commoneamur eam contemnere: non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est. Cùm trahitur auriga, & suæ temeritatis dat pœnas, quicquid illud est quo vtebatur, accusat: sed imploret auxilium, iubeat Dominus rerum, obsistatur equis, alia iam spectacula de illius præcipitatione facientibus, & nisi subueniatur de morte facturis, restituatur in locum, super rotas collocetur, habenarum iura reddantur, regat cautiùs obtemperantes, & edomitas bestias: tunc sentiet quàm bene currus, & tota illa iunctio fabricata sit, quæ ruina eius, & ipsum afflixerat, & cursum decentissimæ moderationis amiserat: quia & huic corpori imbecillitatem peperit animæ malæ vtentis auiditas in paradiso, vsurpans vetitum cibum contra medici disciplinam, qua sempiterna continetur salus. Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, vbi beata vita esse non potest, inuenitur admonitio beatę vitæ propter speciem de summo bono vsque ad ima venientem: quantò magis in appetitione nobilitatis & excellentiæ, & in omni superbia vanáque pompa huius mundi? Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse si fieri possit cui cuncta subiecta sint, peruersa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur, secundùm præcepta eius viuendo, per eum haberet subdita cætera, nec ad tantam deformitatem veniret, vt bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. Habet ergo & superbia quendam appetitum vnitatis & omnipotentiæ: sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt tanquam vmbra. Inuicti esse volumus, & rectè: habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad eius imaginem factus est: sed eius præcepta erant seruanda, quibus seruatis nemo nos vinceret. Nunc verò dum ipsa cuius verbis turpiter consensimus, domatur dolore pariendi, & nos in

terra laboramus, & cum magno dedecore superamur ab omnibus, quæ nos commouere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, & iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen & si habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quantò igitur honestiùs homo nos vincit quàm vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse inuidentiam, qua necesse est torqueatur, & subiiciatur qui non vult in rebus temporalibus vinci? Meliùs est ergo vt homo nos vincat, quàm inuidentia, vel quodlibet aliud vitium.

SED nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cum ei eripitur ab aduersario quod amat. Qui ergo amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter inuictus est, nec vlla cruciatur inuidia. Id enim diligit, ad quod diligendum, & percipiendum quantò plures venerint, tantò eis vberiùs gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi inuidet vt sit quod ipse est, imò adiuuat etiam quantum potest. Nec potest amittere proximum quem diligit tanquam seipsum, quia neque in seipso ea diligit quæ oculis subiacent, aut vllis aliis corporeis sensibus. Ergo apud semetipsum habet quem diligit tanquam seipsum. Ea autem est regula dilectionis, vt quæ sibi vult bona prouenire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit: hanc voluntatem erga omnes homines seruat. Nam erga neminem operandum est malum. Et *dilectio proximi malum non operatur.* Diligamus ergo vt præceptum est etiam inimicos nostros, si verè inuicti esse volumus. Non enim per seipsum quisquam hominum inuictus est, sed per illam incommutabilem legem, cui quicunque seruiunt soli sunt liberi. Sic enim eis quod diligunt auferri non potest. Quæ res vna inuictos facit & perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam iumentum aut balneas aut auiculam pictam vel garrulam, id est vt ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, seruiat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo & detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominan-

Cap. XLVI. *Charitas erga Deũ & proximum.*

Mat. 22. 37.

Tob. 4. 18.

Rom. 13. 10.
Matt. 5. 44.

te, vsque ad extremam vitam, vel potiùs mortem perducitur.
Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, vt diliguntur carnales fratres vel filij vel coniuges, vel quique
1. Retr.c.13. cognati, vel affines aut ciues. Nam & dilectio ista temporalis est. Non enim vllas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis, & imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur. Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa veritas vocans, præcipit vt carnali consuetudini resistamus, docens neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim est inhumanum, non amare in homine quod homo est, sed amare quod vilius est: hoc est enim non in eo amare illud, quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad regnum non peruenit, qui non communem sed priuatam rem diligit? Imò vtrunque ait quispiam: imò illud vnum, dicit Dominus. Di-
Matt 6.24. cit enim verissimè Veritas: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Nemo enim potest perfectè diligere quò vocamur, nisi oderit vnde reuocamur. Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit: reuocamur autem ab eius dilectione, quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, vnde vt liberemur optamus. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum. Certè enim sibiipsi nemo est pater, aut filius aut affinis, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm homo. Qui ergo diligit aliquem tanquam seipsum, hoc in eo debet diligere quod sibi ipse est. Corpora verò non sunt quod nos sumus. Non ergo in homine corpus est expetendum aut desiderandum. Valet enim ad hoc etiam quod præceptum est: *Non*
Exo. 20.17. *concupiscas rem proximi tui.* Quapropter quisquis in proximo aliud diligit, quàm sibi ipse est, non eum diligit tanquam seipsum. Ipsa igitur natura humana sine carnali conditione diligenda est, siue sit perficienda siue perfecta. Omnes sub vno Deo patre cognati sunt qui eum diligunt, & faciunt voluntatem ipsius. Et inuicem sibi sunt & patres cùm sibi consulunt, & filij cùm sibi obtemperant, & fratres, maximè quia eos vnus pater testamento suo ad vnam hereditatem vocat.

QVAPROPTER cur iste non inuictus sit hominem diligendo, cùm in eo nihil præter hominem diligat, id est creaturam Dei ad eius imaginem factam, nec ei possit deesse perfecta natura quam diligit, cùm ipse perfectus est? Sicut enim, verbi gratia, si quisquam diligat bene cantantem, non hunc aut illum, sed tantùm bene cantantem quemlibet, cùm sit cantor ipse perfectus, ita vult omnes tales esse, vt tamen ei non desit quod diligat, quia ipse bene cantat. Nam si cuiquam inuidet bene cantanti, non iam illud diligit, sed aut laudem, aut aliquid aliud, quò bene cantando vult peruenire, & potest ei minui vel auferri, si & alius bene cantauerit. Qui ergo inuidet bene cantanti, non amat bene cantantem, sed rursus qui eo indiget, non bene cantat. Quod multò accommodatiùs de bene viuente dici potest, quia inuidere nulli potest: quò enim perueniunt bene viuentes, tantundem est omnibus, nec minus fit cùm plures habuerint. Et potest esse tempus quo bonus cantor cantare non decenter queat, & indigeat voce alterius, qua sibi exhibeatur, quod diligit tanquam si alicubi conuiuetur, vbi eum cantare turpe sit, sed deceat audire cantantem: bene autem viuere semper decet. Quare quisquis hoc & diligit & facit, non solùm non inuidet imitantibus, sed his se præbet libentissimè atque humanissimè quantum potest, nec tamen eis indiget. Nam quod in illis diligit, in seipso habet totum atque perfectum. Ita cùm diligit proximum tanquam seipsum, non inuidet ei, quia nec sibiipsi: præstat ei quod potest, quia & sibiipsi: nec eo indiget, quia nec seipso: tantùm Deo indiget, cui adhærendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo verissimè atque certissimè inuictus homo est qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quàm ipsum hærere Deo bonum est.

Cap. XLVII. Fortis omnibus bene vtitur.

Hic vir quamdiu est in hac vita, vtitur amico ad rependendam gratiam, vtitur inimico ad patientiam, vtitur quibus potest ad beneficentiam, vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et quanquam temporalia non diligat, ipse rectè vtitur temporalibus, & pro eorum sorte hominibus consulit, si æqualiter non potest omnibus. Quare si aliquem familiarium suorum promptiùs quàm quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eum habet maiorem fiduciam, & apertio-

rem temporis ianuam. Tractat enim tempori deditos tantò meliùs, quantò minus ipse obligatus est tempori. Cùm itaque omnibus quos pariter diligit prodesse non possit, nisi coniunctioribus prodesse malit, iniustus est. Animi autem coniunctio maior est quàm locorum aut temporum, quibus in hoc corpore iunguntur, sed ea maxima est quæ omnibus præualet. Non ergo iste affligitur morte cuiusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, nouit nec sibi perire quod Deo non perit. Deus autem dominus est & viuorum & mortuorum. Non cuiusquam miseria miser est, quia nec cuiusquam iustitia iustus est. Et vt nemo illi iustitiam & Deum, sic nemo aufert beatitudinem. Et si aliquando fortè alicuius periculo, vel errore vel dolore commouetur, vsque ad illius auxilium, aut correctionem, aut consolationem, non vsque ad suam subuersionem valere patitur. In omnibus autem officiosis laboribus futuræ quietis certa expectatione non frangitur. Quid enim ei nocebit, qui bene vti etiam inimico potest? Eius enim præsidio atque munimento inimicitias non pertimescit, cuius præcepto & dono diligit inimicos. Huic viro in tri-
Matt.5.44. bulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, *sciens quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem,*
Rom.5.4.5. *probatio spem, spes autem non confundit: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quis huic nocebit? Quis hunc subiugabit? Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit discit. Cùm enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit: sed cùm subtrahuntur, agnoscitur vtrum eum non ceperint. Quia plerunque cùm adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus: sed cùm abesse cœperint, inuenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere cùm vincatur, qui superando ad id peruenerit, quod cum dolore amissurus est: & vincit cùm vinci videatur, quisquis cedendo ad id peruenit quod non amittit inuitus.

Cap. XLVIII. *Quæ sit perfecta iustitia.*

QVEM ergo delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat: & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quàm seipsum. Et hæc est perfecta iustitia, qua potiùs potiora, & minùs minora diligimus. Sapientem animam atque

perfectam talem diligat qualem illam videt : stultam non talem, sed quia esse perfecta & sapiens potest : quia nec seipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam : nec fiet quisquis qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. Sed donec ad sapientiam perfectionemque veniatur, eo animo ferat stultitiam proximi, quo suam ferret, si stultus esset, & amaret sapientiam. Quapropter si & ipsa superbia veræ libertatis, & veri regni vmbra est, etiam per ipsam nos commemorat diuina prouidentia, quid significemus vitiosi, & quò debeamus redire correcti.

IAM verò cuncta spectacula, & omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quærit quàm de rerum cognitione lætitiam? Quid ergo admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator peruenire se cupere confitetur, cùm vehementer ne fallatur inuigilat, & inde se iactat siquid acutiùs cæteris, & viuaciùs in spectando cognoscat & iudicet? Ipsum denique præstigiatorem nihil aliud quàm fallaciam profitentem diligenter intuentur, & cautissimè obseruant, & si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia qui eos eludit. Nam si & ille nesciret quibus causis fallantur intuentes, vel nescire crederetur, pariter erranti nullus plauderet. Si quis autem de populo vnus eum deprehenderit, maiorem illo laudem se mereri putat, non ob aliud, nisi quia decipi fallíque non potuit. Si autem multis apertus sit, non ille laudatur, sed irridentur cæteri qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur & artificio, & comprehensioni veritatis, ad quam nullo modo perueniunt qui foris eam quærunt. Itaque in tantas nugas, & turpitudines mersi sumus, vt cùm interroganti quid sit melius, verum an falsum, ore vno respondeamus, verum esse melius iocis & ludis, tamen vbi nos vtique non vera, sed falsa delectant, multò propensiùs quàm præceptis ipsius veritatis hæreamus. Ita nostro iudicio & ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate sectantes. Tandiu autem est ludicrum, & ioculare aliquid, quandiu nouimus in cuius veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus à vero, & non iam inuenimus quarum rerum imitamenta sint, quibus tanquam primis pulchris inhiamus, & ab eis receden-

CAP. XLI. *Omnibus præferenda veritas.*

tes amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad inuestigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, & nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus quàm latè pateat quod dictum est: Cauete à simulachris. Itaque alij per innumerabiles mundos vana cogitatione volutati sunt. Alij Deum esse non posse, nisi corpus igneum putauerunt. Alij candorem lucis immensæ per infinita spacia vsquequaque porrectum, ex vna tamen parte quasi nigro quodam cuneo fissum: duo aduersa regna opinantes, & talia rebus constituentes principia, cum suis phantasmatibus fabulati sunt. Quos si iurare cogam, vtrum hæc vera esse sciant; fortasse non audeant, sed vicissim dicant: Tu igitur ostende quid verum sit. Quibus si nihil respondeam, nisi vt illam lucem quærant qua eis apparet & certum est, aliud esse credere, aliud intelligere, iurarent & ipsi, nec oculis videri posse istam lucem nec cum aliqua locorum vastitate cogitari, & nusquam non præsto esse quærentibus, & nihil ea certius atque serenius inueniri. Quæ rursus omnia quæ de hac luce mentis nunc à me dicta sunt, nulla alia quàm eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quæ dicta sunt, & hæc me intelligere per hanc rursus intelligo. Et hoc rursus & rursus cùm quisque se aliquid intelligere intelligit, & idipsum rursus intelligit, in infinitum pergere intelligo, & nulla hîc esse spacia cuiusquam tumoris aut volubilitatis intelligo: intelligo etiam non me posse intelligere nisi viuam, & me viuaciorem intelligendo fieri, certius intelligo. Æterna enim vita vitam temporalem viuacitate ipsa superat. Nec quid sit æternitas, nisi intelligendo conspicio. Mentis quippe aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate seiungo, & in ipsa æternitate nulla spacia temporis cerno, quia spacia temporis præteritis & futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum est: quia & quod præterit esse desinit, & quod futurum est, nondum esse cœpit. Æternitas autem tantummodò est, nec fuit quasi iam non sit, nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissimè dicere potuit humanæ menti: *Ego sum qui sum.* Et de illa verissimè dici poterat: *Qui est, misit me.*

[Margin: Epicuræi. Stoici. Manichæi. — Exo. 3. 14.]

Cap. L. Scripturarũ

CVI si nondum possumus inhærere, obiurgemus saltem nostra

noſtra phantaſmata, & tam nugatorios & deceptorios ludos de ſpectaculo mentis eiiciamus. Vtamur gradibus quos nobis diuina prouidentia fabricare dignata eſt. Cùm enim figmentis ludicris nimium delectati euaneſceremus in cogitationibus noſtris, & totam vitam noſtram in quædam vana ſomnia verteremus, rationali * creatura ſeruiẽte legibus ſuis: per ſonos ac literas, ignem, fumum, nubem, columnam, quaſi quædam verba viſibilia cum infantia noſtra parabolis ac ſimilitudinibus quodammodò ludere, & interiores oculos noſtros luto huiuſcemodi curare non aſpernata eſt ineffabilis miſericordia Dei. Diſtinguamus ergo quam fidem debeamus hiſtoriæ, quam fidẽ debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum eſſe neſcientes, ſed credentes tamen. Et vbi ſit verum quod non venit & tranſit, ſed ſemper eodem modo manet. Qui ſit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per ſapientiam dicta creditur in Spiritu ſancto. Vtrum à viſibilibus antiquioribus ad viſibilia recentiora eam perducere ſufficiat. An vſque ad animæ affectiones atque naturam, an vſque ad incommutabilem æternitatem: an aliæ ſignificent geſta viſibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis, an aliqua inueniãtur in quibus hæc omnia inueſtiganda ſint. Et quæ ſit ſtabilis fides, ſiue hiſtorica & temporalis, ſiue ſpiritalis & æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda ſit. Et quid proſit ad intelligenda, & obtinenda æterna, vbi finis eſt omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid interſit inter allegoriam hiſtoriæ, & allegoriam facti, & allegoriam ſermonis, & allegoriam Sacramenti. Et quomodò ipſa locutio diuinarum ſcripturarum ſecundùm cuiuſque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cùm in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda. Quid proſit tanta loquendi humilitas, vt non ſolùm ira Dei & triſtitia, & à ſomno expergefactio, & memoria, & obliuio, & alia nonnulla quæ in bonos homines cadere poſſunt, ſed etiam pœnitentiæ, zeli, crapulæ nomina, & alia huiuſmodi in ſacris libris inueniantur? Et vtrum oculi Dei & manus & pedes, & alia huius generis membra, quæ in Scripturis nominantur, ad viſibilem formam humani corporis referenda ſint, an ad ſignificationes intelligibilium & ſpiritalium potentia-

& interpretationum ratio.

f. * irrationali.

Allegoria quadruplex. Quod omnis lingua habeat propria quãdã locutionis genera.

rum, ſicut galea & ſcutum, & gladius & cingulum, & cætera talia. Et quod maximè quærendum eſt, quid proſit generi humano, quòd ſic nobiſcum per rationalem & genitalem, & corporalem creaturam ſibi ſeruientem diuina prouidentia locuta eſt. Quo vno cognito, omnis ab animo proteruitas puerilis excluditur, & introducitur ſacroſancta religio.

Cap. LI. Scripturarũ perſcrutatio.

OMISSIS igitur & repudiatis nugis theatricis & poëticis, diuinarum Scripturarum conſideratione, & tractatione paſcamus animum atque potemus vanæ curioſitatis fame ac ſiti feſſum & æſtuantem, & inanibus phantaſmatibus tanquam pictis epulis, fruſtra refici ſatiarique cupientem. Hoc verè liberali, & ingenuo ludo ſalubriter erudiamur. Si nos miracula ſpectaculorum, & pulchritudo delectant, illam deſideremus videre ſapientiam, quæ pertendit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. (Sap. 8.1.) Quid enim mirabilius, vi incorporea mundum corporeum fabricante & adminiſtrante? Aut quid pulchrius ordinante & ornante?

Cap. LII. Et vitia sũt occaſio ad virtutem.

SI autem omnes fatentur per corpus iſta ſentiri, & animum meliorem eſſe quàm corpus, nihilne per ſe animus ipſe conſpiciet, aut quod conſpiciet poteſt eſſe, niſi multò excellentius longéque præſtantius? Imò verò commemorati ab iis quæ iudicamus, intueri quid ſit ſecundum quod iudicamus, & ab operibus artium conuerſi ad legem artium, eam ſpeciem mente contuebimur, cuius comparatione fœda ſunt, quæ ipſius benignitate ſunt pulchra. Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, & ſempiterna eius virtus & diuinitas. (Rom. 1.20.) Hæc eſt à temporalibus ad æterna regreſſio, & ex vita veteris hominis in nouum hominem reformatio. Quid eſt autem vnde homo commoneri non poſſit ad virtutes capeſſendas, quando de ipſis vitiis poteſt? Quid enim appetit curioſitas, niſi cognitionem quę certa eſſe non poteſt, niſi rerum æternarum, & eodem modo ſe ſemper habentium? Quid appetit ſuperbia niſi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non inuenit niſi anima perfecta & Deo ſubdita, & ad eius regnum ſumma charitate conuerſa? Quid appetit voluptas corporis niſi quietem, quæ non eſt niſi vbi nulla eſt indigentia, & nulla cor-

ruptio? Cauendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ grauiores, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio. Ideò nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quare festinemus, & ambulemus cùm dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant. Festinemus à secunda morte liberari, vbi nemo est qui memor Dei sit, & ab inferno, vbi nemo confitebitur Deo. Ioan. 1. 9. Ioan. 12. 35. Psal. 6. 6.

SED miseri homines quibus cognita vilescunt, & nouitatibus gaudent, libentiùs discunt quàm norunt, cùm cognitio sit finis discendi. Et quibus vilis est facilitas actionis, libentiùs certant quàm vincunt, cùm victoria sit finis certandi. Et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quàm satiari, & malunt frui genitalibus membris, quàm nullam talem commotionem pati. Inueniuntur etiam qui malunt dormire quàm non dormitare, cùm omnis illius voluptatis sit finis, non esurire ac sitire, & non desiderare concubitum, & non esse corpore fatigato. Quare qui fines ipsos desiderant, priùs curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem quæ intus est, & ea perfruentes quantum in hac vita queant. Deinde accipiunt actionis facilitatem peruicacia posita, scientes maiorem esse faciliorémque victoriam non resistere animositati cuiusquam, & hoc quantum in hac vita queunt sentiunt. Postremò etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus sine quibus agi hæc vita potest: ita gustant quàm suauis est Dominus. Nec erit eis dubium quid post hanc vitam futurum sit, & perfectionis suæ fide, spe & charitate nutriuntur. Post hanc autem vitam & cognitio perficietur, quia ex parte nunc scimus, cùm autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte, & pax omnis aderit. Nunc autem alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, sed liberabit nos de corpore mortis huius, gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Quia ex magna parte concordamus cum aduersario, dum cum illo sumus in via: & tota sanitas, & nulla indigentia, & nulla fatigatio aderit corpori: quia corruptibile hoc tempore atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione. Non mirum autem, si hoc dabitur iis, qui in cognitione solam veritatem amant, & in

Cap. LIII. Scopi stultorum ac sapientum. Psal. 33. 9. 1. Cor. 13. 9. & 10. Rom. 7. 23. 1. Cor. 15. 53

actione solam pacem, & in corpore solam sanitatem. Hoc enim in eis perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

Cap. LIV. *Premia diuersa post hanc vitā.* QVI ergo malè vtuntur tanto mentis bono, vt extra eam visibilia magis appetant, quibus ad concupiscenda diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium est carnis prudentia, & sensuum corporeorum imbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabuntur à pace, & summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror, quòd li-
Mat. 22. 13. gantur ei manus & pedes, id est facilitas omnis aufertur operandi. Et qui sitire & esurire volunt, & in libidinem ardescere & defatigari, vt libenter edant, & bibant, & concumbant, & dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant, vt ibi sint vbi eis sit ploratus & stridor dentium. Plures enim sunt qui hæc omnia simul vitia diligunt, & quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire, & in cogitatione sua nihil aliud quàm phantasmata, quæ de tali vita colligunt, amplexari, & ex eorum fallacia superstitionis, vel impietatis regulas fingere quibus decipiuntur, & quibus inhærent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur. quia non bene vtuntur talento sibi commisso, id est mentis acie qua videntur omnes, qui docti aut vrbani aut faceti nominantur excellere. Sed habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est delicatis & superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus inuolutam & oppressam. Ligabuntur ergo his manus & pedes, & mittentur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium. Non quia ipsa dilexerunt, quis enim hæc diligat? sed quia illa quæ dilexerunt, initia sunt istorum, & necessariò dilectores suos ad ista perducunt. qui enim magis amant ire quàm redire aut per-
Psal. 77. 39. uenire, in longinquiora mittendi sunt, quoniam caro sunt &
Mat. 25. 28. spiritus ambulans, & non reuertens. qui verò bene vtuntur vel ipsis quinque sensibus corporis ad credenda, & prædicanda opera Dei, & nutriendam charitatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam, & cognos-
Mat. 25. 18. cendum Deum, intrant in gaudium Domini sui. Propterea

talentum quod malè vtenti aufertur, illi datur qui talentis quinque bene vsus est: non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est, posse hoc amittere negligentes, & impios ingeniosos, & ad eam peruenire diligentes & pios, quamuis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talentum ei, qui acceperat duo: habet enim & hoc, qui iam in actione, & cognitione bene viuit, sed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantùm, id est temporalibus credit: sed habere potest, qui horum omnium sensibilium Deum artificem laudat, & eum persuadet fide, & expectat spe, & quærit charitate.

Cap. LV. Epilogus exhortans ad verã religionem.

QVÆ cùm ita sint, hortor vos omnes homines charissimi & proximi mei, méque ipsum hortor vobiscum, vt ad id quò nos per sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non diligamus mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, & ambitio sæculi. Non diligamus per carnis voluptatem corrumpere, atque corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorúmque veniamus. Non diligamus certamina, ne Angelis qui talibus gaudent in potestatem demur, humiliandi, vinciendi, verberandi. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando, & amando vmbras, in tenebras proiiciamur. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamuis anima vera sit, cùm falsa imaginatur, colere non debemus. Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata: & tamen stipulam quam sentimus & tangimus, dementis est credere colendam. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum. Meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerunt, non sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adoran-

Opiniones falsæ de diis.

di propter religionem. Si autem malè vixerunt, vbicunque sint, non sunt colendi. Non sit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis superstitio cùm sit magna pœna hominum, & periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum. Non sit nobis religio terrarum cultus & aquarum, quia istis purior & lucidior est aër, etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis religio etiam purioris aëris, & serenioris cultus, quia luce absente inumbratur; & purior illo est fulgor ignis etiam huius, quem tamen quoniam pro voluntate accendimus & extinguimus, colere vtique non debemus. Non sit nobis religio cultus corporum æthereorum atque cælestium, quæ quamuis omnibus cæteris corporibus rectè præponantur, melior tamen ipsis est quæcunque vita. Quapropter si animata sunt, melior est quæuis anima per seipsam quàm corpus quodlibet animatum, & tamen animam vitiosam nemo colendam esse censuerit. Non sit nobis religio cultus illius vitæ qua dicuntur arbores viuere, quoniam nullus sensus in illa est. Et ex eo genere est ista, qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli & ossa viuunt, quæ sine sensu præciduntur. Hac autem melior est vita sentiens, & tamen vitam bestiarum colere non debemus. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta, & sapiens anima rationalis, siue in ministerio vniuersitatis, siue in ministerio partium stabilita, siue quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationémque portionis suæ: quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat.

Solus Deus adorandus.

Quod ergo colit summus Angelus, id colendum est etiam ab homine vltimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est vltima. Non enim aliunde sapiens Angelus, aliunde homo, aliunde ille verax, aliunde homo, sed ab vna incommutabili sapientia & veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, vt naturam humanam ipsa Dei virtus, & Dei sapientia incommutabilis, & consubstantialis Patri, & coæterna suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quòd ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam

ipsos optimos Angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec inuidemus quod ea paratiores, vel nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos cùm boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille conseruus. Qui autem nos inuitant vt sibi seruiamus, & tanquam Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minus, illos verò colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in homines, aut dominantium aut seruientium morte finitur. Seruitus autem sub Angelorum malorum superbia, propter ipsum tempus, quod est post mortem, magis metuenda est. Illud etiam cuiuis cognoscere facile est, quod sub homine dominante liberas cogitationes habere concessum est. Illos autem dominos in mentibus ipsis formidemus, qui vnus est oculus intuendæ ac percipiendæ veritatis. Quare si omnibus potestatibus, quæ dantur hominibus ad regendam rempublicam pro nostro vinculo subditi sumus, reddentes Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est: non est metuendum, ne hoc post mortem nostram aliquis exigat.

1. Cor. 3. 17.
Apoc. 22. 9.
Mat. 22. 21.

Et aliud est seruitus animæ, aliud seruitus corporis. Iusti autem homines, & in vno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus: cùm verò ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt: quos autem non possunt, non eis congratulantur, & ab eo vitio corrigi volunt. Quibus si similes, vel etiam mundiores atque sanctiores sunt boni Angeli, & omnia sancta Dei ministeria, quid metuimus ne aliquem illorum offendamus, si non superstitiosi fuerimus, cùm ipsis adiuuantibus ad vnum Deum tendentes, & ei vni religantes

1 Retr. c.13. Religio, à religando. animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus? Ecce vnum Deum colo, vnum omnium principium: & vnam sapientiam, qua sapiens est quæcunque anima sapiens est: & ipsum munus, quo beata sunt, quæcunque beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quòd etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adiuuat, nec mihi eius participationem potest inuidere. Dicant ergo mihi adoratores, aut adulatores partium mundi, quem non optimum sibi conciliet, qui hoc vnum colit quod omnis optimus diligit, & cuius cognitione gaudet, & ad quod principium recurrendo fit optimus. Quisquis verò Angelus excessus suos diligit, & veritati esse subditus non vult, & priuato suo lætari cupiens à communi omnium bono, & vera beatitudine lapsus est, cui omnes mali subiugandi & premendi sunt, nullus autem bonus, nisi exercendus in potestatem datur: nullo dubitante non est colendus, cuius lætitia est nostra miseria, & cuius damnum est nostra reuersio. Religet ergo nos religio vni omnipotenti Deo: quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem & veritatem, id est lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso, & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium quæ ab vno facta sunt, & ad vnum nituntur. Vnde apparet spiritalibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia. quæ tamen omnia neque fierent à Patre per Filium, neque suis finibus salua essent, nisi Deus summe bonus esset: qui & nulli naturæ quæ ab ipso bona esse posset inuidit, & in bono ipso alia quantum vellent, alia quantum possent vt manerent dedit. quare ipsum donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile colere & tenere nos conuenit: vnius substantiæ Trinitatem, vnum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus: à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permissi sumus: principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur: vnum Deum quo auctore conditi sumus, & similitudinem eius, per quē * ad vnitatem reformamur, & pacem qua vnitati adhæremus: Deum qui dixit,


Vera religio.

Spiritus Deus.

f. * quam.

Fiat.

Fiat: & verbum per quod factum est omne, quod substantialiter & naturaliter factum est, & donum benignitatis eius, quo placuit & conciliatum est auctori suo, vt non interiret quicquid ab eo per verbum factum est: vnum Deum quo creatore viuimus, per quem reformati sapienter viuimus, quem diligentes & quo fruentes beatè viuimus: vnum Deum *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Gen. 1. 3. Rom. 11. 36.



SANCTI AVRELII AVGVSTINI DE MORIBVS ECCLESIÆ Catholicæ Liber.

Argumentum huius libri ex Retract. lib. 1. c. 17.

IAM baptizatus autem cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum iactantiam, de falsa & fallaci continentia vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum De moribus Ecclesiæ Catholicæ: alterum De moribus Manichæorum, &c.

IN aliis libris satis, opinor, egisse nos quemadmodum Manichæorum inuectionibus, quibus in legem, quod vetus Testamentum vocatur, imperitè atque impiè feruntur, seséque inter imperitorum plausus, inani iactatione ventilant, possimus occurrere: quod breuiter etiam hîc commemorari à me potest. Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fieríque posse, imò id sem- Cap. 1. *Quomodò detectùrus sit fucos Manichæorum.*

per accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ cùm à doctoribus exponuntur, eò laudanda videantur clariùs, quò abiectiùs aspernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulciùs, quò clausa difficiliùs aperiebantur? Hoc ferè in sanctis veteris Testamenti libris euenit, si modò ille qui eis offenditur, doctorem potiùs eorum pium quàm impium laceratorem requirat, priúsque studio quærentis, quàm temeritate reprehendentis imbuatur. Nec si ea discere cupiens, in aliquos fortè inciderit vel Episcopos vel Presbyteros, vel cuiuscemodi Ecclesiæ Catholicæ Antistites & ministros, qui aut passim caueant nudare mysteria, aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint, desperet ibi scientiam esse veritatis, vbi neque omnes à quibus quæritur docere possunt, neque omnes qui quærunt, discere digni sunt. Et diligentia igitur & pietas adhibenda est: altero fiet vt scientes inueniamus, altero, vt scire mereamur. Sed quoniam duæ maximæ sunt illecebræ Manichæorum, quibus decipiuntur incauti, vt eos velint habere doctores: vna, cùm scripturas reprehendunt, vel quas malè intelligunt, vel quas malè intelligi volunt: altera, cùm vitæ castæ & memorabilis continentiæ imaginem præferunt: hic liber congruentem Catholicæ disciplinæ sententiam nostram de vita & moribus continebit, in quo fortasse intelligetur & quàm sit facile simulare, & quàm difficile habere virtutem. Eum sanè modum tenebo, si potero, vt neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam grauiter inuehar, quàm illi in ea quæ ignorant. Sanari enim eos potiùs, si fieri potest, quàm oppugnari volo: & ea de Scripturis assumam testimonia, quibus eos necesse sit credere, de nouo scilicet Testamento, de quo tamen nihil proferam eorum quæ solent immissa esse dicere, cùm magnis angustiis coarctantur, sed ea dicam, quæ & approbare & laudare coguntur. Nec omnino vllam relinquam testem sententiam productam de Apostolica disciplina, cui non de veteri Testamento similem comparem: vt si euigilare tandem deposita pertinacia somniorum suorum, & in Christianæ fidei lucem aspirare voluerint, animaduertant, & quàm non sit Christiana vita quam ostentant, & quàm sit Christi scriptura quàm lacerant.

Duæ quibus fallunt Manichæi.

Cap. II. Rationibus.

VNDE igitur exordiar? Ab auctoritate, an à ratione? Na-

turæ quidem ordo ita se habet, vt cùm aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cùm reddita fuerit, auctoritatem postea per quam firmetur assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorúmque velantur, perspicuitati synceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, vt in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem & sentiunt & loquuntur & gerunt, nihílque aliud maximè dicunt, nisi rationem priùs esse reddendam, morem illis geram: & quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei IESV CHRISTI, qui etiam ipsius mortis malo quo nos exuere vellet, indutus est.

Priùs agit, obsequens vitiosa Manichæorum cōsuetudini.

Cap. III. Beatus, qui eo fruitur quod hominis optimū est.

RATIONE igitur quæramus quemadmodum sit homini viuendum. Beatè certè omnes viuere volumus: neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ antequam planè sit emissa, consentiat. Beatus autem quantum existimo neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque sit: neque qui habet quod amat, si noxium sit: neque qui non amat quod habet, etiam si optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria: nec miseria & beatitudo in homine vno simul habitare consueuerunt. Nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, vt video, vbi beata vita inueniri queat, cùm id quod est hominis optimum, & amatur & habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum: nec quisquam qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beatè viuere cogitamus. Sequitur vt quæramus quid sit hominis optimum, quod profectò deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis enim quod seipso est deterius sequitur, fit & ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine

Frui.

Hominis optimum quid.

deterius hominis optimum. Fortaſſe tale aliquid erit quale ipſe homo eſt. Ita ſit ſanè, ſi nihil eſt homine melius quo perfrui poſſit. Si autem inuenimus aliquid quod & homine ſit excellentius, & præſto eſſe amanti ſeſe homini poſſit, quis dubitauerit homini ad id nitendum eſſe vt beatus ſit, quod eo ipſo qui nititur, manifeſtum eſt eſſe præſtantius? Nam ſi id eſt beatum eſſe, ad tale bonum perueniſſe quo ampliùs non poteſt, id eſt autem quod dicimus optimum, quo tandem pacto poteſt in ea definitione includi, qui ad ſummum bonum ſuum nondum peruenerit? Aut quomodò ſummum eſt, ſi eſt aliquid melius quò peruenire poſſimus? Hoc igitur ſi eſt, tale eſſe debet quod non amittat inuitus. Quippe nemo poteſt confidere de tali bono, quod ſibi eripi poſſe ſentit, etiam ſi retinere id amplectíque voluerit. Quiſquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus eſſe qui poteſt?

Duæ conditiones ſummi boni.

Cap. IV. Homo quid.

QVÆRAMVS igitur, quid ſit homine melius. Quod profectò inuenire difficile eſt, niſi priùs conſiderato atque diſcuſſo, quid ſit ipſe homo. Nec nunc definitionem hominis à me poſtulandam puto. Illud eſt magis quod mihi hoc loco quærendum videtur, cùm inter omnes penè conſtet, aut certè id quod ſatis eſt, inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conueniat, ex anima & corpore nos eſſe compoſitos. Quid eſt ipſe homo, vtrunque horum quæ nominaui, an corpus tantummodò, an tantummodò anima? Quanquam enim duo ſint, anima & corpus, & neutrum vocaretur homo, ſi non eſſet alterum. Nam neque corpus homo eſſet ſi anima non eſſet, nec rurſus anima homo, ſi ea corpus non animaretur. Fieri tamen poteſt vt vnum horum & habeatur homo & vocetur. Quid ergo hominem dicimus? Animam & corpus tanquam bigas vel centaurum: an corpus tantùm, quòd ſit in vſum animæ ſe regentis: tanquam lucernam, non ignem ſimul & teſtam, ſed teſtam ſolam, tamen propter ignem appellamus: an nihil aliud hominem quam animam dicimus, ſed propter corpus quod regit, veluti equitem non ſimul equum & hominem, ſed hominem ſolum, ex eo tamen quod regendo equo ſit accommodatus vocamus? Difficile eſt iſtam controuerſiam diiudicare, aut ſi ratione facile oratione longum eſt. Quem laborem ac moram ſuſcipere ac

Ita Plato animã dixit hominẽ, corpus organũ vel domicilium.

ſubire non opus eſt. Siue enim vtrumque, ſiue anima ſola nomen hominis teneat, non eſt hominis optimum quod optimum eſt corporis, ſed quod aut corpori ſimul & animæ, aut ſoli animæ optimum eſt, id eſt optimum hominis.

Corporis autem ſi quærimus quid optimum ſit, id certè ratio cogit fateri, per quod fit vt ſeſe corpus quam optimè habeat. Nihil eſt autem omnium quæ vegetant corpus anima melius atque præſtantius. Eſt ergo ſummum corporis bonum, non voluptas eius, non indolentia, non vires, non pulchritudo, non velocitas, & ſi quid aliud in bonis corporis numerari ſolet, ſed omnino anima. Nam & iſta quæ commemorata ſunt, præſentia ſui exhibet corpori, & quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima eſſe ſummum hominis bonum, ſiue animam ſimul & corpus, ſiue animam ſolam hominem dicimus. Vt enim corporis ſummum bonum id inuenit ratio, quod eſt corpore melius, & quo ei vigor & vita præbetur: ita ſiue corpus & anima, ſiue anima per ſe homo ſit, inueniendum eſt, ſi quid animam præcedit ipſam, quod cum anima ſequitur, ſit in ſuo genere quàm poteſt optima. Quod ſi reperire potuerimus, id erit profectò quod ambagibus remotis omnibus, ſummum hominis bonum iure meritóque nominandum eſt. Aut ſi corpus eſt homo, quin hominis optimum anima ipſa ſit, recuſare non poſſum. Sed certè cùm de moribus agitur, cùm quærimus quinam vitæ modus ſit tenendus vt beatitudinem poſſimus adipiſci, non corpori præcepta dantur, non corporis inueſtiganda eſt diſciplina. Poſtremò bonos mores ea noſtra pars actura eſt, quæ eos inquirit & diſcit, & hæc animæ ſunt propria. Non igitur de corpore cùm de virtute obtinenda ſatagimus, quæſtio eſt. Quòd ſi eſt conſequens, ſicuti eſt, vt ipſum corpus cum ab anima regitur, quæ virtutis compos eſt, multò & meliùs regatur & honeſtiùs, eóque optimè ſeſe habeat quo eſt optima illa quæ ſibi iuſta lege dominatur, id erit hominis optimum quod animam optimam facit, etiam ſi hominem corpus vocemus. An verò ſi mihi auriga obtemperans, equos quibus præeſt agit ac regit commodiſſimè, atque ipſe quò mihi eſt obedientior mea liberalitate perfruitur, negare quiſquam poteſt non ſolùm quòd auriga, verùm etiam

Cap. v. Corporis optimum quid ſit.

quod equi ſeſe optimè habent, mihi deberi? Itaque ſiue tantùm corpus, ſiue tantùm anima, ſiue vtrunque homo ſit, non mihi maximè quærendum videtur, niſi quid animam faciat optimam: nam eo percepto, non poteſt homo non aut optimè, aut certè multo melius ſeſe habere, quàm ſi hoc vnum defuiſſet.

Cap. vi. *Aliud bene, aliud beatè viuere.*

NEMO autem dubitauerit, quin virtus animam faciat optimam. Sed rectiſſimè quæri poteſt, vtrum iſta virtus etiam per ſe, an niſi in anima eſſe non poſſit. Oboritur iterum altiſſima & longiſſimi ſermonis indigens quæſtio: ſed hoc bene vtar fortaſſe compendio: ſpero Deum adfuturum, vt quantum imbecillitas noſtra patitur, de tantis rebus non modò dilucidè, ſed etiam breuiter doceamus. Quodlibet enim eorum ſit, ſiue etiam per ſe eſſe poſſit virtus ſine anima, ſiue niſi animæ ineſſe non poſſit, proculdubio aliquid anima ſequitur vt virtutem aſſequatur: id erit aut ipſa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At ſi ſeipſam ſequitur vt virtutem adipiſcatur, ſtultum neſcio quid ſequitur: ſtulta eſt enim ante adeptam virtutem. Summa ſunt autem vota ſequentium, vt id quod quiſque ſequitur, aſſequatur. Aut igitur optabit non aſſequi, quod ſequitur anima, quo nihil abſurdius & peruerſius dici poteſt: aut cùm ſe ſequitur ſtulta, eandem ſtultitiam quam vitat aſſequitur. Si autem virtutem ſequitur, hanc aſſequi cupiens, quomodò ſequitur id quod non eſt, aut quomodò aſſequi cupit quod habet? * Aut igitur virtus eſt præter animam, aut ſi non placet vocare virtutem niſi habitum ipſum & quaſi ſapientis animæ qualitatem, quæ niſi in anima eſſe non poteſt, oportet vt * aliquid aliud ſequatur anima, vt ei virtus poſſit innaſci: quia neque nihil ſequendo, neque ſtultitiam ſequendo poteſt, quantum ratio mea fert, ad ſapientiam peruenire. Hoc igitur aliud quod ſequendo anima virtutis atque ſapientiæ compos fit, aut homo ſapiens eſt, aut Deus. Sed ſupra dictum eſt, tale quiddam eſſe debere, quod inuiti amittere nequeamus. Quis verò cunctandum putet, hominem ſapientem, ſi eum ſequi ſatis putauerimus, auferri nobis non modò recuſantibus, ſed etiam repugnantibus poſſe? Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur, bene: ſi aſſequimur, non tantùm bene, ſed etiam beatè viuimus. Quem ſi qui eſſe negant, quid ego cogitem quo illis ſermone ſuadendum ſit,

*Vide Trac 9 in Ioan..

*Vide cap. v't de Cathec Rud.

cum quibus vtrum omnino sermocinandum sit, nescio? Quod tamen si videbitur, longè aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineundus est, quàm in præsentiarum suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant. Neque id tantùm, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris diuina prouidentia consuli existimet.

SED quomodò sequimur quem non videmus? Aut quomodò videmus, qui non solùm homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quanquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cùm stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conctur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci. Versabatur namque non veritate certior, sed consuetudine securior in rebus humanis: At vbi ad diuina peruentum est, auertit sese, intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reuerberatur luce veritatis, & ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione conuertitur. Quàm hic formidandum est, quàm tremendum, ne maiorem inde concipiat anima imbecillitatem, vbi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibúsque librorũ veluti signis temperatioribus * veritatis, vmbrísque blandiatur: quid potuit pro salute nostra fieri ampliùs? quid beneficentius, quid liberalius diuina prouidentia dici potest, quæ à legibus suis hominem lapsum, & propter cupiditatem rerum mortalium iure ac merito mortalē sobolem propagantem, non omnino deseruit? Habet enim potestas illa iustissima, miris & incomprehensibilibus modis per quasdam secretissimas successiones rerum sibi seruientium quas creauit, & seueritatem vindicandi, & clementiam liberandi. quod quidem quàm sit pulcrum, quàm magnum, quàm Deo dignum, quam postremò id quod quæritur verum, nequaquam intelligere poterimus: nisi ab humanis & proximis incipientes, veræ religionis fide præceptísque seruatis, non deserimus viam quam nobis Deus & Patriarcharum segregatione, &

Cap. VII. Deus auctoritate Scripturarũ vestigãdus.

Auctoritas Scripturarũ

* al temporariis.

Sũma fidei

Oeconomia diuina erga salutem ho-

minū præcipua mysteria. legis vinculo, & Prophetarum præſagio, & ſuſcepti hominis Sacramento, & Apoſtolorum teſtimonio, & Martyrum ſanguine, & Gentium occupatione muniuit. Quare deinceps nemo ex me quærat ſententiam meam, ſed potiùs audiamus oracula, noſtráſque ratiunculas diuinis ſubmittamus affatibus.

Cap. VIII. Deus ſūmū bonum, quò ſummo amore intendere iubemur. Mat. 22.37.

VIDEAMVS quemadmodum ipſe Dominus in Euangelio nobis præceperit eſſe viuendum: quomodò etiam Paulus Apoſtolus. Has enim ſcripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis Chriſte præſcribas, nec dubium eſt quin is erit finis, quò nos ſummo amore tendere iubes: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Dic mihi etiam quæſo te, qui ſit diligendi modus: vereor enim ne plus minúſve quàm oportet, inflammer deſiderio & amore Domini mei. *Ex toto*, inquit, *corde tuo.* Non eſt ſatis. *Ex tota anima tua.* Ne id quidem ſatis eſt. *Ex tota mente tua.* Quid vis amplius? Vellem fortaſſe ſi viderem quid poſſet eſſe

Rom. 8.28. Pro συνεργεῖ, legiſſe videtur συνάγει.

amplius. Quid ad hæc Paulus? *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.* Dicat etiam ipſe dilectionis modum. *Quis ergo*, inquit, *nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Audiuimus quid diligere, & quantum diligere debeamus: eò eſt omnino tendendum, ad id omnia conſilia noſtra referenda. Bonorum ſumma, Deus nobis eſt. Deus eſt nobis ſummum bonum. Neque infra remanendum nobis eſt, neque vltra quærendum: alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt.

Cap. IX. Concentus veteris & noui Teſtamenti.

AGE nunc inueſtigemus, vel potiùs attendamus, præſto enim eſt & facillimè videtur, vtrum his ſententiis ex Euangelio atque Apoſtolo prolatis, etiam Teſtamenti veteris auctoritas congruat. Quid dicam de ſuperiore ſententia, cùm manifeſtum ſit omnibus eam de lege, quæ per Moyſen data eſt eſſe depromptam? Ibi enim ſcriptum eſt: *Diliges Dominum*

Deut. 6.5. *Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Quid autem illi quod ab Apoſtolo dictum eſt, comparare de veteri Teſtamento poſſim, ne diutiùs quærerem ipſe

Rom. 8.38. ſubiecit. Cùm enim dixiſſet nulla tribulatione, nulla anguſtia, nulla perſecutione, nulla neceſſitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos à charitate Chriſti ſeparari: ſtatim

ſtatim ſubiunxit: *Sicut ſcriptum eſt, Quia propter te * afficimur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis.* Hæc illi ſolent à corruptoribus Scripturarum immiſſa eſſe dicere, vſque adeò nihil habent quod contradicant, vt hæc miſeri reſpondere cogantur. Sed quis non intelligat conuictorum hominum aliam non eſſe potuiſſe vltimam vocem? A quibus tamen quæro, vtrum iſtam ſententiam in veteri Teſtamento eſſe negent, an non congruere ſententiæ Apoſtolicæ affirment? At illud primùm libris docebo. In hoc autem altero tergiuerſantes homines, & per abrupta fugientes, aut in pacem reuocabo, ſi voluerint reſpicere aliquantum & conſiderare quod dictum eſt: aut eos intelligentia cæterorum, qui ſine cupiditate iudicant inſectabor. Quid enim poteſt amicius quàm iſtæ ſibi conſonare ſententiæ? Nam tribulatio, anguſtia, perſecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita conſtitutum grauiter afficiunt. Hæc itaque omnia verbo illo vno concluduntur teſtimonio veteris legis, quod dictum eſt, *Propter te afficimur.* Gladius reſtabat, qui non ærumnoſam vitam afferr, ſed quam inuenerit adimit. Huic ergo reſpondet, *Æſtimati ſumus vt oues occiſionis.* Charitas verò ipſa non potuit ſignificari expreſſiùs *, quàm quod dictum eſt, *Propter te.* Fac ergo, non in Paulo Apoſtolo compertum iſtud teſtimonium, ſed à me eſſe prolatum. Nunquid nam tibi demonſtrandum eſt, hæretice, niſi aut ſcriptum in vetere lege non eſſe, aut Apoſtolo non conuenire? Quorum ſi nihil dicere audes: vrgeris enim cùm & codex legitur, quo planum fit ſcriptum eſſe, & homines intelligant ad id quod Apoſtolus dixit nihil poſſe aptiùs conuenire: cur ergo valere aliquid putas, quod ſcripturas corruptas eſſe inſimulare audes? Poſtremò quid reſponſurus es ei, qui tibi dicat, Ego ſic intelligo, ego ſic accipio, ego ſic credo: nec ob aliud lego illos libros, niſi quod ibi omnia Chriſtianæ fidei concinere video. Illud potiùs dic, ſi audes, & aduerſus me dicere cogitas, non eſſe credendum quòd Apoſtoli & Martyres propter Chriſtum affecti grauibus ærumnis dicuntur, quòd à perſecutoribus vt oues occiſionis æſtimati ſunt. Quod ſi non potes dicere, quid calumniaris in quo libro inueniam, quod me oportere credere confiteris?

Pſ. 43. 42.

* Agnoſcit l. 1. Retrac. c. 7. ſe mendoſo vſum codice, cùm legendū ſit, *morte afficimur,* Græcè θανατούμεθα

* al. preſſiùs.

AN illud dicis, concedere te quidem, Deum eſſe diligen- Cap. x.

De Deo quid doceat Ecclesia. Gen. 1.1.

dum, sed non illum Deum quem colunt ij qui Testamenti veteris auctoritatem recipiunt. Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit cælum & terram? Iste namque per omnes partes illorum voluminum prædicatur: vos autem fatemini vniuersum istum mundum, qui nomine cæli & terræ significatur, habere auctorem & fabricatorem Deum, & Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim Deos, vnum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quòd si dicitis colere vos & colendum arbitrari Deum, à quo factus est mundus, non tamen eum esse quem veteris Testamenti commendat auctoritas: impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam quam bene atque vtiliter accepimus, malè interpretari conamini, frustra omnino. Neque enim vestræ stultæ atque impiæ disputationes vllo modo cum piorum doctissimorúmque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia Catholica Scripturæ illæ volentibus dignísque aperiuntur, comparari queunt. Longè prorsus aliter quàm putatis Lex & Prophetæ intelliguntur à nobis. Definite errare, non colimus pœnitentem Deum, non inuidum, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia & scelera placeant, non possessionem suam terræ * quadam particula terminantem. In has enim atque huiusmodi nugas grauiter copioséque inuehi soletis. Quare nos inuectio vestra non tangit, sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione peruellitis. Qua quisquis mouetur & ad vos transit, non Ecclesiæ nostræ damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat. Quamobrem siquid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potiùs diligenter & piè quomodò illa dicantur. Quærite miseri: nam talem fidem qua Deo inconueniens aliquid creditur, nos vehementiùs & vberiùs accusamus: nam & in illis quæ dicta sunt, cùm sic intelliguntur vt litera sonat, & simplicitatem corrigimus & pertinaciam deridemus. Et alia multa quæ vos intelligere non potestis vetat eos credere Catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quandam mentis pueritiam, in canos sapientiæ promouentur. Nam & credere Deum loco aliquo quamuis infinito,

Duo dij Manichæorũ.

* Iudæa.

Deus incõmutabilis.

per quantitatis quæcunque spatia contineri, quàm sit stultum docetur: & de loco in locum, vel ipsum, vel aliquam eius partem moueri atque transire, arbitrari nefas habetur. Iam verò aliquid eius substantiæ atque naturæ commutationem vel conuersionem quolibet modo pati posse si quis opinetur, miræ dementiæ impietatísque damnabitur: ita fit vt apud nos inueniantur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur, qua opinione nihil est abiectius: sed inueniantur item multi senes, qui eius maiestatem, non solùm super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inuiolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. Quas ætates, non tempore, sed virtute atque prudentia discernendas esse iam dictum est. Apud vos autem nemo quidem reperitur, qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat: sed rursus nemo qui * ab humani erroris labe seiungat. Itaque illi quos quasi vagientes Ecclesiæ Catholicæ vbera sustentant, si ab hæreticis non fuerint deprædati, pro suo quisque captu viribúsque nutriuntur, perducuntúrque alius sic, alius autem sic: primùm in virum perfectum, deinde ad maturitatem caniciémque sapientiæ perueniunt, vt eis quantum volunt viuere ac beatissimè viuere liceat.

* *Vide lib. contra epist. Manichæi, cap. 23.*

SECVTIO igitur Dei, beatitatis appetitus est: consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur verò, non cùm hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, cúmque mirifico & intelligibili modo contingentes, eiúsque veritate & sanctitate penitùs illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est, nobis autem ab eodem illuminari licet. Maximum ergo quod ad beatam vitam ducit, primúmque mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & anima & mente. Diligentibus enim Deum, omnia procedunt in bonum.* Quamobrem paulò pòst idem Paulus: *Certus sum*, inquit, *quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtus, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum: & summum bonum quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum vt nihil amplius diligere de-

CAP. XI. *Deus vnicè diligendus, ideoq; summum hominis bonum.*

Deut. 6. 5. Mat. 22. 37.

Rom. 8. 38 & 39.

beamus: idque significatur & exprimitur quod dictum est:
Mat 22.37. *Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente:* quis quæso dubitauerit his omnibus constitutis, & firmissimè creditis, nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum postpositis cæteris festinare oporteat, quàm Deum? Item si nulla res ab eius charitate nos separat, quid esse non solùm melius, sed etiam certius hoc bono potest? Sed singula breuiter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem. Id ipsum enim quòd diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligit Deum: cùm mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud quàm ei quicquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam. Nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat Angelus: non enim est Angelus cùm inhæremus Deo nostra mente potentior. Non separat virtus: nam si virtus hìc illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est: si in alio est, fauet vt coniungamur Deo: si in nobis est, ipsa coniungit. Non separant instantes molestiæ: hoc enim leuiores eas sentimus, quo ei vnde nos separare moliuntur, arctiùs inhæremus. Non separat promissio futurorum: nam & quicquid boni futurum est, certiùs promittit Deus: & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò bene sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum: etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem vel profunditatem significant, non ero curiosus, ne seiungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo separat, vt quasi depellat errorem, à quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si verò altitudine & profundo superna & inferna huius mundi significantur, quis mihi cælum polliceatur, vt à cæli fabricatore seiungar? Aut quis terreat infernus, vt Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremò quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco?

Cap. XII. *Charitate Deo connectimur dum illi subiicimur.* NON, inquit, separat alia creatura. O altissimorum mysteriorum virum. Non fuit contentus dicere creatura, sed alia, inquit, creatura, admonens etiam idipsum quo diligimus Deum, & quo inhæremus Deo, id est animum atque mentem

creaturam esse. Alia ergo creatura corpus est : & si animus res quædam est intelligibilis, id est quæ tantùm intelligendo innotescit, alia creatura est omne sensibile, id est quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, quasi quandam notitiam sui præbeat : atque id deterius sit necesse est, quàm quod intelligentia sola capitur. Ergo cùm etiam Deus dignis animis notus non nisi per intelligentiam possit esse, cùm tamen sit ipsa qua intelligitur mente præstantior, quippe qui creator eius atque auctor eius est, verendum erat ne animus humanus, eo quòd inter inuisibilia & intelligibilia numeratur, eiusdem se naturæ arbitraretur esse cuius est ipse qui creauit, & sic ab eo superbia decideret, cui charitate iungendus est. Fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi atque illuminandum se subiicit. Et si maximè ei propinquat subiectione ista qua similis fit, longè ab eo fiat necesse est, audacia qua vult esse similior. Ipsa est quæ legibus Dei obtemperare detrectat, dum suæ potestatis esse cupit vt Deus est. Quantò ergo magis longè discedit à Deo, non loco sed affectione atque cupiditate ad inferiora quàm est ipse, tantò magis stultitia miseriáque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quantò fecerit instantiùs ac studiosiùs, tantò erit beatior atque sublimior, & illo solo dominante liberrimus. Quamobrem nosse debet se esse creaturam. Debet enim creatorem suum credere sicuti est, inuiolabili & incommutabili semper manere natura veritatis atque sapientiæ : in se autem cadere posse stultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui desiderat, confiteri. Sed rursus cauere debet, ne ab ipsius Dei charitate, qua sanctificatur vt beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est huius sensibilis mundi amore separetur. * Non igitur separat nos alia creatura, siquidem & nos ipsi creatura sumus, à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

Vide l. 4. Conf. c. 9.

DICAT nobis idem Paulus quis iste sit CHRISTVS IESVS Dominus noster : *Vocatus*, inquit, *prædicamus Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam.* Quid ipse Christus ? *Nonne*, inquit, *ego sum veritas ?* Si ergo quærimus quid sit bene viuere, id est ad beatitudinem bene viuendo tendere, id erit profectò

CAP. XIII. Per Christū & eius spiritum iungimur inseparabiliter Deo.

1. Cor. 1. 24. Ioan. 14. 6. Deut. 6. 5. amare virtutem, amare sapientiam, amare veritatem, & amare ex toto corde; & ex tota anima, & ex tota mente virtutem, quæ inuiolabilis & inuicta est, sapientiam cui stultitia non succedit, veritatem quæ conuerti atque aliter quàm semper est sese habere non nouit. Per hanc ipse cernitur pater, dictum est enim: Ioan. 14. 6. *Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Huic hæremus per sanctificationem. Sanctificati enim plena & integra charitate flagramus, qua sola efficitur vt à Deo nō auertamur, eique potiús quā huic mundo conformemur. *Prædestinauit enim*, vt ait idem Apostolus, Rom. 8. 29. *conformes nos fieri imagini filij eius.* Fit ergo per charitatem vt conformemur Deo, & ex eo conformati atque configurati, & circumcisi, ab hoc mundo non confundamur, cum iis quæ nobis debent esse subiecta. Fit autem hoc per Spiritum sanctum. Rom. 5. 5. *Spes enim*, inquit, *non confundit, quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum sanctum, nisi & ipse semper integer & incommutabilis permaneret. Quod profectò non posset, nisi Dei naturæ esset ac ipsius substantiæ, cui soli [illegible] incommutabilitas, atque (vt ita dicam) inuertibilitas semper est: Rom. 8. 20 *Creatura enim*, neque hoc ego, sed idem Paulus clamat, *vanitati subiecta est.* Neque nos potest à vanitate separare, veritatique connectere quod subiectum est vanitati. * Et hoc nobis Spiritus sanctus præstat, creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.

* *Hic aliquid deesse videtur*, velut, & proinde Deus est, quia &c.

Cap. XIV. *Trinitati summo bono dilectione hæremus.*

DVM ergo diligere debemus trinam quandam vnitatem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi idipsum esse. Est enim verè summéque Deus, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Hæc verba Pauli Rom. 11. 36. sunt. Quid deinde subiicitur? *Ipsi gloria.* Sincerissimè omnino. Neque enim ait ipsis: nam vnus est Deus. Quid est autem, *ipsi gloria*, nisi ipsi optima & summa & latè patens fama? quantò enim meliùs atque diffusiùs diffamatur, tantò diligitur & amatur ardentiùs. Quod cùm fit, nihil aliud ab humano genere, quàm certo & constanti gradu in optimam vitam & beatissimam pergitur. Non arbitror cùm de moribus ac vita sit quæstio, ampliùs esse requirendum, quod sit hominis summū bonum, quò referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, & ratione quantum valuimus, & ea quæ nostræ rationi antecellit

auctoritate diuina, nihil aliud quàm ipsum Deum. Nam quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certè non valemus, nisi dilectione, amore, charitate.

Cap. xv. *Nihil aliud esse virtutē nisi summum amorē Dei: quod probat inductione per quatuor virtutes cardinales, quas per amorē Dei definiendas esse ostendit.*

QVOD si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virturem affirmauerim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum vtinam ita sit in mentibus vis, vt nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem: vt temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur: fortitudo amor, facilè tolerans omnia propter quod amatur: iustitia amor soli amaro seruiens, & propterea rectè dominans: prudentia amor, ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, id est * summi Boni, summæ Sapientiæ, summæque Concordiæ. Quare definire etiam sic licet, vt temperantiam dicamus esse amorem, Deo sese integrum incorruptumque seruantem: fortitudinem amorem, omnia propter Deum facilè perferentem: iustitiam amorem Deo tantùm seruientem, & ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subiecta sunt: prudentiam amorem, bene discernentem ea, quibus adiuuetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

* *His verbis Trinitatem, designat.*

Cap. xvi. *Quatuor virtutes asserit è Scripturis.*

HISDEM singulis virtutibus quinam viuendi modus ducatur, paucis explicabo, si priùs testimoniis Noui Testamenti quibus vtor iamdiu, de Veteri etiam paria, vt pollicitus sum, comparauero. Num enim Paulus tantùm dicit, Deo nos esse debere subiectos, ita vt in medio quod separet nihil sit? (1.Co.15.27. Rom. 8.35.) Nonne & Propheta commodissimè, hoc & breuissimè significat, cùm dicit, *Mihi autem adhærere Deo bonum est?* (Psal. 72.28.) Nonne quod ibi latissimè de charitate dictum est, hîc vno verbo continetur quod ait, *inhærere?* Item quod addidit, *bonum est,* nónne ad illud respicit, quod ibi positum est, *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum*: (Rom. 8. 28.) ita vt vna sententia duobúsque verbis Propheta & vim & fructum charitatis ostendat. Cúmque ibi dictum sit, Dei Filium *Dei virtutem esse atque sapientiam*; (1.Cor. 1. 24.) cúmque virtus ad operationem, sapientia verò ad disciplinam pertinere intelligatur: vnde in Euangelio duo

Ioan. 1. 3. ipsa signantur, cùm dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*: nam hoc operationis atque virtutis est. Deinde quod ad disciplinam veríque cognitionem attinet; *Et vita*, inquit, *erat lux hominum*: potuitne quicquam magis concinere his testimoniis noui Testamenti, quàm illud quod in Vetere dictum est de sapientia, *Attingit autem a fine vsque ad finem fortiter, & disponit*
Sap. 8. 1. *omnia suauiter?* Namque attingere fortiter, magis virtutem significat: disponere autem omnia suauiter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur obscurum, vide quæ sequuntur: *Et omnium*, inquit, *Dominus dilexit illam: doctrix est enim disciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Videtur hîc nihil adhuc de operatione dictum: nec enim hoc est eligere opera quod operari; ergo vt hæc ad disciplinam pertineant, opus virtuti debetur, vt sit plena quam volumus demonstrare sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est. *Quod si honesta est*, inquit, *possessio, quæ concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius, quæ omnia operatur?* Poteftne quicquam præclarius aut manifestius, aut verò etiam vberius proferri? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet: *Et sobrietatem*
Vide lib. *sapientia docet*, inquit, *& iustitiam & virtutem.* Sobrietas mihi
1. Retr. c. 7. ad ipsam cognitionem veri videtur pertinere, id est, ad disciplinam: iustitia verò & virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est agendi efficacia, & sobrietate contemplandi, quæ Dei virtus & Dei sapientia, id est Dei Filius, dilectoribus suis donat, quid comparandum sit nescio, cùm idem Propheta statim dicat quanti sint ista pendenda: nam ita positum est, *Sobrietatem enim sapientia docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Hæc fortasse quispiam non de filio Dei dicta esse arbitretur. Quid
Sap. 8. 3. ergo aliud ostendit quod dictum est, *Generositatem magnificat, contubernium habens Dei?* An verò generositas solet significare aliud quàm parentes? Contubernium verò nónne cum ipso
1. Cor. 1. 25. Patre æqualitatem clamat atque asserit? Deinde cùm Paulus dicat, Filium Dei esse *Dei sapientiam*; & ipse Dominus: *Ne-*
Mat. 11. 27. *mo nouit Patrem, nisi vnigenitus filius*: quid potuit à Propheta
Sap. 9. congruentius dici, quàm illud quod dictum est: *Et tecum sapientia quæ nouit opera tua, quæ adfuit tunc cùm orbem terrarum*
Ioan. 14. 6. *faceres, & sciebat quid placiturum esset oculis tuis?* Quòd autem
Hebr. 1. 3. Christus est veritas, quòd idem ostenditur cùm splendor Patris

tris nuncupatur, num est quicquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit? Quid ergo potuit apertius & clarius ex vetere Testamento huic sententiæ consonare, quàm illud quod dictum est: *Et veritas tua in circuitu tuo?* Postremò Psal. 88.
dicit ipsa Sapientia in Euangelio: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Dicit per Prophetam: *Sensum tuum ergo quis scit, nisi tu dederis sapientiam?* Et paulò pòst: *Et quæ tibi placent, didicerunt homines, & per sapientiam sanati sunt.* Dicit Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Dicit Propheta: *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum.* Vbi enim dolus, charitas nulla est. Dicit Paulus: *Conformes fieri nos imaginis Filij Dei.* Dicit Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ostendit Paulus, Deum esse Spiritum sanctum, & ideò non esse creaturam. Dicit Propheta: *Et misisti Spiritum sanctum de altissimis.* Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus, Trinitatem istam vnum Deum esse, cùm dicit: *Ipsi gloria.* Dicitur in veteri Testamento: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.*

Ioan. 14. 6. Sap. 9. 18. Rom. 5. 5. Sap. 1. 5. Rom. 8. 29. Psalm. 4. 7. Sap. 9. 17. Rom. 11. 36. Deut. 6. 4.

QVID vultis amplius? quid impetitè atque impiè sævitis? quid indoctas animas noxia suasione peruertitis? Vtriusque Testamenti Deus vnus est. Nam vt ista sibi congruunt, quæ de vtroque posuimus, ita etiam cætera, si diligenter & æquo iudicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur submissis, & humi repentibus animis, vt accommodatiùs per humana in diuina consurgant, multa etiam figuratè vt studiosa mens, & quæsitis exerceatur vtiliùs, & vberiùs lætetur inuentis, vos mirifica dispositione Spiritus sancti, ad decipiendos vestros auditores, ad illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur diuina prouidentia vos facere sinat, quámque verissimè Apostolus dixerit: *Oportet multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter nos,* & longum est disputare, & quod dicendum est vobis. Non est vestrum ista intelligere. Non parum mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes & corporeorum simulachrorum pestifero pastu morbidas ad diuina iudicanda defertis, quæ multo altiora sunt quàm putatis: quare vobiscum modò non sic agendum est, vt ea iam intelligatis, quod fieri non potest, sed vt intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex & pura charitas Dei, quæ maximè

Cap. XVII. Apostrophe ad Manichæos vt resipiscant. 1. Cor. 11. 19. Charitas

Cc

facit vt diuina intelligere possimus. spectatur in moribus, de qua multa iam diximus: quæ inspirata Spiritu sancto perducit ad Filium, id est, ad sapientiam Dei, per quam Pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inueniri nullo pacto potest. At si ita quæratur, vt dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait IESVS:

Matt. 7. 7. Mat. 10. 26. *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Nihil est occultum, quod non reuelabitur.* Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore reuelatur, amore denique in eo quod reuelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sapientiæ diligentiáque quærendi, non deterremur veteri Testamento, quod semper mendacissimè dicitis, sed ad hæc vehementissimè concitamur. Audite itaque aliquando, & aduertite quæso sine pertinacia quid per Prophetam dicatur:

Sap. 6. 13. *Clara est, inquit, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab ijs qui diligunt illam, & inuenitur ab ijs qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se ostendat. Qui vigilauerit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam inueniet foribus suis. Cogitare enim de illa, sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, citò erit securus: quia dignos seipsa circuit quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & omni prouidentia occurrit illis. Initium enim illis verissimum, disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custoditio legum illius est. Custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis est, incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum.* Itáne tandem adhuc aduersus ista latrabitis? Nónne ita posita & nondum intellecta, cuius significant altum se quiddam, & ineffabile continere? O vtinam possetis intelligere quæ dicta sunt, Confestim abiiceretis omnes ineptias fabellarum, & vanissimas imaginationes corporum, totósque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide, sanctissimo Ecclesiæ Catholicæ gremio conderetis.

Cap. XVIII. *In catholica sola perfecta veritas ex vtriusque Testamenti consensu.* POTERAM pro mea mediocritate discutere singula, & eruere ac demonstrare quæ accepi, in quorum excellentia & altitudine plerunque verba deficiunt: sed quandiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est: *Nolite sanctum dare canibus.* Ne succenseatis. Et ego latraui & canis

fui, quando mecum iure non docendi cibo, sed refellendi fustibus agebatur. Si autem in vobis esset charitas, de qua nunc agitur, vel etiam si fuerit aliquando, quantam cognoscendæ veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus qui ostendat vobis: neque apud Manichæos esse Christianam fidem, quæ ad summum apicem sapientiæ veritatísque perducit, qua perfrui, nihil est aliud nisi beatè viuere; neque esse vspiam, nisi in Catholica disciplina. Quid enim aliud videtur Apostolus Paulus optare, cùm dicit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *à quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundùm diuitias gloriæ suæ fortitudinem, corroborari per spiritum in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris: vt in charitate radicati & fundati, poßitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit altitudo, & longitudo, & latitudo, & profundum; cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis * Christi, vt impleamini in omni plenitudine * Dei?* Potéstne quicquam dici manifestius? Obsecro vigilate paululùm, videte Testamenti vtriusque concordiam, qui sit in moribus vitæ modus, & quò sint referenda omnia, satis aperiente & docente amore DEI. Concitant Euangelia, cùm dicitur, *Petite, quærite, pulsate.* Concitat Paulus dicendo: *Vt in charitate radicati & fundati, poßitis comprehendere.* Concitat etiam Propheta, cùm dicit, facilè sapientiam ab iis qui eam diligunt, quærunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci. Salus animi & via beatitudinis vtrarumque Scripturarum pace monstrantur, & vos latrare potiùs aduersus hæc, quàm his obtemperare diligitis. Breui dicam quod sentio: Audite doctos Ecclesiæ Catholicæ viros tanta pace animi, & eo voto quo vos * ego audiui, nihil opus erit nouem annis quibus me ludificastis. Longè omnino, longè breuiore tempore, quid intersit inter veritatem vanitatémque cernetis.

Matth. 7. 6.
Eph. 3. 14.
* al. scientiæ charitatem.
* al. omnem plenitudinem.
Matth 7. 7.
Eph. 3. 17.
* al. eos.
Augustinus nouē annis Manichæus, vide l. 4. Conf. c. 1.

Ca. XIX.
Temperantiam probat ex sacris literis.

SED tempus est ad illas virtutes quatuor reuerti, & ex his singulis eruere ac ducere viuendi modum. Itaque priùs temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur DEO, integritatem quandam & incorruptionem pollicetur. Munus enim eius est in coërcendis sedandísque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos auertunt à legibus DEI, & à fructu bonitatis eius, quod est (vt breui explicem)

al.* sedes. Vide Aug l. 3 de l b arb. cap. 17. beata vita. Ibi enim est fides veri * , cuius contemplatione perfruentes, eique penitus adhærentes, proculdubio beati sumus: inde autem decidentes, magnis erroribus doloribúsque implicamur. 1.Tim.6.10. Namque, vt ait Apostolus, *radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Quod peccatum animæ in veteri Testamento satis apertè bene intelligentibus in ipsius 1.Co. 15.22. hominis, qui erat in paradiso, præuaricatione signatur. *In Adam* quippe *omnes morimur*, vt ait idem, *& in Christo omnes resurgemus.* O alta mysteria. Sed reprimam me. Non enim modò suscepi docere vos recta, sed dedocere praua, si potero, id est si Deus annuerit proposito in vos meo. Dicit ergo Paulus, radicem omnium malorum esse cupiditatem per quam Col.3.9. etiam lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus, *vt exuamus nos veterem hominem, & induamus nouum.* Vult autem intelligi, Adam qui peccauit, veterem hominem: illum autem quem suscepit in Sacramento Dei Fi- 1.Co.15.47. lius, ad nos liberandos nouum. Dicit namque alio loco: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: qualis cælestis, tales & cælestes. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis:* hoc est, *exuite veterem, & induite nouum.* Omne igitur officium temperantiæ, est exuere veterem hominem, & in Deo renouari: id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudémque popularem, totúmque amorem ad inuisibilia, & diuina conferre. 2.Cor.4.16. Vnde illud sequitur quod mirificè dictum est: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.* Audi Psal. 50.12. & Prophetam canentem: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Quid contra istam conuenientiam dici, nisi à cæcis latratoribus potest?

Cap. XX. Temperantia iubet vt solum Deum amemus, & sensibilia contemnamus. ILLECEBRÆ autem corporis sitæ sunt in his omnibus, quæ corporeus sensus attingit, quæ à nonnullis etiam sensibilia nominantur: in quibus maximè lux ista visibilis excellit, quia & in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus vtitur, nihil est oculis præferendum: & ideò in Scripturis sanctis, visibilium nomine sensibilia cuncta significantur. Itaque in nouo Testamento sic ab istorum amore prohibemur: 2.Cor.4.18. *Non respicientes*, inquit, *ea quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna. Ex quo intelligi potest, quòd Christiani non sint qui Solem & Lunam non modò diligendos, sed etiam colendos putant. quid enim videmus, si Solem & Lunam non videmus? Vetiti autem sumus conuerti ad ea quæ videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei, qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus, quo de istis diligentiùs requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere institui, per quam meremur scire quod credimus. Amandus igitur solus Deus est, omnis verò iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda, vtendum autem his ad huius vitæ necessitatem.

GLORIA verò popularis sic in nouo Testamento abiicitur atque contemnitur. *Si hominibus,* inquit Apostolus, *placere vellem, Christi seruus non essem.* Est item aliud quod de corporibus per imagines quasdam concipit anima, & eam vocat rerum scientiam. Quamobrem rectè etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est: *Cauete ne quis vos seducat per Philosophiam.* Et quia ipsum nomen Philosophiæ si consideretur, rem magnam totóque animo appetendam significat. Siquidem Philosophia est amor studiúmque sapientiæ, cautissimè Apostolus ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subiecit: *Et elementa huius mundi.* Sunt enim qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta maiestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè intentissiméque perquirant. Vnde tanta etiam superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab huiusmodi vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo seruare disposuit. Tali enim amore plerunque decipitur, vt aut nihil putet esse, nisi corpus : aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, & tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quòd præcipitur cauendum esse à simulachris. Huic ergo auctoritati noui Testamenti, qua iubemur nihil mundi huius diligere, illa maximè sententia qua dictum est : *Nolite conformari huic mundo:*

Cap. XXI.
Gloria popularis & curiositas sacris literis damnata.
Gal. 1. 10.
Col. 2. 8.
1. Ioã. 2. 15.
Rom. 12. 2.

ſimul enim demonſtrandum eſt ei rei quemque conformari quam diligit. Huic ergo auctoritati ſi de veteri Teſtamento quæram quid comparem, plura quidem inuenio, ſed vnus Salomonis liber, Eccleſiaſtes qui dicitur, copioſiſſimè in ſummum contemptum omnia iſta perducit. Incipit enim ſic: *Vanitas vanitantium* *, *dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitantium, & omnia vanitas: quæ abundantia homini in omni labore ſuo quem ipſe laborat ſub ſole?* Hæc verba omnia ſi attendantur, ſi perpendantur, ſi diſcutiantur, multa inueniuntur pernecessaria iis qui hunc mundum fugere, & refugere in Deum deſiderant. Sed longum eſt, & aliò feſtinat oratio. Tali tamen principio conſtituto, exequitur omnia, vanitantes eſſe eos qui rebus huiuſmodi falluntur. Idipſum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quòd Deus iſta non creauerit, ſed quia ſubiicere ſe homines volunt iis rebus per peccata, quæ illis per rectè facta diuina lege ſubiectæ ſunt. Quid eſt enim aliud, falſis bonis illudi atque decipi, quàm teipſo inferiora miranda, & appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in huiuſcemodi rebus mortalibus & fluentibus, vitæ regulam vtroque Teſtamento firmatam: vt eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitę huius atque officiorum neceſſitatem quantum ſatis eſt, vſurpet, vtentis modeſtia, non amantis affectu. Hæc dicta ſint de temperantia pro rerum magnitudine breuiter, pro inſtituto tamen opere fortaſſe copioſiùs quàm oportebat.

*Videl. 1. Retr. c. 7.

Vita Regula vtroque Teſtamento firmata.

[1] Cap. XXII. *Fortitudiné præſtat amor Dei.*

De fortitudine verò non multa dicenda ſunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota ſanctitate inflammatum eſſe oportet in Deum, in non appetendis iſtis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita poſſidentur, corpus homini grauiſſimum vinculum eſt, iuſtiſſimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris & doloris: ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi conſuetudinis, non intelligens, ſi eo bene atque ſcienter vtatur, reſurrectionem reformationémque eius ope ac lege diuina ſine vlla moleſtia iuri ſuo ſubditam fore: ſed cùm ſe hoc amore tota in Deum conuerterit, his cognitis mortem non modò contemnet, verùm

etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio. Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quò cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera, & admiranda volitabit pennis pulcherrimis & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores fœminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores, cùm ille non amor, sed congruentiùs cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur indefesso * cursu per immania quæque tendentis, argumentóque nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi vt deserant, perferunt. *al. deflexo.

QVID ergo hic noui Testamenti auctoritates colligam, vbi dictum est: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem:* & non solùm dictum, sed etiam exemplis eorum, qui dixerunt probatum atque firmatum: de veteri potiùs Testamento, in quod illi rabidè sæuiunt, excitabo exemplum patientiæ. Neque illum commemorabo virum, à quo in magnis cruciatibus corporis & horribili tabe membrorum, non modò sustinentur humana, sed diuina etiam disputantur. In cuius singulis vocibus satis elucet, si quis æquo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quæ cùm volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potiùs per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium serui fiunt, dum imperitè domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes diuitias, & factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit, & infixum Deo, vt satis demonstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum. Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in nouo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, vt perfecti esse possemus. Multò enim mirabilius est, non inhærere istis quamuis possideas, quàm omnino ea non possidere. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet inuictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturæ illæ stupendæ fortitudinis fœminam; & ad eam iam me transire compellunt. Quæ cum septem liberis tyranno atque carnifici priùs viscera omnia, quàm vnum

Cap. XXIII. *Fortitudinis monita & exempla ex Scripturis.*

Rom. 5. 3. 4

Iob. 1. 14.

2. Mac. 7.

verbum sacrilegum impendit: cùm eius hortatione filij roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre præceperat. Quid ad tantam patientiam quæso addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, & tyranno, & carnifici, & dolori, & corpori, & sexui, & affectui resistebat? An
Psal.115.15. non audierat: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum*
Prou.16.32. *eius?* Non audierat: *Melior vir patiens fortissimo?* Non au-
Eccl.2.4. dierat: *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore*
sustine, & in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne
Eccl.27.6. *probatur aurum & argentum?* Non audierat: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis?* Imò verò & hæc, & alia plura perceperat, quæ vno sancto Dei Spiritu, vt in istis noui Testamenti, sic in illis qui soli adhuc erant libris diuina præcepta fortitudinis conscripta sunt.

Cap. XXIV. *De iustitia & prudentia.* QVID de iustitia quæ ad Deum pertinet? Nonne cùm & Dominus dicat: *Non potestis duobus dominis seruire*: & Apo-
Matt.6.24. stolus redarguat eos, *qui creaturæ potiùs quàm creatori seruiunt,*
Rom.1.25. in veteri Testamento priùs dictum est: *Dominum Deum tuum*
Deut.6.13. *adorabis, & illi soli seruies?* Sed quid opus est hinc plura dicere, cùm sententiis talibus ibi plena sint omnia? Hanc ergo iustitia vitæ regulam dabit huic amatori, de quo sermo est: vt Deo quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci libentissimè seruiat: cæteráque omnia partim subiecta sibi regat, partim subiicienda præsumat. Quæ norma viuendi, vt docuimus, vtriusque Testamenti auctoritate ro-
Prudentia. boratur. Nec de prudentia diutiùs differendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum & vitandorum. quæ si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Huius autem excubiæ atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur: vnde sæpe Dominus, *Vigilate*, clamat: &, *Ambulate*, inquit, *dum lumen habe-*
Mat.24.42. Ioan.12.35. *tis, ne vos tenebræ comprehendant.* Itémque dicitur: *Nescitis*
1.Cor.5.6. *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit vt non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod à Pro-
Eccl.19.1. pheta dictum est: *Qui spernit modica, paulatim decidet?* De

quâ

qua ſententia, ſi opportunum eſſet feſtinantibus, copioſiſſimè diſputarem : atque id ſi à nobis nunc ſuſceptum munus flagitaret, fortaſſe demonſtraremus, quàm ſint alta myſteria, quæ imperitiſſimi & ſacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim iam decidunt, ſed magno lapſu præcipites eunt.

Cap. xxv. Officia quatuor virtutũ ex Scripturis, ad hoc vnum tenaunt, vt Deum amemus ex toto corde.

QVID ampliùs de moribus diſputem? Si enim Deus eſt ſummum hominis bonum, quod negare non poteſtis, ſequitur profectò, quoniam ſummum bonum appetere, eſt bene viuere: vt nihil ſit aliud bene viuere, quàm *totò corde, tota anima, tota mente Deum diligere*: à quo exiſtit, vt incorruptus in eo amor atque integer cuſtodiatur, quod eſt temperantiæ: & nullis frangatur incommodis, quod eſt fortitudinis: nulli alij ſeruiat, quod eſt iuſtitiæ: vigilet in diſcernendis rebus, ne fallacia paulatim dolúſque ſubrepat, quod eſt prudentiæ. Hæc eſt hominis vna perfectio, qua ſola impetrat vt veritatis ſinceritate perfruatur: hæc nobis Teſtamento vtroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde ſuadetur. Quid adhuc Scripturas quas ignoratis calumniamini? Neſcitis quanta imperitia laceſſatis libros: quos & ſoli reprehendunt, qui non intelligunt: & ſoli intelligere nequeunt, qui reprehendunt? Non enim eos aut vllus inimicus cognoſcere ſinitur, aut eſſe niſi amicus cognitis poteſt. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternam peruenire propoſuimus. Vita enim æterna eſt totum præmium, cuius promiſſione gaudemus: nec præmium poteſt præcedere merita, & priùs homini dari quàm dignus eſt. Quid enim hoc iniuſtius, & quid iuſtius Deo? Non ergo debemus poſcere præmium antequam mereamur accipere. *Meritum.* Hic fortaſſe non incongruè quæritur, æterna ipſa vita quid ſit. Sed eius largitorem potiùs audiamus: *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti* IESVM CHRISTVM. *Ioan. 17. 3.* Æterna igitur vita eſt ipſa cognitio veritatis. Quamobrem videte quam ſint peruerſi atque præpoſteri, qui ſeſe arbitrantur Dei cognitionem tradere, vt perfecti ſimus, cùm perfectorum ipſa ſit præmium. Quid ergo agendum eſt? quid quæſo, niſi vt eum ipſum quem cognoſcere volumus, priùs plena charitate diligamus? Vnde illud exoritur, quod ab

Dd

initio satis egimus, nihil in Ecclesia Catholica salubrius fieri, quàm vt rationem præcedat auctoritas.

Cap. xxvi. Dilectio sui & proximi.

SED cætera videamus, videtur enim de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum: sed parum dilucidè qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest, vt seipsum qui Deum diligit, non diligat: imò verò solus se nouit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille se satis diligit, qui sedulò agit, vt summo & vero perfruatur bono: quòd si nihil est aliud quàm Deus, sicut ea quæ dicta sunt docuerunt, quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei? quid inter ipsos homines, nullumne esse amoris vinculum debet? Imò verò ita debet, vt nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quàm hominis erga hominem charitas. Promat nobis ergo alterum præceptum Dominus, de vitæ præceptis interrogatus: non enim contentus fuit vno, qui sciret aliud Deum esse, aliud hominem: atque interesse tantum, quantum inter eum qui creauit, & id quod ad creatoris similitudinem creatum est. Dicit ergo secundum præceptum

Mat. 22.39.

esse: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est: hoc est, vt ipse etiam

Non diligit proximum, nisi qui illũ ad Deum adducere satagit.

perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis. Illud est enim vnum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem in primis est, vt beneuoli simus, id est, vt nulla malitia, nullo dolo malo aduersus hominem vtamur. Quid enim homini homine propinquius? Accipite etiam

Rom. 13. 10.

quid Paulus dicat: *Dilectio*, inquit, *proximi, malum non operatur.* Breuissimis vtor testimoniis, sed (nisi fallor) idoneis, & quibus susceptæ rei satis fiat: nam quis ignorat quàm multa, & quanti ponderis verba in illis libris de charitate proximi vsquequaque diffusa sint? Sed cùm duobus modis peccetur in homine, vno si lædatur, alio si cùm potest non adiuuetur: eáque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum qui diligit, facit: satis opinor quod volumus demonstrat ista sententia, Dilectio proximi malum non opera-

cur. Etsi ad bona peruenire non possumus, nisi mala operari desliterimus, ista sunt quasi cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum: vt quoniam dilectio proximi malum non operatur, hinc ad illud ascendamus quod dictum est: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.* Rom. 8.28.
Sed nescio quomodò aut pariter ista in plenitudinem perfectionémque consurgunt, aut inchoatur priùs Dei amor, & priùs perficitur proximi. Ad incipiendum enim citiùs nos fortasse in se diuina charitas rapit, sed faciliùs minora perficimus. Quoquomodo autem res se habeat, illud maximè tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo ad beatitudinem & ad Deum quem diligit esse venturum. Atque vtinam vt facile est bene instituto & benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo vti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror difficillima, tentabimus dicere pro suscepto opere pauca quædam, spem totam constituentes in eo, cuius solius ista dona sunt.

HOMO igitur vt homini apparet, anima rationalis est, mortali atque terreno vtens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit, qui hominem diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est: ad animam autem disciplina. Sed medicinam nunc voco, quicquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantùm quæ ars eorum exhibet, qui propriè medici nominantur: sed etiam cibus & potus, tegmen & tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus aduersus etiam externos ictus casúsque seruatur: nam & fames & sitis & frigus & æstus, & quicquid extrinsecus grauiter infligitur, salutem de qua nunc agitur manere non sinunt. Quare illa omnia, quibus huiuscemodi malis incommodísve resistitur, qui officiosè atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes * vsq; adeò sint, vt iam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cùm subuenit inopi,

Cap. XXVII. *Beneficentia in proximũ partes duæ.*

* 1. Retr. c. 7.

cùm esurienti cibum præstat, potúmque sitienti, cùm vestit nudum, cùm peregrinum tecto recipit, cùm oppressum liberat, cùm denique humanitatem suam vsque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cùm absit miseria. Stulti verò, cùm misericordiam quasi vitium deuitant, quia officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commouentur, congelascunt potiùs rigore inhumanitatis, quàm rationis tranquillitate serenantur. Itaque multò prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur: qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis qui sese idoneos religione studióque præstiterint: ne cùm verbis doctorum ineptè vtimur, indoctorum animas priùs durescere vitando misericordiam, quàm benignitatem appetendo mitescere faciamus: atque vt misericordia iubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

Stoici.

Cap. xxviii Beneficentia in animam proximi.

QVOD autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus ipsa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque vt in corpore dicebamus, aliud esse morbos & vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt, aliud autem famem sitímque sopire, & cætera in quibus subuenire hominem homini vulgò passímque conceditur: sic in animo sunt quædam in quibus excellentia illa, & rara magisteria non admodum desiderantur: vt cùm hortamur & monemus, vt hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cùm enim hæc facimus, ope corpori: cùm autem docemus vt fiant, disciplina animo subuenimus. Sunt verò alia, quibus multi modi variique morbi animorum magna quadam, & prorsus ineffabili ratione sanantur: quæ medicina nisi diuinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressione peccantibus: quanquam & illa corporis, si altiùs rerum originem repetas, non inuenitur vnde ad homines manare potuerit, nisi à Deo, cui rerum omnium status salusque tribuenda est.

Hæc tamen disciplina, de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum in Scripturis ipsis diuinis colligi licet, in

duo distribuitur, coërcitionem & instructionem. Coërcitio timore, instructio verò amore perficitur, eius dico cui per disciplinam subuenitur: nam qui subuenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cuius bonitate atque clementia fit omnino vt aliquid simus, duobus Testamentis vetere & nouo disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim vtrumque in vtroque sit, præualet tamen in vetere timor, amor in nouo: quia ibi seruitus, hîc libertas ab Apostolis prædicatur. De quorum testamentorum admirabili quodam ordine diuinóque concentu, longissimum est dicere, & multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, vt pro merito quantum ab homine potest explicari & prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest vt sanus corpore sanúsque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, vt primò timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa prouenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis. Atque in his duobus conuenit cum Manichæis, id est, vt Deum & proximum diligamus: sed hoc in veteri Testamento negant contineri: in quo quantum errent, satis (vt opinor) apparet ex iis quas superiùs protulimus de vtroque sententiis. Veruntamen vt breue aliquid dicam, sed tale cui resistere sit mera dementia: nonne animaduertunt hæc ipsa duo, quæ laudare coguntur, quàm importunissimè à Domino in Euangelio de vetere Testamento esse prolata negent, vbi scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, vel illud alterum: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum?* Aut si hæc negare non audent, premuntur enim luce veritatis: illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri: negent si possunt, & dicant, non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi: neque *diligentibus Deum omnia procedere in bonum*, neque *dilectionem proximi malum non operari*, quibus duobus saluberrimè atque optimè humana vita disponitur. Quæ si dicunt, non solùm illis cum Christianis, sed ne cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent, cogunturque confiteri esse diuina, quid eos libros vnde ista prolata

Coërcitio. Instructio.

Testamentū vetus & nouum.

Per bonos mores prouenit agnitio veritatis.

Deut. 6. 5. Mat. 22. 37. Leuit. 19. 18.

Rom. 8. 28. Rom. 13. 10.

sunt impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt? An illi dicturi sunt, non esse consequens, vt omnia ibi bona sint, vbi hæc inuenire potuimus? Nam hoc solent dicere. Cui ego tergiuersationi quid respondeam, & quemadmodum occurram, non facilè video. Discutiámne verba singula veteris Testamenti, vt in his summam cum Euangelio esse concordiam peruicacibus indoctísque demonstrem? Sed quando istud erit? Quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deserámne causam, & eos in sententia quamuis improba & falsa, tamen difficili ad dissoluendum delitescere sinam? Non faciam: aderit de proximo Deus ipse, cuius illa præcepta sunt; nec me in tantis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

Cap. xxix. De Scripturarum auctoritate.

QVAMOBREM adestote animis Manichæi, si qui fortè illa superstitione ita tenemini, vt euadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistendi: nam aliter vobis perniciosissimum est iudicare. Certè enim nemini dubium est, nec auersi vos ita estis à vero, vt non intelligatis, si diligere Deum & proximum, bonum est, quod negare nemo potest, quicquid in his duobus præceptis pendet, vituperari iure non posse. Quid ergo in iis pendeat, ridiculum est si à me quærendum esse putas: ipsum Christum audi, audi

Matt. 22. 40. (inquam) Christum, audi Dei sapientiam. *In his*, inquit, *duobus præceptis tota lex pendet, & omnes Prophetæ.* Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse? At in Euangelio verba eius ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? Quid audacius? Quid sceleratius? Simulachrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc aduersus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium literarum summa peruersio, & omnium qui memoriæ mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum & temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, vt ne historiæ quidem vulgaris fidem possit grauitatémque obtinere. Postremò quid de Scripturis vllis proferre poteris, vbi mihi vti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionémque pro-

feratur? Illud verò quis ferre possit, quod nos notissimis ac iam in manibus omnium libris constitutis credere vetant, & iis quæ ipsi proferunt, imperant vt credamus?

Si de Scriptura dubitandum est, de qua magis quàm quæ diffamari non meruit, quæ verè potuit sub nomine alio tota mentiri? At si istam obdis inuito, & auctoritatis exaggeratione cogis in fidem: egóne de illa, quam constanter latissimè diuulgatam video, & Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione firmatam, dubitabo miser: & quod est miserius, te auctore dubitabo, cùm si exemplaria proferres, altera tenere non deberem, nisi ea quæ plurium consensione commendarentur? Nunc verò nihil te proferente quod conferas: præter inanissimam vocem temeritatísque plenissimam, putabis vsque adeò genus humanum esse peruersum & diuinæ prouidentiæ ope desertum, vt illis Scripturis, non à te prolatas alias quibus redarguantur, sed tua tantùm verba præponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed tamen incorruptus & verior, vbi sola desint ea quæ hîc immissa esse criminaris. Vt si, verbi causa, Pauli Epistolam, quæ ad Romanos scripta est, corruptam esse contẽdis, aliam proferas incorruptam, vel alium codicem potiùs, in quo eiusdem Apostoli eadem Epistola sincera, & incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credar. Hoc enim soletis dicere, & verum dicitis: nihil prorsus aliud suspicabuntur, vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse quid de auctoritate tua iudicaueris: & intellige vtrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici ob hoc solùm quòd abs te profertur, magnæ temeritatis est credere.

SED quid hinc plura? Quis enim non videat eos qui contra Scripturas Christianas hæc audent dicere, vt illud non sint quod homines suspicantur, certè tamen non esse Christianos? Nam Christianis hæc data est forma viuendi, vt *diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: deinde proximum nostrum tanquam nosmetipsos, in his enim duobus præceptis tota lex pendet, & omnes Prophetæ.* Meritò Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima, non solùm ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicas, nullam nobis adorandam

Cap. XXX. *Apostrophe ad Ecclesiã totius sapientiæ magistram.* Deut. 6. 5. Mat 22. 37. *Doctrina Catholica Ecclesiæ.*

creaturam inducens, cui seruire iubeamur: & ab illa incorrupta & inuiolabili æternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori, neque confundens, quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod maiestas vna coniungit: sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, vt variorum morborum quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenes, quietè senes, prout cuiusque non corporis tantùm, sed & animi ætas est, exerces ac doces. Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris societatem casta & fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam seruitute subiungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quàm sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis necessitudinem, seruatis naturæ voluntatisq; nexibus mutua charitate constringis. Tu dominis seruos non tam conditionis necessitate, quàm officij delectatione doces adhærere. Tu dominos seruis summi Dei scilicet communis Domini consideratione placabiles, & ad consulendum quàm coërcendum propensiores facis. Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione, non societate tantùm, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces Reges prospicere populis, mones populos se subdere Regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reuerentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium sedulò doces: ostendens quemadmodum & non omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debeatur iniuria.

Vide lib. 1. Retr. c. 7. Iam verò cùm hæc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutriuerit & roborauerit animum, sequendo Deo factum idoneum: vbi eius maiestas ex tanta parte quanta homini, dum terræ huius inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit,

petit, tantus charitatis ardor innascitur, & tantum diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitiis, & homine purgato atque sanctificato, satis appareat quàm diuinè dictum sit: *Ego sum ignis consumens*: &, *Ignem veni mittere in mundum*. Quæ duæ voces vnius Dei in duobus Testamentis signatæ, sanctificationem animæ concordi attestatione declarant, vt fiat aliquando illud quod item in Nouam Scripturam de Veteri assumptum est: *Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua?* Quod vnum isti hæretici intelligere si valerent, nusquam profectò Deum nisi apud te atque in tuo gremio, minimè superbi & bene pacati venerarentur. Meritò apud te diuina præcepta latè diffuséque seruantur. Meritò apud te bene intelligitur, quàm sit grauius cognita, quàm incognita lege peccare. Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex, qua grauiùs feriat & interimat contempti præcepti conscientia. Meritò apud te visum est, quàm sit sub lege operatio vana, cùm libido animum vastat, & cohibetur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur. Meritò tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi vsque adeò Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia atque mundi huius incredibili contemptu etiam solitudo delectet.

Deut. 4. 24. Heb. 12. 29. Lucæ 12. 49. 1. Cor. 15. 55.

QVID est, quæso, quod vident, qui non possunt hominem non diligere, & tamen possunt hominem non videre? Profectò illud quicquid est, præstantius est rebus humanis, cuius contemplatione potest homo sine homine viuere. Iam enim accipite Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singularem: ne vos impudenter iactare apud animos imperitorum quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbẽ in dies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere. Nihil de iis dicam quos paulò antè commemoraui, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum af-

Cap. XXXI. *Manichæorum continentia opponit Anachoretarum & cœnobitarum vitam.* *Anachoretæ.*

fertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum & superuacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter iactant, intantum processisse temperantiam & continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videatur. Vsque adeò supra homines illorum animos euasisse, ab iis etiam quibus id displicet, iudicatur.

Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi huius *Cœnobita.* illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimámque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem simul tradunt eis quos Decanos vocant, eo quòd sint denis præpositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ (vt adsolet) valetudini. Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, & præsto facientes quicquid illa vita propter ** Forte rationem* imbecillitatem corporis postulat, traditionem * tamen etiam ipsi reddunt vni, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, ma-

gna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt ad audiendum illum Patrem, & conueniunt ad singulos Patres terna, vt minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub vno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu, vel fletu, sed modesto & clamore vacuo gaudium * significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est, coërcente vnoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa quæ præsto sunt parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tantò concitatiùs ventris & gutturis prouocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpitérque defendi. Sanè quicquid necessario victui redundat (nam redundat plurimùm ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, vt hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, vt non apud se remaneat quod abundauerit, vsque adeò vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

** Redũdare videtur vox ista gaudiũ.*

Monastica paupertas.

Hæc est etiam vita fœminarum Deo sollicitè castéque seruientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate iunguntur & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum & probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestésque ipsas fratribus tradunt, ab iis inuicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per seipsum tantummodò, expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. Hæc Mani-

Sanctimoniales.

chæi reprehendite, si potestis. Nolite cæcis hominibus & discernere inualidis ostentare nostra zizania.

Cap. xxxii. Clericorum laus.

NEQVE tamen ita sese angustæ habent Ecclesiæ Catholicæ mores optimi, vt eorum tantùm vitas quos commemoraui arbitter esse laudandas. Quàm enim multos Episcopos optimos viros, sanctissimósque cognoui, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & huiusmodi ministros diuinorum Sacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore seruare. Non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis vt curentur, & priùs toleranda quàm sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum atque tranquillum. Quippe, vt breuiter explicem, hi agunt vbi viuere discitur, illi vbi viuitur.

Cap. xxxiii. Aliud genus in ciuitate simul uiuentium.

NEC ideo tamen laudabile Christianorum genus contempserim, eorum scilicet qui in ciuitatibus degunt, à vulgari vita remotissimi. Vidi ego diuersorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate atque prudentia & diuina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana charitate, sanctitate & libertate viuentibus: ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaque vsitatissimum, sed continuum triduum vel ampliùs sæpissimè sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis: quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ grauissimæ probatissimæque non tantùm in instituendis componendísque moribus, sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ. Atque inter hæc nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, quod in eis se imitandis fa-

Ieiunia triduana.

tetur inualidum : meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas : meminerunt, *Omnia munda mundis* : & , *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit.* Itaque non reiiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis industria. Meminerunt : *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & illas destruet.* Et alibi: *Neque si manducauerimus, abundabimus : neque si non manducauerimus, egebimus.* Et illud præ cæteris : *Bonum est fratres non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur.* Hic enim ostendit quàm sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. *Alius enim credit manducare omnia, qui autem infirmus est, olus* (inquit) *manducet : qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet : Deus enim illum assumit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum ? Suo Domino stat aut cadit : stabit autem, potens est enim Deus statuere eum.* Et paulò pòst : *Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo : & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.* Et item in consequentibus : *Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo ampliùs iudicemus inuicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & confido in Domino* IESV, *quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.*

Tit. 1.15.
Mat. 15.11.
1. Cor. 6.13.
1. Cor. 8.8.
Rom. 14.21.

Potuítne magis ostendere non in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quandam, quæ ad eum valeat maculandum: & propterea iis etiam, qui ad hæc contemnenda sunt idonei, certóque sciunt non se pollui, si quid ciborum sine turpi cupiditate altitudine mentis assumpserint, charitatem tamen esse intuendam : vide quid sequatur : nam si propter escam frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas. Lege cætera, nam longum est omnia interponere, & inuenies præceptum iis, qui possunt ista contemnere, id est, firmioribus & securioribus : ideò tamen esse temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate huiusceemodi opus est temperantia.

Hæc illi de quibus agebam norunt & tenent : Christiani sunt enim, non hæretici : intelligunt Scripturas secundùm Apostolicam disciplinam, non secundùm superbum & com-

* Sic enim incipiebat Epist. quam fundamenti appellabat: Manichæus Apostolus Iesu Christi, &c. mentitium nomen Apostolatus *: vbi *non manducantem nemo spernit, manducantem nemo iudicat: qui infirmus est, olus manducat.* Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt: multis non est causa ista faciendi, sed quòd viliore victu viuere placet, miniméque sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillissimam ducere. *Omnia enim mihi licita sunt*, inquit,
1. Cor. 6. 12. *sed ego non redigar sub potestate vllius.* Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiosè putant. Itaque iidem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine vlla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur: nam & quibusdam languidioribus, & prorsus omnibus qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissimè ac modestissimè præberi faciunt. Et stultè nonnullos recusantes, fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores citiùs quàm sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum discipulo
1 Tim. 5. 23. præcipientem, *vt aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas.* Ita pietatem sedulò exercent: *corporis verò exer-*
1. Tim. 4. 8. *citationem*, vt ait idem Apostolus, *ad exiguum tempus pertinere nouerunt.* Continent se igitur ij qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, & à carnibus & à vino duas ob causas: vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Charitas præcipuè custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coitur in vnam conspiratúrque charitatem: hanc violare tanquam Deum nefas ducitur: huic si quis resistit, expugnatur atque eiicitur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse à Christo & Apostolis, vt si hæc vna absit, inania: si hæc adsit, plena sint omnia.

Cap. XXXIV. Ex malorũ Christianorũ moribus non vituperandam Ecclesiam.

ISTIS Manichæi si potestis obsistite, istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, & cum contumelia nominare: istorum ieiuniis vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte. Iam videbitis quid inter ostentationem & sinceritatem, inter viam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem, inter beatitudinem & miseriam, inter vnitatem & conscissionem, postremò quid inter

superstitionis sirenas, & portum religionis intersit. Nolite mihi colligere professores nominis Christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint quicquid promiserint Deo. Noui multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores: noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatésque suas deputent religioni. Noui multos esse, qui renunciauerunt verbis huic sæculo, & se omnibus huius sæculi molibus opprimi velint, oppressique lætentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quòd non vobis desint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, & à Catholica salute auertatis, cùm in vestra paupertate * magnas patiamini angustias, dum à vobis exigitur vel vnus ex iis quos electos vocatis, qui præcepta illa ipsa custodiat, quæ irrationabili superstitione defenditis. Sed & illa quàm vana sint, quàm noxia, quàm sacrilega, quemadmodum à magna parte vestrum, atque adeò penè ab omnibus vobis non obseruentur, alio volumine ostendere institui. Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseuerant, aut etiam addunt grauiora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si iam propter ipsum Christianum nomen magis in palea quàm in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget, & à frumentis paleam separet, & singulis partibus pro suo cuiusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat.

* al. paucitate.

Mat. 13. 30.

Matt. 3. 12.

Vos interea quid sæuitis, quid excæcamini studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quærite: apparebunt facilè, seséque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta

Cap. XXXV. Manichæi damnant matrimonia & possessiones.

oculos intenditis? Quid ab opimi horti vbertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus, quamuis paucioribus notus, qua possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut inuenire non vultis. Sunt in Ecclesia Catholica innumerabiles fideles, *qui hoc mundo non vtantur, sunt qui vtantur tanquam non vtentes*, vt ab Apostolo dicitur quod illis temporibus iam probatum est, quibus ad idolorum cultum Christiani cogebantur. Quot enim tūc perniciosi *homines, quot patresfamilias rusticani, quot negociatores, quot militares, quot primates vrbium suarum, quot denique senatores, vtriusque sexus, hæc omnia vana & temporalia relinquentes, quibus vtique quamuis vterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstrauerúntque infidelibus à se potiùs illa omnia, quàm se ab eis esse possessos.

1.Cor.7.30.

fortè, pecuniosi.

Quid calumniamini, quòd fideles ac iam baptismate renouati, procreare filios, & agros ac domos pecuniámque vllam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit, post multorum quippe vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt: *Et hæc quidem fuistis*, inquit, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini* IESV CHRISTI, *& in spiritu Dei nostri*. Ablutos proculdubio, & sanctificatos nemo nisi fideles, & eos qui huic mundo renunciauerint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus vtrum his illa permittat. Ita enim sequitur: *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & has & hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori. Deus verò suscitauit Dominum, & nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est,*

1.Cor.6.11.

Ibid. 16.

Gen 2.24.

1.Cor.6.18.

*bis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. De quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet *, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, * sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium habet donum à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* 1. Cor. 7. 1 al. *habeat. al. *habeat.

Satisne vobis videtur Apostolus & fortibus demonstrasse quid summum sit, & imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cùm ait, *Vellem omnes homines esse sicut meipsum.* Huic autem summo coniugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Nunquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia coniugibus vtuntur? Quandoquidem hac castitate coniugij, & ex se inuicem ipsos qui coniuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, & eam quæ inde nascitur prolem sanctificari dixit: *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in muliere fideli; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Quid obstrepitis pertinaciâ tantæ veritati? Quid lucem Scripturarum vanis vmbris obnubilare conamini? Nolite iam dicere Catechumenis licere vti coniugibus, fidelibus autem non licere: Catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam & multi sunt *qui vtuntur tanquam non vtentes.* Et illo sacrosancto lauacro inchoatur innouatio noui hominis, vt proficiendo perficiatur, in aliis citiùs, in aliis tardiùs: à multis tamen procedit in nouam vitam, si quisquam non inimicè, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus, *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem.* Apostolus de die in diem interiorem hominem renouari dicit vt perficiatur, & vos à perfectione vultis incipiat: Quod vtinam veli- 2. Cor. 4. 16.

tis. Sed quæritis potiùs, non vnde erigatis inualidos, sed vnde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tantâ dicere audaciâ, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cùm verò nouerit vestra conscientia eos quos in sectam vestram introducitis, cùm vobis familiariùs iungi cœperint, multa inuenturos quæ in vobis esse cùm alios accusaretis, nemo suspicabatur: quæ tandem impudentia est, perfectionem in Catholicis imbecillioribus quærere, vt inde imperitos auertas, & eam nullo modo apud te iis quos auerteris exhibere? Sed ne quid in vos temerè iam videamur effundere, iste sit huius voluminis modus, vt ad demonstranda præcepta vitæ vestræ, moresque memorabiles aliquando veniamus.



SANCTI

AVRELII AVGVSTINI ENCHIRIDION

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE,

Ad Laurentium vrbis Romæ Primicerium.

Argumentum huius libri ex secundo libro Retract. c. 63.



CRIPSI etiam librum De fide, spe & charitate, cùm à me ad quem scriptus est postulasset, vt aliquod Opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum; quod genus Græci enchiridion vocant. Vbi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodò sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis vtique veram diuina scriptura definit. Hic liber sic incipit:

DICI non potest, dilectissime fili LAVRENTI, quantum tua eruditione delecter, quantúmque te cupiam esse sapientem, non ex eorum numero de quibus dicitur: *Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Sed ex eorum numero de quibus dictum est: *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum:* Et quales vult Apostolus fieri, quibus dicit, *Volo autem vos sapientes quidem esse in bono, simplices autem in malo.* Sicut autem nemo à seipso esse potest, ita etiam nemo à seipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est: *Omnis sapientia à Deo est.*

Cap. 1. *Sapiëtia ex Scripturis.* — 1. Cor. 1. 20. — Sap. 6. 16. — Rom 16. 19. — Eccl. 1. 1.

HOMINIS autem sapientia pietas est. Habes hoc in libro sancti Iob: nam ibi legitur, quòd ipsa sapientia dixerit

Cap. 11. *Pietas est sapientia.*

Iob 28.28. homini: *Ecce pietas est sapientia.* Si autem quæras quam dixerit eo loco pietatem, distinctiùs in Græco reperies θεοσέβειαν, qui est Dei cultus. Dicitur enim Græcè pietas & aliter, id est, εὐσέβεια, quo nomine significatur bonus cultus, quamuis & hoc præcipuè referatur ad colendum Deum. Sed nihil est commodius illo nomine, quo euidenter Dei cultus expressus est, cùm quid esset hominis sapientia diceretur. Quærisne aliquid dici breuius, qui petis à me vt breuiter magna dicantur? An hoc ipsum tibi fortasse desideras breuiter aperiri, atque in sermonem colligi breuem, quonam modo sit colendus Deus?

Cap. III. Cultus diuinus quibus constet. HIC si respondero, fide, spe, charitate colendum Deum, profectò dicturus es, breuius hoc dictum esse quàm velis, ac deinde petiturus ea tibi breuiter explicari, quę ad singula tria ista pertineant, quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit. Quod cùm fecero, ibi erunt omnia illa quæ in Epistola tua quærendo posuisti. Cuius exemplum si est penes te, facile est vt ea reuoluas & relegas: si autem non est, commemorante me recolas.

Cap. IV. Ratio & fides. VIS enim tibi, vt scribis, librum à me fieri, quem Enchiridion (vt dicunt) habeas, & de tuis manibus non recedat: continens postulata, id est, quid sequendum maximè, quid propter diuersas principaliter hæreses sit fugiendum: inquantum ratio pro religione contendat, vel quid in ratione, cùm fides sit sola *, non conueniat: quid primum, quid vltimum teneatur: quæ totius definitionis summa sit: quod certum propriúmque fidei Catholicæ fundamentum. Hæc autem omnia quæ requiris proculdubio scies, diligenter sciendo quid credi, quid sperari debeat, quid amari: hæc enim maximè, imò verò sola in religione sequenda sunt. His qui contradicit, aut omnino à Christi nomine alienus est, aut hæreticus. Hæc sunt defendenda ratione, vel à sensibus corporis inchoata, vel ab intelligentia mentis inuenta. Quæ autem nec corporeo sensu experti sumus, nec mente assequi valuimus aut valemus, eis sine vlla dubitatione credenda sunt testibus, à quibus ea quæ diuina vocari iam meruit Scriptura confecta est: qui ea siue per corpus, siue per animum diuinitùs adiuti, vel videre, vel etiam præuidere potuerunt.

* forte cum sit, ii sit sola.

Cap. V. CVM autem initio fidei *quæ per dilectionem operatur*, imbuta

mens fuerit, tendit bene viuendo etiam ad speciem peruenire vbi est sanctis & perfectis cordibus nota ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirum quod requiris, quid primum, quid vltimum teneatur: inchoari fide, perfici specie. Hæc etiam totius definitionis est summa. Certum verò propriúmque fidei Catholicæ fundamentum, Christus est: *Fundamentum enim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus* IESVS. Neque hoc ideò negandum est proprium fundamentum esse fidei Catholicæ, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos. Quod ostendere nimis longum est, quoniam commemorandæ sunt omnes hæreses siue quæ fuerunt siue quæ sunt, siue quæ poterunt esse sub vocabulo Christiano, & quàm sit hoc verum per singulas quásque monstrandum est. Quæ disputatio tam multorum est voluminum, vt etiam infinita videatur.

Fundament. tum fidei. Gal. 5. 6. *1. Cor. 3. 11.*

TV autem Enchiridion à nobis postulas, id est quod manibus possit astringi, non quod armaria possit onerare. Vt igitur ad illa tria redeamus per quæ diximus colendum Deum, fidem, spem, charitatem, facile est vt dicatur quid credendum, quid sperandum, quid amandum sit. Sed quemadmodum aduersus eorum qui diuersa sentiunt calumnias defendatur, operosioris vberiorísque doctrinæ est. Quæ vt habeatur non breui enchiridio manus debet impleri, sed grandi studio pectus accendi.

Cap. VI.

NAM ecce tibi est symbolum & Dominica oratio, quid breuius auditur aut legitur? quid facilius memoriæ commendatur? Quia enim de peccato graui miseria premebatur genus humanum, & diuina indigebat misericordia, gratiæ Dei tempus Propheta præuidens ait: *Et erit, Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit*: propter hoc Dominica oratio. Sed Apostolus cùm ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commemorasset testimonium, continuò subiecit: *Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt?* propter hoc symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, spes & charitas orant. Sed sine fide esse non

Cap. VII. Symbolū & oratio Dominica. *Ioël 2. 32.* *Rom. 10. 14.*

possunt, ac per hoc & fides orat. Propterea quippe dictum est, *Quomodò inuocabant, in quem non crediderunt?*

Cap. VIII. *Fides, spes, charitas.* Qvid autem sperari potest quod non creditur? Porrò etiam aliquid quod non speratur, credi potest. Quis nanque fidelium pœnas non credit impiorum, nec sperat tamen? Et quisquis eas imminere sibi credit ac fugaci motu animi exhorret, rectiùs timere dicitur quàm sperare. Quæ duo Lucanus distinguens ait;

Liceat sperare timenti.

Non autē ab alio Poëta quamuis meliore propriè dictū est:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Denique nonnulli in arte grammatica verbi huius vtuntur exemplo ad ostendendam improprìam dictionem, & aiunt: *Sperare* dixit, pro *timere.* Est itaque fides & malarum rerum & bonarum: quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala. Est etiam fides & præteritarum rerum, & præsentium & futurarum. Credimus enim mortuum Christum, quod iam præteriit. Credimus sedere ad dexteram Patris, quod nunc est. Credimus venturum ad iudicandum viuos & mortuos, quod futurum est. Item fides & suarum rerum est & alienarum. Nam & se quisque credit aliquando esse cœpisse, nec fuisse vtique sempiternum, & alia atque alia: nec solùm de aliis hominibus multa, quæ ad religionem pertinent, verumetiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur. Quæ cùm ita sint, propter has causas distinguenda erit fides à spe: sicut vocabulo, ita & rationabili differentia. Nam quod attinet ad non videre, siue quæ creduntur, siue quæ sperantur, fidei speíque commune est. In Epistola quippe ad Hebræos, qua

Hebr. 11. 1. teste vsi sunt illustres Catholicæ regulæ defensores, fides esse dicta est conuictio rerum quæ non videntur. Quamuis quando se quisque non verbis, non testibus, non denique vllis argumentis, sed præsentium rerum euidentiæ iecit credidisse, hoc est, fidem accommodasse, non ita videtur absurdum, vt rectè reprehendatur in verbo, eique dicatur: Vidisti, ergo non credidisti. Vnde putari potest non esse consequens, vt non videatur res quæcunque creditur: sed meliùs hanc appellamus fidem quam diuina eloquia docuerunt, earum sci-

licet rerum quæ non videntur. De ſpe quoque ait Apoſtolus: *Spes quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.* Cùm ergo bona nobis futura eſſe creduntur, nihil aliud quàm ſperantur. Iam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore eſſe non poteſt. Denique, vt ait Apoſtolus Iacobus. *Et dæmones credunt, & contremiſcunt:* nec tamen ſperant vel amant, ſed potiùs quod ſperamus & amamus credendo venturum eſſe formidant. Propter quod Apoſtolus Paulus, *fidem quæ per dilectionem operatur,* approbat atque commendat, quæ vtique ſine ſpe eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrumque ſine fide.

Rom. 8. 14. — Iac. 2. 19. — Gal. 5. 6.

Cap. IX. Quid credendum Christiano.

CVM ergo quæritur, quid credendum ſit quod ad religionem pertineat, non rerum natura ita rimanda eſt, quemadmodum ab eis quos Phyſicos Græci vocant: nec metuendum eſt quemadmodum ab eiſdem, ne aliquid de vi & numero elementorum, de motu atque ordine & defectibus ſiderum, de figura cæli, de generibus & naturis animalium, fruticum, lapidum, fontium, fluminum, montium, de ſpatiis locorum & temporum, de ſignis imminentium tempeſtatum, & alia ſexcenta de iis rebus quas illi vel inuenerunt vel inueniſſe ſe exiſtimant, Chriſtianus ignoret: quia nec ipſi omnia repererunt tanto excellentes ingenio, flagrantes ſtudio, abundantes otio, & quædam humana coniectura inueſtigantes, quædam verò hiſtorica experientia perſcrutantes, & in eis quæ ſe inueniſſe gloriantur, plura opinantes potiùs quàm ſcientes. Satis eſt Chriſtiano rerum creatarum cauſam, ſiue cæleſtium, ſiue terreſtrium, ſiue viſibilium, ſiue inuiſibilium, non niſi bonitatem credere Creatoris, qui vnus & verus eſt Deus: nullámque eſſe naturam quæ non aut ipſe ſit, aut ab ipſo: eúmque eſſe Trinitatem, Patrem ſcilicet & Filium à Patre genitum: & Spiritum ſanctum ab eodem Patre procedentem, ſed vnum eundémque Spiritum & Patris & Filij.

Cap. X. Vniuerſitas rerum.

AB hac ſumma & æqualiter & immutabiliter bona Trinitate creata ſunt omnia, & nec ſummè nec æqualiter nec immutabiliter bona, ſed tamen bona etiam ſingula. Simul verò vniuerſa valde bona, quia ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo.

Cap. 11. Mala quare sint.

IN qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora sint dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Quid est autem aliud quod malum dicitur, nisi priuatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis & vulneribus affici, quàm sanitate priuari. Neque enim id agitur cùm adhibetur curatio, vt mala ista quæ inerant, id est morbi ac vulnera recedant hinc, & alibi sint, sed vtique vt non sint. Non enim vlla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus aut morbus: cùm caro sit ipsa substantia, profectò aliquod bonum est, cui accidunt ista mala, id est, priuationes eius boni, quod dicitur sanitas: ita etiam & animorum quæcunque sunt vitia, naturalium sunt priuationes bonorum. Quæ cùm sanantur, non aliquò transferuntur, sed ea quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.

Cap. 12. Naturæ corruptio.

NATVRÆ igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium summè conditor bonus est, bonæ sunt. Sed quia non sicut earum conditor summè atque incommutabiliter bonæ sunt, ideò in eis & minui bonum & augeri potest. Sed bonum minui malum est, quamuis quantumcunque minuatur, remaneat aliquid necesse est, si adhuc natura est vnde natura sit: neque enim si qualiscunque aut quantulacunque natura est, consumi bonum quod natura est, nisi & ipsa consumatur, potest. Meritò quippe natura incorrupta laudatur. Porrò si & incorruptibilis sit, quæ corrumpi omnino non possit, multò est proculdubiò laudabilior. Cùm verò corrumpitur, ideò malum est eius corruptio, quia eam quacunque priuat bono: nam si nullo bono priuat, non nocet: nocet autem adimendo bonum. Quamdiu itaque natura corrumpitur, inest ei bonum quo priuetur: ac per hoc si naturæ aliquid remanebit quod iam corrumpi nequeat, profectò natura incorruptibilis erit, & ad hoc tam magnum bonum corruptio non perueniet. At* si corrumpi non desinet, nec bonum vtique habere desinet, quo eam possit priuare corruptio. Quam si penitùs

al. Et.

tùs totámque consumpserit, ideò nullum bonum inerit, quia natura nulla erit. Quocirca bonum consumere non potest corruptio, nisi consumendo naturam. Omnis ergo natura bonum est, magnum si corrumpi non potest, paruum si potest: negari tamen bonum esse nisi stultè atque imperitè prorsus non potest. Quæ si corruptione consumitur, nec ipsa corruptio remanebit, nulla vbi esse possit subsistente natura.

Ac per hoc nullum est quod dicitur malum, si nullum sit bonum: sed bonum omni malo carens, integrum bonum est. Cui verò inest malum, vitiatum vel vitiosum bonum est: nec malum vnquam potest esse vllum, vbi bonum est nullum. Vnde res mira conficitur, vt quia omnis natura, inquantum natura est, bonum est: nihil aliud dici videatur, cùm vitiosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est; nec malum esse, nisi quod bonum est, quia omnis natura bonum est: nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est, natura non esset. Non igitur potest esse malum, nisi aliquod bonum. Quod cùm dici videatur absurdè, connexio tamen ratiocinationis huius velut ineuitabiliter nos cōpellit hoc dicere. Et cauendum est ne incidamus in illam sententiam propheticam, vbi legitur; *Væ ijs qui dicunt quòd bonum est malum, & quòd malum est bonum: qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: qui dicunt tenebras lucem, & lucem tenebras.* Et tamen Dominus ait, *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quid est autem malus homo, nisi mala natura: quia homo, natura est? Porrò si homo aliquod bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cùm duo ista discernimus, inuenimus nec ideò malum quia homo est, nec ideò bonum quia iniquus est: sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Quisquis igitur dicit, malum est hominem esse, aut quod bonum est iniquum esse, ipse incidit in propheticam illam sententiam: *Væ ijs qui dicunt quod bonum est malum, & quòd malum est bonum.* Opus enim Dei culpat quod est homo, & vitium hominis laudat quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, inquantum natura est, bona est: inquantum vitiosa est, mala est.

Cap. XIII. *Quemodò idem malū sit & bonū.* Isa. 5. 20. Matt. 12. 35. Isa. 5. 20.

QVAPROPTER in iis contrariis, quæ mala & bona vo- Cap. XIV.

Contraria. cantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt, Nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aër simul est & tenebrosus & lucidus: nullus cibus aut potus simul dulcis est & amarus: nullum corpus simul vbi album, ibi & nigrum: nullum simul vbi deforme, ibi & formosum. Et hoc in multis ac penè in omnibus contrariis reperitur, vt in vna re simul esse non possint. Cùm autem bona & mala nullus ambigat esse contraria, non solùm simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis, & nisi in bonis esse non possunt, quamuis bona sine malis esse possint. Potest enim homo vel Angelus non esse iniustus: iniustus autem non potest esse nisi homo vel Angelus: & bonum, quod homo: bonum, quod Angelus: malum, quod iniustus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, vt si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modò vbi consisteret, sed vnde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur: quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quàm boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta sunt, & nisi in aliquibus bonis non sunt; nec erat aliàs vnde oriretur vlla mali natura: nam si esset, inquantum natura esset, profectò bona esset: & aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset, nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio.

Cap. XV. Quomodò mala ex bonis. Matt. 7. 18. SED cùm mala ex bonis orta esse dicimus, non putetur hoc Dominicæ sententiæ refragari, qua dicit: *Non potest arbor bona fructus malos facere. Non potest enim*, sicut Veritas dicit, *colligi vua de spinis*, quia non potest vua nasci de spinis. Sed ex bona terra & vites nasci posse videmus & spinas. Et eodem modo tanquam arbor mala fructus bonos, id est, opera bona, non potest facere voluntas mala. Sed ex bona hominis natura oriri voluntas & bona potest & mala. Nec fuit prorsus vnde primitùs oriretur voluntas mala, nisi ex Angeli & hominis natura bona. Quod & ipse Dominus eodem loco, vbi de arbore & fructibus loquebatur, apertissimè ostendit. Ait enim:
Mat. 12. 33. *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum; aut facite arborem malam & fructum eius malum*: satis admonens ex arbore quidem bona malos, aut ex mala bonos nasci fructus non pos-

se: ex ipsa tamen terra, cui loquebatur, vtramque arborem oriri posse.

QVÆ cùm ita sint, quando nobis Maronis ille versus placet, Cap. xvi. *Felicitas vera.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas: *Georg. 2.*

Non nobis videatur ad felicitatem consequendam pertinere, si sciamus causas magnarum in mundo corporalium motionum, quæ abditissimis naturæ sinibus occuluntur,

Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumescant,

Obicibus ruptis, rursusque in seipsa residant.

Et cætera huiusmodi: sed bonarum & malarum rerum causas nosse debemus. Et id hactenus quatenus eas homini in hac vita erroribus ærumnisque plenissima, ad eosdem errores, & ærumnas euadendas nosse conceditur. Ad illam quippe felicitatem tendendum est, vbi nulla quatiamur ærumna, nullo errore fallamur: nam si causæ corporalium motionum noscendæ nobis essent, nullas magis nosse quàm nostræ valetudinis deberemus. Cùm verò eis ignoratis, medicos quærimus, quis non videat quod de secretis cæli & terræ nos latet, quanta sit patientia nesciendum.

QVAMVIS enim error quanta possumus cura cauendus sit, non solùm in maioribus, verùmetiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari: non est tamen consequens, vt continuò erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium. Veruntamen in qua re quisquis erret, interest plurimùm: nam in vna eadémque re & nescienti sciens, & erranti non errans, recta ratione præponitur. In diuersis autem rebus, id est cùm iste sciat alia, ille alia: & iste vtiliora, ille minus vtilia vel etiam noxia: quis non in eis quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quædam quæ nescire quàm scire sit melius. Itémque nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum. Nam nobisipsis accidit, vt in quodam biuio falleremur, & non iremus per eum locum, vbi opperiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, vt eò quò tendebamus, per deuium circuitum veniremus: cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo. Quis ergo viator Cap. xvii. *Error quid sit.*

tem sic errantem sic non erranti latroni præponere dubitauerit: Et fortasse ideò apud illum summum Poëtam loquens, quidam miser amator:

Ecloga 8. *Vt vidi, inquit, vt perij, vt me malus abstulit error.*

Quoniam est & error bonus, qui non solùm nihil obsit, verùm etiam prosit aliquid. Sed diligentiùs considerata veritate, cùm nihil sit aliud errare, quàm verum putare quod falsum est, falsúmque quod verum est: vel certum habere pro incerto, incertùmve pro certo; siue falsum, siue sit verum: idque tam sit in animo deforme atque indecens, quàm pulchrum ac decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo *est est, non non;* Matt. 5. 37. profectò & ob hoc ipsum est vita ista misera qua viuimus, quod ei nonnunquam vt non amittatur, error est necessarius. Absit vt talis sit illa vita, vbi est animæ nostræ ipsa veritas vita, vbi nemo fallit, fallitur nemo. Hìc autem homines fallunt atque falluntur, miseriorésque sunt, cùm mentiendo fallunt, quàm cùm mentientibus credendo falluntur. Vsque adeò tamen rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest deuitat errorem, vt falli nolint etiam quicunque amant fallere. Non enim sibi qui mentitur videtur errare, sed alium in errorem mittere credentem sibi: & in ea quidem re non errat quam mendacio contegit, si nouit ipse quid verum sit: sed in hoc fallitur, quod putat sibi suum non obesse mendacium, cùm magis facienti quàm patienti obsit omne peccatum.

Cap. XVIII. Mendacii. VERVM difficillima & latebrosissima hìc gignitur quæstio, de qua iam grandem librum cùm respondendi necessitas nos vrgeret, absoluimus. Vtrum ad officium hominis iusti pertineat aliquando mentiri. Nonnulli enim eousque progrediuntur, vt & peierare, & de rebus ad Dei cultum pertinentibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonum piumque opus esse, contendant. Mihi autem videtur peccatum esse quidem omne mendacium, sed multum interesse quo animo & quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodò ille qui nocendi voluntate mentitur. Haud verò tantùm nocet qui viatorem mentiendo in diuersum iter mittit, quantum is qui viam vitæ, mendacio fallente deprauat. Nemo sanè mentiens iudicandus est, qui dicit falsum quod putat

verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacij, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautiùs credita pro veris habet. Potiúsque econtrariò, quantum in ipso est, mentitur ille qui dicit verum, quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, quia non quod sentit hoc dicit, non verum dicit, quamuis verum inueniatur esse quod dicit: nec vllo modo liber est à mendacio, qui ore nesciens verum loquitur, sciens autem voluntate mentitur. Non consideratis itaque rebus ipsis de quibus aliquid dicitur, sed sola intentione dicentis, melior est qui nesciens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nesciens verum esse quod dicit. Ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo: huic verò qualecunque per seipsum sit quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est: quod malum est proprium mentientis. In ipsarum autem quæ dicuntur consideratione rerum tantum interest, qua in re quisque fallatur siue mentiatur, vt cùm falli quàm mentiri minus sit malum, quantum pertinet ad hominis voluntatem, tamen longè tolerabilius sit in iis quæ à religione sunt seiuncta, mentiri, quàm in iis sine quorum fide vel notitia Deus coli non potest, falli. Quod vt illustretur exemplis, intueamur quale sit, si quispiam dum mentitur viuere nunciat aliquem mortuum: & alius dum fallitur, credat iterum Christum post quamlibet longa tempora moriturum: nonne illo modo mentiri, quàm isto modo falli incomparabiliter præstat: multóque minoris mali est, in illum errorem aliquem inducere, quàm in istum ab aliquo induci?

Cap. xxi. Fallendi modi varij.

In quibusdam ergo rebus magno, in quibusdam paruo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam etiam nonnullo bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cùm hoc non credit quod ad vitam ducit æternam: vel hoc credit quod ad mortem ducit æternam. Paruo autem malo fallitur, qui falsum pro vero approbando, incidit in aliquas molestias temporales, quibus tamen adhibita fidelis patientia, conuertit eas in vsum bonum. Veluti si quisquam bonum hominem putando qui malus est, aliquid ab eo patiatur mali. Qui verò malum hominem ita bonum credit, vt nihil ab eo patiatur

forte* malo. mali, nullo modo * fallitur: nec in eum cadit illa prophetica
Isa.5.20. destinatio : *Væ ys qui dicunt quod malum est bonum.* De ipsis enim rebus quibus homines mali sunt, non de hominibus dictum intelligendum est. Vnde qui adulterium dicit bonum, rectè arguitur illa voce prophetica. Qui verò ipsum hominem dicit bonum, quem putat castum, & nescit adulterum, non in doctrina rerum bonarum & malarum, sed in occultis humanorum fallitur morum : vocans hominem bonum, in quo putat esse, quod esse non dubitat bonum, & dicens malum adulterum, & bonum castum: sed hunc bonum dicens nesciendo adulterum esse, illum malum, nesciendo castum. Porrò si per errorem euadit quisque perniciem, sicut superiùs dixi nobis in itinere contigisse, etiam aliquid boni homini errore confertur. Sed cùm dico in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipsum errorem dico nullum malum vel nonnullum bonum ; sed malum quò non venitur, vel bonum quò venitur errando, id est ex ipso errore quid non eueniat, vel quid proueniat: nam ipse per seipsum error aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis. Sed aliud est bonum hominem putare qui malus est, quod est erroris: & aliud est ex hoc malo aliud malum non pati, si nihil noceat homo malus, qui est putatus bonus. Itémque aliud est ipsam viam putare, quæ non est ipsa, & aliud est ex hoc erroris malo aliquid boni consequi, velut est ab insidiis malorum hominum liberari.

Cap. XX. Quis error vituperandus.

NESCIO sanè verum etiam eiusmodi errores, cùm homo de malo homine bene sentit, qualis sit nesciens : aut pro eis quæ per sensus corporis capimus, occurrunt similia, quæ spiritu tanquam corpore, aut corpore tanquam spiritu sentiuntur. Quale putabat esse Apostolus Petrus, quando existimabat se visum videre, repente de claustris & vinculis per Angelum liberatus. Aut in ipsis rebus corporeis lene putatur (Act.12.9.) esse quod asperum est, aut dulce quod amarum est, aut bene olere quod putidum est, aut tonare cùm rheda transit, aut illum esse hominem cùm alius sit, quando duo sibi simillimi (Æneid.10.) sunt, quod in geminis sæpe contingit: vnde ait ille, *Gratusque*

parentibus error: & cætera talia etiam peccata dicenda sint *. *al.* sunt.
Nec quæstio nodosissima, quæ homines acutissimos Academicos torsit, nunc mihi enodanda suscepta est, vtrum aliquid debeat sapiens approbare, ne incidat in errorem, si pro veris approbauerit falsa, cùm omnia (sicut affirmant) vel occulta sint, vel incerta. Vnde tria confeci volumina in initio conuersionis meæ, ne impedimento nobis essent, quæ tanquam in ostio contradicebant. Et vtique fuerat remouenda inueniendæ desperatio veritatis, quæ illorum videtur argumentationibus roborari. Apud illos ergo error omnis putatur esse peccatum, quod vitari non posse contendunt, nisi omnis suspendatur assensio. Errare quippe dicunt eum quisquis assentitur incertis: nihilque certum esse in hominum visu, propter indiscretam * similitudinem falsi, etiam si quod videtur, fortè sit verum, acutissimis quidem, sed impudentissimis conflictationibus disputant. Apud nos autem *iustus ex fide viuit*. At si tollatur assensio, & fides tollitur: quia sine assensione nihil creditur. Et sunt vera, quamuis non videantur, quæ nisi credantur, ad vitam beatam, quæ non nisi æterna est, non potest perueniri. Cum istis verò vtrum loqui debeamus ignoro, qui non solùm victuros in æternum, sed in præsentia se viuere nesciunt: imò nescire se dicunt quod nescire non possunt. Neque enim quisquam sinitur nescire se viuere, quandoquidem si non viuit, non potest aliquid scire vel nescire: quoniam non solùm scire, verumetiam nescire non nisi viuentis est. Sed videlicet non assentiendo quòd viuant, cauere sibi videntur errorem, cùm etiam errando conuincantur viuere: quoniam non potest qui non viuit errare. Sicut ergo nos viuere non solùm verum, sed etiam certum est: ita vera & certa sunt multa, quibus non assentiri, absit vt sapientia potiùs quàm dementia nominanda sit.

al. incert. (margin, beside "propter indiscretam *")

Abac. 2. 4. (margin, beside "iustus ex fide viuit")

IN quibusdam autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, vtrum credantur, an non: vel vtrum vera siue sint siue putentur, an falsa: in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum: aut si est, minimum esse atque leuissimum. Postremò qualecunque illud & quantumcunque sit, ad illam viam non pertinet, qua imus ad Deum: quæ via fides est Christi, *quæ per dilectionem operatur*. Neque enim ab hac via deuiabat in geminis filiis gratus

Cap. XXI. *Error innoxius.*

Galat. 5. 6.

Act. 12 9. ille parentibus error: aut ab hac via deuiabat Apostolus Petrus, quando se existimans visum videre, aliud pro alio sic putabat, vt à corporum imaginibus, in quibus se esse arbitrabatur, vera, in quibus erat, corpora non dignosceret, nisi cùm ab illo Angelus, per quem fuerat liberatus, abscessit: Gen. 37 33. aut ab hac via deuiabat Iacob Patriarcha, quando viuentem filium à bestia credebat occisum. In his atque huiusmodi falsitatibus, salua fide, quæ in Deum nobis est, fallimur: & via non relicta, quæ ad illum nos ducit, erramus: qui errores etiam si peccata non sunt, tamen in malis huius vitæ deputandi sunt: quæ ita subiecta est vanitati, vt approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamuis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram certámque atque æternam beatitudinem tendimus: ab ea tamen miseria non absunt, in qua adhuc sumus. Nullo modo quippe falleremur in aliquo vel animi vel corporis sensu, si iam vera illa atque perfecta felicitate frueremur.

Cap. XXII. Omne mendacium, peccatum.

PORRO autem omne mendacium ideò dicendum est esse peccatum, quia homo non solùm quando scit ipse quid verum sit, sed etiam si quando errat & fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit: siue illud verum sit, siue putetur & non sit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit loquitur, voluntate fallendi. Et vtique verba propterea sunt instituta, non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideò vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui palam datur, sentit commodum, & diues cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando prodesse, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura, & si vixerit pœnitendo purganda: nec ideò peccatum tale negabitur adulterium. Si autem meritò nobis placet castitas, quid quæso offendit veritas, vt propter alienam vtilitatem illa non violetur adulterando, & violetur ista mentiendo? Non ideò menda-

cium

cium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod beneuolentia excusat, & ideò fallacia damnat. Plurimum quippe * ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum: sed in eorum tali profectu meritò laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur beneuolentia, non fallacia: quæ vt ignoscatur satis est, non vt etiam prædicetur, maximè in heredibus testamenti noui, quibus dicitur: *Sit in ore vestro est est, non non: quod enim amplius est, à malo est.* Propter quod malum, quia subrepere in hac mortalitate non desinit, etiam ipsi coheredes Christi dicunt, *Dimitte nobis debita nostra.*

al.* quidē.

Matt. 5. 37.

Matt. 6. 12.

His itaque pro huius breuitatis necessitate tractatis, quoniam causæ cognoscendæ sunt rerum bonarum & malarum, quantum viæ satis est quæ nos perducat ad regnum, vbi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas: nequaquam dubitare debemus rerum quæ ad nos pertinent bonarum causam non esse nisi bonitatem Dei: malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, priùs Angeli, hominis postea.

Cap. xxiii. *Causa bonorum & malorum.*

Hoc primum est creaturæ rationalis malum, id est prima priuatio boni: deinde etiam iam nolentibus subintrauit ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quibus comites subinferuntur error & dolor: quæ duo mala quando imminentia sentiuntur, ea fugitantis animi motus vocatur metus. Porrò animus cùm adipiscitur concupita, quamuis perniciosa vel inania, quoniam id errore non sentit, vel delectatione morbida vincitur, vel vana etiam lætitia ventilatur. Ex his morborum non vbertatis, sed indigentiæ tanquam fontibus omnis miseria naturæ rationalis emanat.

Cap. xxiv. *Malorum origo.*

Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. Verùm hæc communia mala sunt & hominum & Angelorum pro sua malitia Dei iustitia damnatorum. Sed homo habet & pœnam propriam, qua etiam corporis morte punitus est. Mortis quippe supplicium Dominus ei comminatus fuerat, si peccaret: sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio atque

Cap. xxv. *Beatitudinis appetitus.*

Gen. 2. 17.

in paradiſi felicitate tanquam in vmbra vitæ, vnde iuſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet, collocauit.

Cap. XXVI. *occatu ro Adam.*

Hinc poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis & damnatione obſtrinxit: vt quicquid prolis ex illo & ſimul damnata per quam peccauerat coniuge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt, naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloréſque diuerſos ad illud extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus & poſſeſſoribus & conſorribus ſuis ſine fine ſupplicium. Rom. 5. 12. *Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Mundum quippe appellauit eo loco Apoſtolus vniuerſum genus humanum.

Cap. XXVII. *Pœna primi peccati egregiè deſcribuntur.*

Ita ergo res ſe habebant: iacebat in malis, vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis maſſa damnata: & adiuncta parti eorum qui peccauerunt Angelorum, luebat impiæ deſertionis dignißimas pœnas. Ad iram quippe Dei pertinet iuſtam, quicquid cæca & indomita concupiſcentia faciunt libenter mali, & quicquid manifeſtis opertíſque pœnis patiuntur inuiti: non ſanè Creatoris deſiſtente bonitate, & malis Angelis ſubminiſtrare vitam, viuacemque potentiam, quæ ſubminiſtratio ſi auferatur, interibunt: & hominum quamuis de propagine vitiata damnatáque naſcentium formare ſemina & animare & ordinare membra per temporum ætates, per locorum ſpatia vegetare ſenſus, alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis bene facere, quàm mala nulla eſſe permittere. Et ſi quidem in melius hominum reformationem nullam prorſus eſſe voluiſſet, ſicut impiorum nulla eſt Angelorum, nonne meritò fieret, vt natura quæ Deum deſeruit, quæ præceptum ſui Creatoris, quod cuſtodire facillimè poſſet, ſua malè vtens poteſtate calcauit atque tranſgreſſa eſt, quæ ſui in ſe Creatoris imaginem ab eius lumine contumaciter auerſa violauit, quæ ſalubrem ſeruitutem ab eius legibus malè libero abrupit arbitrio, vniuerſa in æternum deſereretur ab eo, & pro ſuo merito pœnam penderet ſempiternam? Planè ita faceret, ſi tan-

cùm iustus non etiam misericors esset, suámque indebitam misericordiam multò euidentiùs in indignorum potiùs liberatione monstraret.

Cap. xxviii. Casus desertorũ Angelorum. *Iob. 4. 18. 2. Pet. 2. 4. Iudæ 1. 6.*

ANGELIS igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum, & in huius aëris imam caliginem de superna cælesti habitatione deiectis, residuus numerus Angelorum in æterna cum Deo beatitudine & sanctitate permansit. Neque enim ex vno Angelo lapso atque damnato cæteri propagati sunt, vt eos sicut homines originale malum obnoxiæ successionis vinculis obligaret, atque vniuersos traheret ad debitas pœnas: sed eo qui diabolus factus est, cum sociis impietatis elato, & ipsa cum eis elatione prostrato; cæteri piâ obedientiâ Domino cohæserunt, accipientes etiam quòd illi non habuerunt, certam scientiam, qua essent de sua sempiterna & nunquam casura stabilitate securi.

Cap. xxix. Homines pij succedũt in locũ Angelorum victorum.

PLACVIT itaque vniuersitatis Creatori atque moderatori Deo, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deserente perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura gauderet: alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis, & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret. Hoc enim promissum est resurgentibus sanctis, quòd erunt æquales Angelis Dei. Itaque superna illa Hierusalem mater nostra ciuitas Dei, nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed vberiore etiam copia fortasse regnabit. Neque enim numerum aut sanctorũ hominum, aut immundorũ dæmonum nouimus, in quorum locum succedentes filij sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace de qua illi ceciderunt, sine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum ciuium numerus, siue qui est, siue qui futurus est, in contemplatione est eius artificis, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, atque in mensura & numero & pondere cuncta disponit.

Luc. 20. 36. Gal. 4. 26. V 22. de ciuit. Dei. c. 1. Isa. 54. 1. Rom. 4. 17. Sap. 11. 21.

Cap. xxx. merita gratia, liberum arbitrium.

VERVM hæc pars generis humani, cui liberationem Deus regnúmque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest

perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit, sed se occidendo non viuit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est
2.Petr.2.19. & liberum arbitrium: *à quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est.* Petri certè Apostoli est ista sententia. Quæ cùm vera sit, qualis, quæso, potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit
al.* lætitiã. seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam *: simul & pia seruitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum vnde erit homini addicto & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est: *Si vos filius liberauerit,*
Ioan.8.36. *tunc verè liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodò quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens:
Eph.2.8. *Gratia salui facti estis per fidem?*

Cap. xxxi. Fides. 1.Cor.7.25. Et ne ipsam saltem fidem sic sibi homines arrogarent, vt non intelligerent diuinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco dicit, se vt fidelis esset misericordiam consecutum: hîc quoque adiunxit atque ait: *Et hoc non ex vobis, sed*
Eph.2.10. *Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur.* Et ne putarentur fidelibus bona opera defutura, rursus adiecit: *Ipsius enim sumus figmentum creati in* Christo Iesv *in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Tunc ergo efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, format, & creat, non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit: vt simus in Christo Iesv *noua creatura,*
Gal.6.15. Psal.50.12. secundùm quod dictum est: *Cor mundum crea in me Deus.* Neque enim cor eius quantum pertinet ad naturam cordis humani, non iam creauerat Deus, sed renouationem animæ demorantis in corde Propheta postulat.

Cap. xxxii. Bona volũtas à Deo. Item ne quisquam etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum,

cui tanquam debitum reddatur præmium bene operandi, ipsa libertas, audiat eundem gratiæ præconem dicentem: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Et alio loco: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Cùm proculdubio si homo eius ætatis est vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere nisi velit, nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodò ergo non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, *à Deo præparatur?* Alioquin si propterea dictum est, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei:* quia ex vtroque fit, id est ex voluntate hominis, & misericordia Dei: vt sic dictum accipiamus, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* tanquam diceretur, non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non ergo sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis: ac per hoc si rectè dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non & econtrariò rectè dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porrò si nullus Christianus dicere audebit, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissimè contradicat: restat vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in sanctis eloquiis: *Et misericordia eius preueniet me: Et misericordia eius subsequetur me.* Nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris vtique nolentibus piè viuere, nisi vt Deus in illis operetur vt velint? Item cur admonemur petere vt accipiamus, nisi vt ab illo fiat quod volumus à quo factum est vt velimus? Oramus ergo pro inimicis nostris vt misericordia Dei præueniat eos, sicut præuenit & nos: oramus autem pro nobis, vt misericordia eius subsequatur nos.

Phil. 2. 13. Rom. 9. 16. Phil. 3. 14. Prou. 8. 35. secund. 70. Psal. 58. 11. Psal. 22. 6. Matt. 5. 44. Luc. 11. 9. Mat. 7. 7.

TENEBATUR itaque iusta damnatione genus humanum, & omnes erant iræ filij, de qua ira scriptum est: *Quoniam* Cap. xxxiii. Omnes nascimur ob-

noxij pecca-tis. *omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni nostri si-*
Psal. 89. 9. *cut aranea meditabuntur,* de qua ira dicit etiam Iob: *Homo enim*
Iob 14. 1. *natus ex muliere, breuis vitæ & plenus iræ,* de qua ira dicit etiam
Ioan. 3. 36. Dominus IESVS: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem non credit in Filium, non habet vitam æternam, sed ira Dei manet super eum:* non ait, veniet, sed manet super eum. Cum hac quippe omnis homo nascitur, propter quod dicit Apo-
Eph. 2. 3. stolus: *Fuimus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri.* In hac ira cùm essent homines per originale peccatum, & tantò grauius & perniciosius, quantò maiora vel plura insuper addi-
Heb. 8. 6. & 9. 11. derunt, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator, qui hanc iram sacrificij singularis, cuius erant vmbræ omnia sacrificia legis & Prophetarum, oblatione placaret, vnde dicit
Rom. 5. 10. Apostolus: *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati nunc in sanguine eius salui erimus ab ira per ipsum.* Cùm autem Deus irasci dici-
Quomodo dicatur Deus irasci. tur, non eius significatur perturbatio qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quæ non nisi iusta est, iræ nomen accepit. Quòd ergo per mediatorem reconciliamur Deo, & accipi-
Rom. 8. 14. mus Spiritum sanctum, vt ex inimicis efficiamur filij: *quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei:* hæc est *gratia Dei per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum.*

Cap. XXXIV. Christus mediator. Ioan. 1. 14. DE quo mediatore longum est, vt quanta dignum est, tanta dicantur, quamuis ab homine digne dici non possint. Quis enim hoc solùm congruentibus explicet verbis, quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt crederemus in Dei Patris omnipotentis vnicum Filium natum de Spiritu sancto & MARIA Virgine? Ita quippe verbum caro factum est, à diuinitate carne suscepta, non in carnem diuinitate mutata. Carnem porrò hîc hominem debemus accipere, à parte totum significante locutio-
Rom. 3. 20. ne, sicut dictum est: *Quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro,* id est omnis homo. Nam nihil naturæ humanæ in illa susceptione fas est dicere defuisse, sed naturæ ab omni peccati nexu omnimodo liberæ: non qualis de vtroque sexu nascitur per concupiscentiam carnis cum obligatione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur; sed qualem de Virgine nasci oportebat, quam fides matris non libido con-

ceperat. Quòd si vel per nascentem corrumperetur eius integritas, non iam ille de virgine nasceretur: eúmque falsò, quod absit, de Virgine MARIA natum tota confiteretur Ecclesia, quæ imitans eius matrem, quotidie parit membra eius, & virgo est. Lege, si placet, de virginitate sanctæ MARIÆ meas literas missas ad illustrem virum, quem cum honore ac dilectione nomino Volusianum. Epist. 3.

PROINDE *Christus Iesus* Dei Filius est, & Deus & homo est. Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo. Deus quia Dei verbum, *Deus* enim *erat verbum*: homo autem quia in vnitatem personæ accessit verbo anima rationalis & caro. Quocirca inquantum Deus est, *ipse & Pater vnum sunt*: inquantum autem homo, *Pater maior est illo*. Cùm enim esset vnicus Dei Filius, non gratiâ, sed naturâ, vt esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius: idémque ipse vtrumque ex vtroque vnus Christus: quia *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est*, quod natura erat, id est, *esse æqualis Deo. Exinaniuit autem se, formam serui accipiens*, non amittens vel minuens formam Dei. Ac per hoc & minor est factus, & mansit æqualis, vtrumque vnus, sicut dictum est: sed aliud propter verbum, aliud propter hominem. Propter enim verbum æqualis Patri, propter hominem minor. Vnus Dei Filius, idémque hominis filius: vnus hominis filius: idémque Dei filius: non duo filij Dei, Deus & homo, sed vnus Dei filius: Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster IESVS CHRISTVS. Cap. xxxv. Christus & Deus & homo. Ioan. 10. 30. Ioan. 14. 28 Phil. 2. 6.

HIC omnino granditer & euidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici Filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo quàm Dei Filius: & hoc vnicus, & propter Deum verbum, quod illo suscepto *caro factum est*, vtique Deus: vt quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus vna persona, verbum & homo. Vnde naturæ humanæ tanta glo- Cap. xxxvi. Gratia indicii Christi humani. Ioan. 1. 14.

ria nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita: nisi quia magna hic & sola Dei gratia fideliter & sobriè considerantibus euidenter ostenditur : vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum habere posset peccatum ? Sic & eius matrem Angelus salutauit, quando ei futurum annunciauit hunc partum : *Aue*, inquit, *gratia plena*, & paulò pòst : *Inuenisti*, ait, *gratiam apud Deum*. Et hæc quidem gratia plena, & inuenisse gratiam apud Deum dicitur, vt Domini sui, imò Domini omnium mater esset. De ipso autem Ioannes Euangelista cùm dixisset, *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus*, inquit, *gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis*. Quod ait, *Verbum caro factum est*: hoc est, plenum gratiæ, quod ait, *Gloria vnigeniti à Patre*: hoc est, plenum veritatis. Veritas quippe ipsa, vnigenitus Dei Filius non gratiâ, sed naturâ, gratia suscepit hominem tanta vnitate personæ, vt idem ipse etiam esset hominis filius.

Lucæ 1.28.

Cap. XXXVII *Natiuitas Christi.* Mat. 1.20.

IDEM namque IESVS CHRISTVS Filius Dei vnigenitus, idem vnicus Dominus noster, natus est de Spiritu sancto & MARIA Virgine. Et vtique Spiritus sanctus Dei donum est, quod quidem & ipsum est æquale donanti. Et ideò Deus est etiam Spiritus sanctus, Patre Filioque non minor. Ex hoc ergo quòd de Spiritu sancto est secundùm hominem natiuitas Christi, quid aliud quàm ipsa gratia demonstratur ? Cùm enim Virgo quæsiuisset ab Angelo, quomodò id fieret quod ei nunciabat, quandoquidem illa virum non cognosceret, respondit Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et Ioseph cùm vellet eam dimittere, suspicatus adulteram quam sciebat non de se grauidam ; tale responsum ab Angelo accepit : *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: id est, quod tu esse de alio viro suspicaris, de Spiritu sancto est.

Luc. 1.35.

Mat. 1.20.

Ca. XXXVIII *Christus quomodò conceptus de Spiritu sancto.*

NVNQVID tamen ideò dicturi sumus patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum, vt Deus Pater verbum genuerit, Spiritus sanctus hominem, ex qua vtraque substantia Christus vnus esset, & Dei Patris Filius secundùm verbum, & Spiritus

Spiritus ſancti Filius ſecundùm hominem ; quòd quaſi eum Spiritus ſanctus tanquam pater eius de matre virgine genuiſſet ? Quis hoc dicere audebit? Nec opus eſt oſtendere diſputando quanta alia ſequantur abſurda , cùm hoc ipſum iam ita ſit abſurdum , vt nullæ fideles aures id valeant ſuſtinere. Proinde ſicut * confitemur , Dominus noſter IESVS CHRISTVS, qui de Deo Deus, homo autem natus eſt de Spiritu ſancto & MARIA Virgine, vtraque ſubſtantia diuina ſcilicet atque humana, Filius eſt vnicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus ſanctus. Quomodò ergo dicimus Chriſtum natum de Spiritu ſancto, ſi non eum genuit Spiritus ſanctus ? An quia fecit eum ? quoniam Dominus noſter IESVS CHRISTVS inquantum Deus eſt, omnia per ipſum facta ſunt : inquantum autem homo eſt , & ipſe factus eſt, ſicut Apoſtolus dicit : *Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* Sed cùm illam creaturam quam Virgo concepit & peperit, quamuis ad ſolam perſonam Filij pertinentem , tota Trinitas fecerit, neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis, cur in ea facienda ſolus Spiritus ſanctus nominatus eſt ? An & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuerſa operari Trinitas intelligitur ? Ita verò eſt, & exemplis doceri poteſt. Sed non eſt in hoc diutiùs immorandum. Illud enim mouet quomodò dictum ſit, *Natus de Spiritu ſancto*, cùm Filius nullo modo ſit Spiritus ſancti. Neque enim quia mundum iſtum fecit Deus , dici eum fas eſt Dei Filium , aut eum natum de Deo, ſed factum, vel creatum, vel conditum, vel inſtitutum ab illo, vel ſi quid huiuſmodi rectè poſſumus dicere. Hunc ergo cùm confiteamur natum de Spiritu ſancto & MARIA Virgine , quomodò non ſit filius Spiritus ſancti , & ſit filius Virginis MARIÆ , cùm & de illo & de illa ſit natus , explicare difficile eſt. Proculdubio quippe non ſic de illo vt de Patre : ſic autem de illa vt de matre natus eſt.

al. * ſic.

Ioan. 1. 3.

Rom. 1. 3.

Mat. 1. 20.

NON igitur concedendum eſt quicquid de aliqua re naſcitur , continuò eiuſdem rei filium nuncupandum. Vt enim omittam alia : aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum vel lumbricum, quorum nihil eſt filius. Vt ergo hæc omittam , quoniam tantæ rei deformiter comparantur, certè qui naſcuntur ex aqua & Spiritu ſancto, non aquæ fi-

Cap. XXXIX. *Vox naſci variè accipitur.*

lios eos ritè dixerit quispiam, sed planè dicuntur filij Dei patris & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus est Filius Dei Patris non Spiritus sancti. Nam & illud quod de capillo & de cæteris diximus, ad hoc tantùm valet vt admoneamur, non omne quod de aliquo nascitur, etiam filium eius de quo nascitur posse dici. Sicut non omnes qui dicuntur alicuius filij, consequens est vt de illo etiam nati esse dicantur, sicut sunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filij gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati, sicut filij regni qui præparantur in regnum.

Cap XL. *Christū natum esse de Spiritu sancto* *Vbi suprà.* CVM itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo vt sit filius, nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cuius dicitur filius, profectò modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei: qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse propriè sic est Deus, vt dicatur etiam Dei donum. Vnde sufficienter loqui perlongum esset: si tamen id fieri potest, valde prolixæ disputationis est. Ioann. 4. Act. 8. 20.

Cap XLI. *Christus peccatum factus.* NVLLA igitur voluptate carnalis concupiscentiæ seminatus siue conceptus est, & ideò nullum peccatum originaliter trahens, Dei quoque gratia verbo Patris vnigenito, non gratiâ Filio, sed naturâ, in vnitate personæ modo mirabili & ineffabili adiunctus & concretus, & ideò *nullum peccatum* & ipse committens, tamen propter *similitudinem carnis peccati*, in qua venerat, dictus est & ipse peccatum sacrificandus ad diluenda peccata. In veteri quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis. Quod verè iste factus est cuius erant vmbræ illa. Hinc Apostolus cùm dixisset: *Obsecramus pro Christo reconciliari Deo;* continuò subiunxit atque ait: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso.* Non ait, vt in quibusdam mendosis codicibus legitur, Is qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fe- 1. Pet. 2. 22. Rom. 8. 3. Oseæ 4. 2. Cor. 5. 2. Cor. 5. 21.

cit: tanquam pro nobis Christus ipse peccauerit; sed ait, *Eam qui non nouerat peccatum*, id est, Christum, pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi sumus: hoc est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipse ergo peccatum, vt nos iustitia; nec nostra, sed Dei simus: nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis constitutum, *similitudine carnis peccati*, in qua crucifixus est, demonstrauit: vt quoniam peccatum ei non inerat, ita quodammodò peccato moreretur dum moritur carne, in qua erat similitudo peccati, & cùm secundùm vetustatem peccati nunquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reuiuiscentem vitam noua sua resurrectione signaret. Rom. 8.3.

Ipsum est quod in nobis celebratur, magnum baptismatis Sacramentum, vt quicunque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato sicut ipse peccato mortuus dicitur; quia mortuus est carni, hoc est peccati similitudini: & viuant de lauacro renascendo, sicut ipse de sepulcro resurgendo, quamlibet corporis ætatem gerant. Cap. XLII. *Baptisma.*

A parvulo enim recens nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantùm originali, maiores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt. Cap. XLIII. *Baptismus infantũ & senum.*

Sed ideò etiam ipsi peccato mori plerunque dicuntur, cùm proculdubio non vni, sed multis peccatis omnibúsque moriantur, quæcunque iam propria commiserunt, vel cogitatione, vel locutione, vel opere: quia etiam per singularem numerum pluralis numerus significari solet, sicut ait ille: Cap. XLIV. *Figura in qua numerus accipitur pro numero.*

Vterumque armato milite complent: Æneid. 2.

Quamuis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris literis legitur: *Ora ergo ad Dominum, vt auferat à nobis serpentem.* Non ait serpentes, quos patiebatur pòpulus, vt hoc diceret, & innumerabilia talia. Cùm verò & illud originale vnum plurali numero significatur, quando dicimus in peccatorum remissionem baptizari paruulos, nec dicimus in remissionem peccati: illa est contraria locutio, qua per pluralem Num. 21.7.

locutionem significatur numerus singularis. Sicut de Herode
Matt. 2. 20. de mortuo in Euangelio dictum est: *Mortui sunt enim qui*
Exo. 32. 31. *quærebant animam pueri.* Non dictum est mortuus est. Et in
Exodo: *Fecerunt*, inquit, *sibi deos aureos:* cùm vnum vitulum
fecerint tantum, de quo dixerunt: *Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Et hîc ponentes pluralem pro singulari.

Cap. XLV. Vno peccato cõprehendi plura. Rom. 5. 12. QVAMVIS & in illo peccato vno, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertransiit, propter quod etiam paruuli baptizantur, possint intelligi plura peccata, si vnum ipsum in sua quasi membra diuidatur singula. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potiùs esse quàm in Dei potestate dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia semetipsum præcipitauit in mortem: & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & furtum, quia cibus
Gen. 3. 6. prohibitus vsurpatus est: & auaritia, quia plus quàm illi sufficere debuit, appetiuit; & si quid aliud in hoc vno admisso diligenti consideratione inueniri potest.

Cap. XLVI. Peccatis parentũ obligari filios. Exo. 34. 7. PARENTVM quoque peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina sententia, *Reddam peccata patrum in filios:* tenet eos vtique antequam per regenerationem ad Testamentum nouum incipiant pertinere. Quod Testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec vlteriùs futuram in Israël parabolam il-
Ezec. 18. 20. lam: *Patres manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Ideò enim quisque renascitur, vt soluatur in eo quicquid peccati est cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Ac per hoc non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est ge-
Psal. 50. 7. neratio, vsque adeò vt etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit.* Neque hîc dixit, In iniquitate vel peccato, cùm & hoc rectè dici posset; sed iniquitates & peccata dicere maluit. Quia & in illo vno *quod in omnes homi-*
Rom. 5. 12. *nes pertransiit*, atque tam magnum est, vt in eo mutaretur &

conuerreretur in necessitatem mortis humana natura, sicut suprà disserui, reperiuntur plura peccata, & alia parentum, quæ etsi non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia diuina subueniat.

Cap. XLVII. Quousque maiorũ peccata propagentur, non temerè definiendum.

SED de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adam vsque ad patrem suum, progeneratoribus suis, quisque succedit, non immeritò disceptari potest: vtrum omnium malis actibus & multiplicatis delictis originalibus qui nascitur, implicetur, vt tantò peiùs quantò posteriùs quisque nascatur: an propterea Deus *in tertiam & quartam generationem* de peccatis parentum eorum posteris comminetur (Exo. 20. 5.), quia iram suam quantum ad progeneratorum suorum culpas non extendit vlteriùs moderatione miserationis suæ: ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere. An aliud aliquid de re tanta in Scripturis sanctis diligentiùs perscrutatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temerè non audeo affirmare.

Ca. XLVIII. Abolitio originalis peccati.

ILLVD tamen vnum peccatum, quod tam magnum in loco & habitu tantæ felicitatis admissum est, vt in vno homine originaliter, atque (vt ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur, non soluitur ac diluitur nisi per vnum mediatorem Dei & hominum hominem CHRISTVM IESVM (1. Tim. 2. 5.), qui solus potuit ita nasci vt ei non opus esset renasci.

Cap. XLIX. Christus baptizatus à Ioanne.

NON enim renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat, *Parate viam Domino*; (Matt. 3. 13. Luc. 3. 4.) huic vni in quo solo renasci poterant parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua tantùm, sicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu sancto, vt de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christũ credit, de quo Christus regeneratus regeneratione non eguit (Marc. 1. 8.). Vnde vox illa Patris quæ super baptizatum facta est: *Ego hodie genui te*, non vnum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit (Psal. 2. 7. Heb. 1. 5.), vt illum

hominem ad vnigeniti personam pertinere monstraret. Vbi enim dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. In aqua ergo voluit baptizari à Ioanne, non vt eius iniquitas vlla dilueretur, sed vt magna commendaretur humilitas. Ita quippe nihil in eo baptismus quod ablueret, sicut mors nihil quod puniret, inuenit: vt diabolus veritate iustitiæ, non violentia potestatis oppressus & victus, quoniam ipsum sine vllo peccati merito iniquissimè occiderat, per ipsum iustissimè amitteret quos peccati merito detinebat. Vtrumque igitur ab illo, id est, & baptismus & mors, certæ dispensationis causâ, non miseranda necessitate, sed miserante potiùs voluntate susceptum est: vt vnus peccatum tolleret mundi, sicut vnus peccatum misit in mundum, hoc est in vniuersum genus humanum.

Cap. L. Gratiâ aboleri omnia peccata. Rom. 5. 16. NISI quòd ille vnus vnum peccatum misit in mundum, iste verò vnus non solùm vnum illud, sed cuncta simul abstulit quæ addita inuenit, vnde dicit Apostolus: *Non sicut per vnum peccatum, ita est & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem:* quia vtique illud vnum quod originaliter trahitur, etiam si solum sit, obnoxios damnationi facit; gratia verò ex multis delictis iustificat hominem, qui præter illud vnum quod communiter cum omnibus originaliter traxit, sua quoque propria multa commisit.

Cap. LI. Renati in Christo liberantur. VERVNTAMEN quod paulò pòst dicit, *Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines ad iustificationem vitæ:* satis indicat ex Adam neminem natum, nisi damnatione detineri, & neminem nisi in Christo renatum à damnatione liberari.

Cap. LII. Baptismi mysterium. DE qua per vnum hominem pœna, & per vnum hominem gratia, cùm locutus fuisset, quantum illi Epistolæ suæ loco sufficere iudicauit, deinde sacri baptismatis in cruce Christi grande mysterium commendauit: eo modo vt intelligamus nihil aliud esse in Christo baptismum, nisi mortis Christi similitudinem: nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: vt quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera

iustificatio. Ait enim, *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Dixerat enim superiùs: Vbi enim *abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia.* Et ideò quæstionem sibiipsi proposuit, vtrum propter abundantiam gratiæ consequendam in peccato sit permanendum. Sed respondit: *Absit.* Atque subiecit: *Si mortui sumus peccato, quomodò viuemus in illo?* Deinde vt ostenderet nos mortuos esse peccato: *An ignoratis*, inquit, *quoniam quicunque baptizati sumus in* CHRISTO IESV, *in morte ipsius baptizati sumus?* Si ergo hinc ostendimur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus, profectò & paruuli qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius baptizantur. Nullo enim excepto dictum est: *Quicunque enim baptizati sumus in* CHRISTO IESV, *in morte ipsius baptizati sumus.* Et ideò dictum est, vt probaretur mortuos non esse peccato. Cui autem peccato paruuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt? Ac per hoc etiam ad ipsos pertinet quod sequitur, dicens: *Consepulti enim sumus illi per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum illo, scientes quia Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu.* Hinc enim probare cœperat non esse nobis permanendum in peccato, vt gratia abundaret, & dixerat: *Si mortui sumus peccato, quomodò viuemus in eo?* Atque vt ostenderet, mortuos non esse peccato, subiecit: *An ignoratis, quoniam quicunque baptizati sumus, in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus?* Sic itaque totum locum istum conclusit, vt cœpit. Mortem quippe Christi sic insinuauit, vt etiam ipsum mortuum diceret esse peccato. Cui peccato, nisi carnis, in qua erat, non peccatum, sed similitudo peccati, & ideò nomine appellat peccati? Baptizatis itaque in morte Christi, in qua non solùm maiores, verùm etiam par-

Rom. 6.1.
Rom. 5.20.
Rom. 6.3.

Rom.6.11. uuli baptizantur, ait: *Sic & vos*, id est quemadmodum Christus, *sic & vos existimate vos mortuos esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu.*

Cap. LIII. *Crux, sepultura, resurrectio, & ascensio quomodò ad nos pertineant.* QVICQVID igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione in cælum, & in sedere ad dexteram Patris: ita gestum est, vt his rebus non mysticè tantùm dicti, sed etiam gestis configuraretur vita Christiana quæ hic geritur. Nam propter eius crucem dictum est: Gal.5.24. *Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Propter sepulturam: *Consepulti enim sumus* Rom.6.4. *cum Christo per baptismum in mortem.* Propter resurrectionem: *Vt quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Propter ascensionem verò in cælum, sedémque ad dexteram Patris: Col.3.1. *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Cap. LIV. *Iudicium.* 1.Tim.4.1. IAM verò quod de Christo confitemur futurum, quoniam de cælo venturus est, viuos iudicaturus & mortuos, non pertinet ad vitam nostram quæ hîc geritur, quia nec in rebus gestis eius est, sed in fine seculi gerendis. Ad hoc pertinet quod Col.3.4. Apostolus secutus adiunxit: *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.*

Cap. LV. *Iudicaturi viuos & mortuos.* DVOBVS autem modis accipi potest, quòd viuos & mortuos iudicabit: siue vt viuos intelligamus, quos hîc nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viuentes inuenturus est eius aduentus. Mortuos autem qui de corpore priùs quàm veniat exiere vel exituri sunt: siue viuos iustos, mortuos autem iniustos, quoniam iusti quoque iudicabuntur. Aliquando enim iudicium Dei ponitur in malo, vnde illud est: *Qui autem malè egerunt, in resurrectionem iudicij.* Aliquando & in bono, Ioan.5.29. Psal.53.3. secundùm quod dictum est: *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me.* Per iudicium quippe Dei fit ipsa bonorum malorúmque discretio, vt liberandi à malo, Mat.25.33. non perdendi cum malis, boni ad dexteram segregentur: pro- Psal.42.1. pter quod ille clamabat: *Iudica me Deus.* Et quid dixerat velut exponens: *Et discerne*, inquit, *causam meam, de gente non sancta.*

CVM

CVM autem de *Iesu Christo* Filio Dei vnico Domino nostro, quod ad breuitatem confessionis pertinet dixerimus, adiungimus sic credere nos & in Spiritum sanctum, vt illa Trinitas compleatur quæ Deus est; deinde sancta commemoratur Ecclesia. Vnde datur intelligi rationalem creaturam ad Hierusalem liberam pertinentem, post commemorationem Creatoris, id est summæ illius Trinitatis fuisse subdendam. Quoniam quicquid de homine Christo dictum est, ad vnitatem personæ Vnigeniti pertinet. Rectus itaque confessionis ordo poscebat, vt Trinitati subiungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum & conditori ciuitas sua. Quæ tota hîc accipienda est, non solum ex parte qua peregrinatur in terris à solis ortu vsque ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captiuitatem cantans canticum nouum: verùm etiam ex illa quæ in cælis semper ex quo condita est, cohæsit Deo, nec vllum sui casus malum experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur: quia vtraque vna erit consortio æternitatis, & nunc vna est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum vnum Deum. Vnde nec tota, nec vlla pars eius vult se coli pro Deo, nec cuiquam esse Deus pertinenti ad templum Dei, quod ædificatur ex diis quos facit non factus Deus. Ac per hoc Spiritus sanctus si creatura non creator esset, profectò creatura rationalis esset. Ipse enim esset summa creatura, & ideò in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa eius parte quæ in cælis est. Nec haberet templum, sed etiam ipse templum esset. Templum autem habet de quo dicit Apostolus: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis à Deo?* De quibus alio loco dicit: *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt?* Quomodò ergo Deus non est, qui templum habet? Aut minor Christo est, cuius membra templum habet? Neque enim aliud templum eius, & aliud templum Dei est, cùm idem dicat Apostolus: *Nescitis quia templum Dei estis.* Quod vt probaret, adiecit: *Et spiritus Dei habitat in vobis.* Deus ergo habitat in templo suo, non solùm Spiritus sanctus, sed etiam Pater & Filius, qui etiam de corpore suo, per quod factus est caput Ecclesiæ, quæ in homini-

Cap. II. *Spiritus sanctus.*

Gal. 4. 26.

Psal. 112. 3.

1. Cor. 6. 19.

Ibid. 15.

1. Cor. 3. 16.

2. Cor. 6. 16.

Kk

Ioan. 2.19. bus est, vt sit ipse in omnibus primatum tenens ait: *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Templum ergo Dei, hoc est totius summæ illius Trinitatis, sancta est Ecclesia, scilicet vniuersa in cælo & in terra.

Cap. LVII. Stabilitas Angelorũ. 2. Pet. 2. 4. SED de illa quæ in cælis est, affirmare quid possumus, nisi quòd nullus in ea malus est, nec quisquam deinceps de illa cecidit aut casurus est, ex quo *Deus Angelis peccantibus non pepercit*, sicut scribit Apostolus Petrus, *sed carceribus caliginis inferni retrudens tradidit in iudicio puniendos reseruari.*

Cap. LVIII. Vocabula Angelorũ. Heb. 1. 13. Psal. 109. QVOMODO autem se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarum, vt cùm omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur, (sicut in Epistola ad Hebræos legimus: *Cui enim Angelorum Deus dixit aliquando, Sede à dextris meis?* hoc quippe modo significauit omnes vniuersaliter Angelos dici:) sint tamen & illic Archangeli: & vtrum iidem Archangeli nominentur virtutes, Psal. 148. atque ita dictum sit, *Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius;* ac si diceretur, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Archangeli: & quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem so- Col. 1. 16. cietatem videtur Apostolus esse complexus dicendo: *Siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates;* dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt, ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrum ad eandem societatem pertineant, sol & luna & cuncta sidera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.

Cap. LIX. Corpora Angelorum. ITEMQVE Angeli, quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, vt non solùm cernerentur, verùm etiam tangerentur, & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritalibus vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti, sicut scriptum est in Prophetarum libro: Zach. 1. 3. *Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me:* non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel appareant & in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippe in Euan- Matt. 1. 20. Gen. 18. 4. & 19. 1. gelio: *Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens.* His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora

non habere. Faciúntque difficillimam quæstionem, quomodò patres eis pedes lauerint, quomodò Iacob cum Angelo tam solida contrectatione luctatus sit. Cùm ista quæruntur, & ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est vt hæc atque huiusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur. Gen. 32. 24.

MAGIS opus est diiudicare atque dignoscere, cùm se satanas transfigurat velut Angelum lucis, ne fallendo in aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem verò non mouet à vera rectáque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum. Vel cùm se bonum fingens, ea facit siue dicit, quæ bonis Angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non est error Christianæ fidei periculosus aut morbidus. Cùm verò per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna & necessaria vigilantia est. Sed quotusquisque hominum idoneus est omnes mortiferos eius dolos euadere, nisi regat atque tueatur DEUS? Et ipsa huius rei difficultas ad hoc est vtilis, ne sit spes sibi quisque aut homo alter alteri, sed DEUS suis omnibus. Id enim nobis potiùs expedire prorsus piorum ambigit nemo. Cap. LX. *Artes satanæ euitandæ.*

HÆC ergo quæ sanctis Angelis & virtutibus DEI est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotescet, cùm ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Ista verò quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior est quòd in illa sumus, & quia hominum est, quod & nos sumus. Hæc sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato, eiusque vox est; *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed ideò etiam pro Angelis fit quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodò redit in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Cap. LXI. *Ecclesia Angelorum & nostra.* Rom. 8. 31.

ET vtique nouerunt sancti Angeli docti à Deo, cuius ve- Cap. LXII.

Christus instaurat omnia. ritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, instaurari omnia in Christo quæ in cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cælis sunt, cùm id quod inde in Angelis lapsum est ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cùm ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cælestia cum terrestribus, & terrestria cum cælestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit: *In ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis sunt, siue quæ in terris.*

Eph.1.10. Col.1.19.

Cap. LXIII. Pax regni cælestis. Phil.4.7. Pax ista *præcellit*, sicut scriptum est, *omnem intellectum*, neque sciri à nobis nisi cùm ad eam venerimus potest. Quomodò enim pacificantur cælestia nisi in nobis, id est, concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, & inter se vniuersis intellectualibus creaturis, & cum suo creatore. Quæ pax præcellit, vt dictum est, omnem intellectum, sed vtique nostrum, non eorum qui semper vident faciem Patris. Nos autem quantuscunque sit in nobis intellectus humanus, *ex parte scimus, & videmus nunc per speculum in ænigmate.* Cùm verò *æquales Angelis Dei fuerimus*, tunc quemadmodum & ipsi *videbimus facie ad faciem*, tantámque pacem habebimus erga eos, quantam & ipsi erga nos, quia tantùm eos dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia & nostra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum nostrum. Dei verò pax quæ illic est erga eos, & nostrum & illorum intellectum sine dubitatione præcellet. De ipso quippe beata est rationalis creatura quæcunque beata est, non ipse de illa: vnde secundùm hoc meliùs accipitur quod scriptum est: *Pax Dei quæ præcellit omnem intellectum*, vt in eo quod dicit omnem, nec ipse intellectus sanctorum Angelorum possit esse exemptus, sed Dei solius. Neque enim & ipsius intellectum pax eius excellit.

1.Cor.13.12. Luc.20.36. Pax Dei.

Cap. LXIV. Remissio peccatorum. Concordant autem Angeli nobiscum etiam nunc cùm remittuntur nostra peccata. Ideò post commemoratio-

nem sanctæ Ecclesiæ in ordine confessionis ponitur, remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quæ in terris est, per hanc non perit quod *perierat, & inuentum est.* Excepto Luc.15.24. quippe baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, vt quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen actiua quoque peccata quæcunque corde, ore, opere commissa inuenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, in qua soluitur omnis reatus & ingeneratus & additus, ipsa etiam vita cætera iam ratione vtentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, sine remissione peccatorum non agitur. Quoniam filij Dei quamdiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt. Et quamuis de illis sit veraciter dictum: *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei:* sic tamen Rom. 8.14 spiritu Dei excitantur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deũ, Sap. 9. 15. vt etiam spiritu suo, maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos, & ideò peccent. Interest tamen quantum. Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideò crimen Peccatum. est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vi- Crimen. tam, quamdiu in hac morte viuitur, inueniri posse dicimus sine crimine: *peccatum autem si dixerimus quia non habemus,* vt ait 1.Ioan. 1. 8. sanctus Apostolus, *nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

SED neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remit- Cap. LXV. tendis in sancta Ecclesia, Dei desperanda est misericordia Pœnitentia. agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cuiusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quàm doloris. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Verùm quia Psal 50. 19. plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus* rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt tem- Psal.37. 10. pora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo 2.Cor.1.22.

non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus dimittuntur consequantur vitam æternam.

Cap. LXVI. *Iudiciũ futurũ peccatis pœnam praescribet.* Eccl. 40.1.

MAGIS enim propter futurum iudicium fit remissio peccatorum. In hac autem vita vsque adeò valet quod scriptum est : *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium* : vt etiam paruulos videamus post lauacrum regenerationis diuersorum malorum afflictione cruciari : vt intelligamus, totum quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adoptionem præsentium pertinere. Multa etiam mala hîc videntur ignosci & nullis suppliciis vindicari, sed eorum pœnæ reseruantur in posterum. Neque enim frustra ille propriè dicitur dies iudicij, quando venturus est iudex viuorum atque mortuorum. Sicut econtrario vindicantur hîc aliqua, & tamen si remittuntur, profectò in futuro seculo non nocebunt. Propterea de quibusdam temporalibus pœnis quæ in hac vita peccantibus irrogantur, eis quorum peccata delentur ne reseruentur in finem, ait Apostolus : *Si enim nosmetipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. Cùm iudicamur autem à Domino, corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Mat. 12.36. Act. 10.42. 1. Cor. 11.31.

Cap. LXVII. *Titulus fidei an sit profuturus.*

CREDVNTVR autem à quibusdam etiam ij qui nomen Christi non relinquunt, & eius lauacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea vllo schismate vel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus viuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimant, sed in eis vsque ad huius vitæ vltimum diem pertinacissimè perseuerent, salui futuri per ignem : licet pro magnitudine facinorum flagitiorúmque diuturno, non tamen æterno igne puniri *. Sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli videntur. Nam Scriptura diuina aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione scripsi, cuius titulus est, de fide & operibus. Vbi secundùm Scripturas sanctas, quantum Deo adiuuante potui, demonstraui eam fidem saluos facere, quam satis euidenter expressit Paulus Apostolus dicens : *In Christo enim Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Si autem malè & non bene operatur, procul dubio, secun-

V. 1. de ciu. c. 21. Purgatoriũ. 1. Cor. 3.15. * fortè, puniendi. Cap. 14. 15. & 16. Gal. 5.6.

dùm Apostolum Iacobum, *mortua est in semetipsa.* Qui rursus ait: *Si fidem dicat se quisquam habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Porrò autem si homo sceleratus propter fidem solam per ignem saluabitur, & sic est accipiendum quod ait beatus Paulus Apostolus: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*; poterit ergo saluare sine operibus fides, & falsum erit quod dixit eius coapostolus Iacobus. Falsum erit & illud quod idem ipse Paulus dixit: *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei poßidebunt.* Si enim etiam in istis perseuerantes criminibus, tamen propter fidem Christi salui erunt, quomodò in regno Dei non erunt? Iac.2.17. 1.Cor.3.15. 1.Cor.6.9.

Cap. XXVIII Per ignem saluari.

SED quia hæc Apostolica manifestissima & apertissima testimonia esse falsa non possunt, illud quod obscurè dictum est de iis qui superædificant supra fundamentum quod est Christus, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, sed ligna, fœnum, stipulam; de his enim dictum est, quod per ignem salui erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt: sic intelligendum est, vt iis manifestis non inueniatur esse contrarium. Ligna quippe & fœnum & stipula non absurdè accipi possunt rerum secularium, quamuis licitè concessarum, tales cupiditates, vt amitti sine animi dolore non possint. Cùm autem iste dolor vrit, si Christus in corde fundamenti locum habet, id est, vt ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore vritur, rebus quas ita diligit, magis carere quàm Christo, per ignem fit saluus. Si autem res huiusmodi temporales ac seculares tempore tentationis maluerit tenere quàm Christum, eum in fundamento non habuit: quia hæc priore loco habuit, cùm in ædificio prius non sit aliquid fundamento. Ignis enim de quo locutus est eo loco Apostolus Paulus, talis debet intelligi, vt ambo per eum transeant, id est, *& qui ædificat supra hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos: & qui ædificat ligna, fœnum, stipulam.* Cùm enim hoc dixisset, adiunxit: *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus permanserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus autem exustum fuerit, damnum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non 1.Cor.3.13.

ergo vnius eorum, sed vtriusque opus ignis probabit. Est quidem ignis tentatio tribulationis, de quo apertè alio loco scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Iste ignis in hac interim vita facit quod Apostolus dixit, si accedat duobus fidelibus, vni scilicet *cogitanti quæ Dei sunt, quomodò placeat Deo*, hoc est *ædificanti super* Christum *fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos:* alteri autem *cogitanti ea quæ mundi sunt, quomodò placeat vxori*, id est, *ædificanti super* idem *fundamentum ligna, fœnum, stipulam.* Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit quorum amissione crucietur. Exuritur autem opus huius, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniam alterutra conditione proposita, eis potiùs carere malit quàm Christo, nec timore amittendi talia deserit Christum, quamuis doleat dum amittit, saluus est quidem, sic tamen quasi per ignem. Quia vrit eum rerum dolor quas dilexerat amissarum, sed non subuertit neque consumit fundamenti stabilitate atque incorruptione munitum.

Eccl. 27. 6.

1. Cor. 7. 32.

Cap. LXIX. *Per ignem saluari post hanc vitam.*

TALE aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, & vtrum ita sit, quæri potest. Et aut inueniri aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúsque saluari: non tamen tales de quibus dictum est, *quòd regnum Dei non possidebunt*, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Conuenienter autem dixi, vt steriles in eleemosynis non sint, quibus tantum tribuit Scriptura diuina, vt earum tantummodò fructum se imputaturum prænunciet Dominus dextris, & earum tantummodò sterilitatem sinistris, quando his dicturus est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei.* Illis autem: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Mat. 25. 34.

Cap. LXX. *Infanda crimina peni-tus reiicienda.*

SANE cauendum est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodò, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat

deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

De quotidianis autem breuibus leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in cælis*: qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*: quoniam non desunt quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, si fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est veniam petenti homini ignoscere.

Cap. LXXI. *Oratione Dominica expiari leuiora peccata.*

Matt. 6.12.

Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Non solùm autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verùm etiam & qui dat veniam peccanti *, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læsus est aut offensus, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur, non solùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici, amici verò eorum potiùs illi quos inimicos putant, & reddunt errando mala pro bonis, cùm reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cùm facimus, adiuuamur vt dimittantur nobis nostra peccata.

Cap. LXXII. *Eleemosynarum genera.*

Luc. 11.41.

* *al.* petẽti.

Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnum est erga eum esse beneuolum, siue etiam beneficum qui tibi mali nihil fece-

Cap. LXXIII. *Diligere inimicum.*

rit. Illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis, illius memor exempli qui in cruce pendens pro suis exorat persecutoribus, suósque admonuit, dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur.* Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quò quidem se debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum secúmque agendo luctandóque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri cùm in oratione Dominica dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* proculdubiò verba sponsionis huius implentur, si homo qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde: quia etiam sibi roganti vult vtique dimitti, cùm orat & dicit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* id est, sic dimitte debita nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Matt. 5. 44. Mat. 6. 12.

Cap. LXXIV. *Peccata non dimittentes.*

IAM verò qui eum in quem peccauit hominem rogat, si peccato suo mouetur vt roget, non est adhuc deputandus inimicus, vt eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti & peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest. Quem verò lateat Euangelij auditorem siue lectorem, quis dixerit, *Ego sum veritas?* Qui cùm docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendauit dicens: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est: & tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.

Ioan. 14. 6. Mat. 6. 14.

Cap. LXXV. *Eleemosyna scelerate viuentium.*

SANE qui sceleratissimè viuunt, nec curant talem vitam morésque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideò blandiuntur, quoniam Dominus ait: *Date eleemosynam, & ecce omnia*

Luc. 11. 41.

munda sunt vobis. Hoc enim quàm latè pateat, non intelligunt. Sed vt intelligant, attendant quibus dixerit. Nempe in Euangelio sic scriptum est; *Cùm loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus vt pranderet apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod de foris est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit id quod foris est, etiam id quod intus est fecit? Videte vt etiam id quod intus est, mundum fiat. Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Lucæ 11. 37.
Itáne hoc intellecturi sumus, vt Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiam si non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua & Spiritu sancto, munda sint omnia, tantùm si eleemosynas dederint, sicut isti eas dandas putant: cùm sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est: *Mundans fide corda eorum*, & dicat Apostolus: Act. 15. *Immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & conscientia.* Quomodò ergo Pharisæis omnia munda essent, si eleemosynas darent, & fideles non essent? Aut quomodò fideles essent, si in Christum credere atque in eius renasci gratia noluissent? Et tamen verum est quod audierant, *Date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt vobis.* Tit. 1.

QVI autem vult eleemosynā ordinatè dare, à seipso debet incipere, & eam sibi primùm dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissiméque dictum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Propter hoc renascimur, vt Deo placeamus, cui meritò displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna quam nobis dedimus, quoniam nosipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisiuimus, iustum iudicium eius confitentes, quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus: *Iudicium quidem ex vno in condemnationem.* Et magnæ charitati eius gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator: *Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, vt & nos veraciter de nostra miseria iudicantes, & Dei charitatem quam donauit ipse diligentes, piè rectéque viuamus. Quod iudicium & charitatem Dei cùm Pharisæi præterirent, decimabant tamen propter eleemosy- Cap. LXXVI. Ordo charitatis & misericordiæ. Eccl. 30. 24. Rom. 5. 16. Mat. 23. 23.

nas quas faciebant etiam quæque minutissima fructuum suorum: & ideò non dabant eleemosynas à seipsis incipientes, secúmque priùs misericordiam facientes, sicut isti eas dandas putant. Propter quem dilectionis ordinem dictum
Luc.10.27. Matt.23.25. est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Cùm ergo increpasset eos quòd forinsecus se lauabant, intus autem rapina & iniquitate pleni essent, admonens quandam eleemosynam quam sibi homo primitus debet dare, & interiora mundare:
Luc.11.41. *Veruntamen*, inquit, *quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Deinde vt ostenderet quid admonuisset, & quid ipsi facere non curarent, ne illum putarent eleemosynas eorum ignorare, *Sed væ vobis*, inquit, *Pharisæis*, tanquam diceret: Ego quidem commonui vos ad eleemosynam dandam per quam vobis omnia munda sint, sed væ vobis qui decimatis mentam & rutam & omne olus: has enim noui eleemosynas vestras, ne de illis me vos nunc admonuisse arbitremini: & præteritis iudicium & charitatem Dei, qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiori mundari, vt vobis munda essent & corpora quæ lauatis: hoc est enim omnia, & interiora scilicet & exteriora. Sicut alibi legitur:
Mat.23.27. *Mundate quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt.* Sed ne istas eleemosynas quæ fiunt de fructibus terræ, respuisse videretur: *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, id est, iudicium & charitatem Dei: *& illa non omittere*, id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

Ca.LXXVII. *Non indulgendū vitiis freto eleemosynis.* NON ergo se fallant, qui per eleemosynas quaslibet largissimas fructuum suorum vel cuiuscunque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum suorum immanitate ac flagitiorum nequitia permanendi: non solùm enim hæc faciunt, sed ita diligunt, vt in eis semper optent tantùm si possint
Psal.10.5. Ioan.12.25. impunè versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: & qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundùm seculum, odit eam secundùm Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam munda illi essent omnia, odisset eam secundùm seculum, & diligeret eam secundùm Deum. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi vnde det ab illo
Psal.58.11. accipiat qui non eget, & ideò dictum est: *Misericordia eius præueniet me.*

QVÆ sint autem leuia & quæ grauia peccata, non humano, sed diuino sunt pensanda iudicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod venerabilis Paulus coniugibus ait: *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum ad idipsum reuertimini, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram*: quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniugi non filiorum procreandorum causa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: vt fornicationis, siue adulterij, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum quod turpe est etiam dicere, quò potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium deuitet infirmitas. Posset ergo (vt dixi) hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* Quis autem iam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur? Tale quiddam est vbi dicit: *Audet quisquam vestrum aduersus alterum negotium habens iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* Et paulò pòst: *Secularia igitur iudicia si habueritis,* inquit, *eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad iudicandum. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens qui possit inter fratrem & fratrem iudicare: sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.* Nam & hic posset putari iudicium habere aduersus alterum, non esse peccatum, sed tantummodò id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret: iam quidem omnino delictum est inter vos, quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, vt diceret iustum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit à se iudicum sententia remoueri: continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit atque ait: *Quare non magis iniquitatem patimini? Quare nō potiùs fraudamini?* Vt ad illud redeatur quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium.* Et alio loco: *Qui abstulerit,* inquit, *tua, noli repetere.* Prohibuit itaque suos de secularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum. Tamen cùm sinit in Ecclesia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat: manifestum est etiam

Ca. L. xviii *Peccata leuia.*
1. Cor. 7. 5.
1. Cor. 6. 1.
Mat. 5. 40. Luc. 6. 30.
1. Cor. 6. 7.

hic quid secundùm veniam concedatur infirmis. Propter hæc atque huiusmodi peccata, & alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus Apostolo Iacobo confitente ac dicente : *In multis enim offendimus omnes:* oportet vt quotidie crebióque oremus Dominum atque dicamus : *Dimitte nobis debita nostra;* nec in eo quod sequitur mentiamur: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Iac.3.2. Mat..6 2.

Cap.LXXIX. Qualenia videntur esse interdū grauissima.

Svnt autem quædam quæ leuissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fratri suo fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret? Cui tamen vulneri subiecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adiungens. Mox quippe ait : *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c.* Aut quis æstimaret quam magnum peccatum sit, dies obseruare & menses & annos & tempora : sicut obseruant qui certis diebus siue mensibus siue annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eo quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora : nisi huius mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: *Timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis.*

Matt.5.22. Gal.4.11.

Cap.LXXX. Peccata horrenda vsu videntur etiā leuia.

Hinc accidit, quòd peccata quamuis magna & horrenda cùm in consuetudinem venerint, aut parua aut nulla esse creduntur : vsque adeò vt non solùm non occultanda, verùm etiam iam prædicanda ac diffamanda videantur : quando sicut scriptum est : *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur.* Talis in diuinis libris iniquitas clamor vocatur. Sicut habes apud Isayam Prophetam de vinea mala: *Expectaui, inquit, vt faceret iudicium, fecit autem iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem.* Vnde est illud in Genesi : *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quia non solùm iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùmetiam publicè velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem iam venerunt, vt pro his non solùm excommunicare aliquem Laïcum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Vnde cùm exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco vbi ait Apostolus: *Timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis, exclamare compulsus sum :* Væ

Psal.9. Isa 5.7. Gen.18.20. Tomo 4. Galat.4 11.

peccatis hominum quæ sola inusitata exhorrescimus, vsitata verò pro quibus abluendis filij Dei sanguis effusus est, quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam, ô Domine, non omnia quæ non potetimus prohibere, faciamus. Sed videro vtrum me immoderatus dolor incautè aliquid compulerit dicere.

Hoc nunc dicam quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpe iam dixi. Duabus ex causis peccamus: aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos conuenit, sed profectò vincimur, nisi diuinitùs adiuuemur, vt non solùm videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes videntésque peccamus: iam non solùm peccatores, quod etamus etiam cùm per ignorantiam peccabamus, verùm etiam legis præuaricatores, cùm id non facimus quod faciendum iam esse nouimus, vel facimus quod non faciendum esse iam scimus. Quapropter non solùm si peccauimus vt ignoscat, propter quod dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* verùm etiam ne peccemus vt regat, propter quod dicimus, *Ne nos inferas in tentationem;* ille rogandus est cui dicitur in Psalmo: *Dominus illuminatio mea & salus mea:* vt illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem.

Cap. LX. XI. *Peccati causa duæ.* — Mat. 6.12. — Psal. 26.1.

NAM & ipsa pœnitentia quando digna causa est secundùm morem Ecclesiæ vt agatur, plerunque infirmitate non agitur: quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat hominum æstimatio, quàm iustitia qua se quisque humiliat pœnitendo. Vnde non solùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioquin non diceret Apostolus de quibusdam: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam* Et vt Petrus amarè fleret, præmisit Euangelium, & ait: *Respexit eum Dominus.*

Cap. LXXXII. *Misericordia Dei necessaria vbique.* — 2. Tim. 2.25. — Luc. 22.61.

QVI verò in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obsti-

Cap. LXXXIII. *Peccatum in Spiritum*

sanctum. natione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. De qua quæstione difficili in quodam propter hoc solùm conscripto libello enucleatissimè quantum potui disputaui.

De verbis Domini, serm. 11. & epist. 50. in fine.

Ca. LXXXIV. *Carnis resurrectio.*

IAM verò de resurrectione carnis non sicut quidam reuixere, iterúmque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christi ipsius caro resurrexit, quemadmodum possim breuiter disputare, & omnibus quæstionibus quæ de hac re moueri assolent satisfacere, non inuenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

Cap. LXXXV *Fœtus abortiui.* Lib. 22. de ciuit. Dei. c. 12. & 13.

VNDE primò occurrit de abortiuis fœtibus quæstio, qui iam quidem nati sunt in vteris matrum, sed nondum ita vt iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de iis qui iam formati sunt, tolerari potest vtcunque quod dicitur. Informes verò abortus quis non procliuiùs perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, etsi affirmare non audeat, id acturam resurrectionem, vt quicquid formæ defuit impleatur? Atque ita non desit perfectio quæ accessura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia quæ accesserunt tempore: vt neque in eo quod aptum & congruum dies allaturi fuerant, natura fraudetur: neque in eo quod aduersum atque contrarium dies attulerant, natura turpetur: sed integretur quod nondum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum.

Cap. LXXXVI *Fœtus in vtero quando viuere incipiat.*

AC per hoc scrupulosissimè quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod vtrum ab homine inueniri possit ignoro, quando incipiat homo in vtero viuere. Vtrum sit quędam vita & occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur vt eiiciantur ex vteris pręgnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicunque illi mors potuit euenire, quomodò ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.

NEQVE

Ca. LXXXVII. *Monstrosi fœtus.*

NEQVE enim & monstra quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potiùs correcta emendatáque natura. Absit enim vt illum bimembrem, qui nuper natus est in Oriente, de quo & fratres fidelissimi qui eum viderunt retulerunt, & sanctæ memoriæ Hieronymus Presbyter scriptum reliquit: Absit, inquam, vt vnum hominem duplicem ac non potiùs duos, quod futurum fuerat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera quæ singuli quique partus vel ampliùs vel minùs aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram resurrectione reuocabuntur: ita vt singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus etiam quæcunque cohærentia nata fuerant: sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.

Hier. ad Vitalem. Lib. 16 de ciu. Dei c. 8.

C. LXXXVIII. *Instauratio carnis quocunq. modo perierit.*

NON autem perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cinerémve soluatur, in quoslibet halitus auráfque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat carnémque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.

Ca. LXXXIX. *Superflua instaurati corporibus nõ accedunt.*

IPSA itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur & in alias atque alias aliarum rerum species formásque vertuntur, quamuis ad corpus redeant vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si vnguibus quod toties dempsit exectio immoderata & indecens cogitantibus, & ideò resurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum ex quo constituta fuerat, restitutá resumeret: ita Deus mira-

Lib. 22. de ciu. Dei, c. 19.

biliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues: an quicquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia ne quid indecens fiat.

Cap. xc. *Corporibus suus decor addetur.*

NEC illud est consequens, vt ideò diuersa sit statura reuiuiscentium singulorum, quia fuerat diuersa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reuiuiscant. Sed si hoc est in consilio creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas & discernibilis similitudo seruetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur: ita modificabitur illa in vnoquoque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur: hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod & hominem reddat Angelicis cœtibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quicquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.

Cap. xci. *Resurgent corpora omni vitio libera.*

RESVRGENT igitur Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cùm proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc *corpus animale* dicitur, quod tamen corpus, non anima est: ita tunc *spiritale corpus erit*, corpus tamen non spiritus erit. Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc *aggrauat animam*, & ad vitia, quibus *caro aduersus spiritum concupiscit*, tunc non erit caro sed corpus, quia & cælestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et tanquam exponens quid dixerit: *Neque corruptio*, inquit, *incorruptionem possidebit.* Quod priùs dixit, *caro & sanguis*, hoc posteriùs dixit *corruptio*; & quod priùs *regnum Dei*, hoc posteriùs *incorruptionem*. Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem

[Margin: 1.Co.15.44 / Sap.9.15. / Gal.5.17. / 1.Co.15.50. / Luc.24.39.]

corpus Christi caro appellatum est. Sed ideò ait Apostolus: *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale:* quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, viuificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nosipsos patiamur inimicos. 1.Co.15.44.

QVICVNQVE verò ab illa perditionis massa quæ facta est per hominem primum, non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, resurgent quidem etiam ipsi vnusquisque cum sua carne, sed vt cum diabolo & Angelis eius puniantur. Vtrum sanè ipsi cum vitiis & deformitatibus suorum corporum resurgant, quicunque in eis vitiosa & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Nec moueat quomodò in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit, aut quomodò corruptibile si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi vbi feliciter viuitur: nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infelix mori non finitur, vt ita dicam, mors ipsa non moritur: & vbi dolor perpetuus non interimit sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur. Cap.xcii. Corpora damnatorum. 1.Tim.2.5. Lib.21.de ciu.Dei.c.5. Apoc.2. 11 & 20.14.

NEC prima tamen mors, qua suum corpus anima relinquere cogitur, nec secunda qua pœnale corpus animam relinquere non permittitur, homini accidisset, si nemo peccasset. Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tantò quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hîc minorem habuit iniquitatem. Cap. xciii. Infantium conditio.

REMANENTIBVS itaque Angelis & hominibus reprobis in æterna pœna, tunc Sancti scient pleniùs quid boni eis contulerit gratia. Tunc rebus ipsis euidentibus apparebit quod in Psalmo scriptum est: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, & nisi per debitum iudicium nemo damnatur. Cap.xciv. Sancti pleniùs cognoscent bonitatem Dei. Psal. 100.1.

TVNC non latebit quod nunc latet, cùm de duobus par- Cap.xcv.

Quæ nunc occulta, eorum reuelabuntur. uulis vnus esset assumendus per Dei misericordiam, alius per iudicium relinquendus; in quo is qui assumeretur agnosceret, quid sibi per iudicium deberetur, nisi misericordia subueniret: cur ille potiùs quam iste fuerit assumptus, cùm causa vna esset ambobus: cur apud quosdam non factæ sunt virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam, & factæ sint apud eos qui non fuerant credituri. Apertissimè namque Dominus dicit: *Væ tibi Corozaim, & væ tibi* Mat. 11. 21. *Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Nec vtique Deus iniustè noluit saluos fieri, cùm possent salui esse, si vellet. Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quàm certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas Dei, quàm multa possit & non velit, nihil autem velit quod non possit, quámque sit verum quod in Psalmo canitur: Psal. 113. 11. *Deus autem noster in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit.* Quod vtique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit. Et quod est indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.

Cap. xcvi. Omnipotens Deus. NEC dubitandum est Deum facere bene etiam sinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Et profectò bonum est omne quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, inquantum mala sunt non sint bona: tamen vt non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui proculdubio quàm facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

Cap. xcvii. De saluandis & perdendis voluntate Dei. QVAMOBREM videndum est quemadmodum sit de Deo dictum, quia & hoc Apostolus verissimè dixit, *quia omnes homines vult saluos fieri.* Cùm enim non omnes, sed multò plu-

res non fiunt salui, videtur vtique non fieri quod Deus vult 1.Tim.2.4.
fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salui fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de paruulis dici non potest, quorum nondum est velle, seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati iudicaretur esse tribuendum, quando baptizantur, cùm resistunt quantum possunt, etiam nolentes saluos eos fieri diceremus. Sed apertiùs Dominus in Euangelio compellans impiam ciuitatem: *Quoties*, inquit, *volui colligere filios tuos sicut gallina pullos suos & noluisti*: tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et vbi est illa omnipotentia qua *in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit*, si colligere filios Hierusalem voluit, & non fecit? An potiùs & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios eius collegit ipse quos voluit: quia in cælo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, sed omnia quæcunque voluit fecit. Mat.23.37. Psal.113.11.

Cap. XCVIII. Gratia & prædestinatio.
QVIS porrò tam impiè desipiat vt dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? Sed cùm facit, per misericordiam facit; cùm autem non facit, per iudicium non facit. Quoniam *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. Quod cùm diceret Apostolus, gratiam, commendabat: ad cuius commendationem de illis in Rebeccæ vtero geminis fuerat iam locutus: quibus *nondum natis, nec aliquid agentibus boni seu mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori*. Propter quod adhibuit alterum propheticum testimonium, vbi scriptum est: *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*. Sentiens autem quemadmodum posset hoc quod dictum est permouere eos qui penetrare intelligendo non possunt hanc altitudinem gratiæ, *Quid ergo dicemus*, ait? *Nunquid iniquitas est apud Deum?* Absit. Iniquum enim videtur vt sine vllis bonorum malorúmve operum meritis, vnum Deus diligat, odiátque * alterum. Quia in re si futura opera vel bona huius vel mala illius, quæ Deus vtique præsciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, *non ex operibus*, sed diceret, ex futuris ope- Rom.9.18. Malac.1.2. Rom.9.14. al.* oderit. Matt.11.22.

ribus, eóque modo istam solueret quæstionem: imò nullam quam solui opus esset faceret quæstionem. Nunc verò cùm respondisset, *absit*, id est, absit vt sit iniquitas apud Deum, mox vt probaret nulla hoc iniquitate Dei fieri, inquit: *Moysi*
Exo.33.19. *enim dicit, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero.* Quis enim nisi insipiens Deum iniquum putet, siue iudicium pœnale ingerat digno, siue misericordiam præstet indigno? Denique infert & dicit: *Igitur non*
Rom.9.16. Eph.2.3. *volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ambo itaque gemini natura filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, *miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero*, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esaü autem odio habuit per iudicium debitum. Quod cùm deberetur ambobus, in altero alter agnouit non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de diuinæ gratiæ largitate, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Altissimo quippe ac saluberrimo Sacramento vniuersa facies, atque (vt ita dixerim) vultus sanctarum scripturarum, bene intuentes id admonere inuenitur, vt *qui gloria-*
1.Co.10.17. *tur, in Domino glorietur.*

Cap. xcix. Misericordia & iudicium Dei. CVM autem Apostolus misericordiam Dei commendasset in eo quod ait, *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: deinde vt etiam iudicium commendaret, quoniam in quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed iudicium, non est quippe iniquitas apud Deum, continuò subiecit atque ait: *Dicit enim scriptura Pharaoni, Quia ad hoc te*
Exo 9.16. *excitani, vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra.* Quibus dictis ad vtrumque concludens, id est, ad misericordiam & ad iudicium, inquit: *Ergo*
Rom.9.18. *cuius vult miseretur Deus, & quem vult obdurat.* Miseretur, scilicet magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia Redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat massam ab origine ducta causa communis. Hoc autem qui eo modo audit vt dicat, *quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit?* tanquam propterea malus non videatur esse culpan-

dus, quia *Deus cuius vult miseretur, & quem vult obdurat:* absit vt pudeat nos hoc respondere, quod respondisse videmus Apostolum? *O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hoc enim loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse, & inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, *O homo tu quis es?* Et in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem reuocat hominem verbo quidem breui, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim non capit hæc, quis est qui respondeat Deo? Si autem capit, magis non inueniet quid respondeat. Videt enim si capit, vniuersum genus humanum tam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatum, vt etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam: & qui liberantur, sic oportuisse liberari: vt ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis, ostenderetur quid meruisset vniuersa conspersio, & quò etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eius indebita misericordia subueniret: vt volentium de suis meritis gloriari, *omne os obstruatur: & qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Rom.9.20. Lib.15 de ciu. Dei c.1.

Rom 3. 19. 1.Cor. 1. 31.

HÆC sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius;* & tam sapienter exquisita, vt cùm angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit: bene vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos iustè prædestinauit ad pœnam, & ad eorum salutem quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea namque *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius*, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret si non

Cap. c. *Nihil fit cōtra volūtatem Dei.* Psal.110.2.

fineret: nec vtique nolens finit, sed volens. Nec fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.

Cap. ci. Bona voluntas aliadei, alia hominis.

ALIQVANDO autem bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipse bona multò ampliùs multóque certiùs voluntate: nam illius mala voluntas esse nunquam potest. Tanquam si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste verò id vult, quod vult & Deus: & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potiùs consonat, quamuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas vtique bonas ita implet per malorum hominum voluntates malas. Sicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est. Quod tantum bonum factum est, vt Apostolus Petrus quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso qui occidi venerat diceretur. Quàm bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum Hierusalem pergere, ne ibi pateretur mala quæ Propheta Agabus prædixerat: & tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuncianda fide Christi, exercens martyrem Christi. Neque enim iste bonam voluntatem suam impleuit per Christianorum voluntates bonas, sed per Iudæorum malas: & ad eum potiùs pertinebant qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat, quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

Mat. 16. 23.

Act. 21. 2.

Cap. cii. Voluntas Dei.

SED quantælibet sint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est: quæ mala esse nunquam potest, quia etiam cùm mala irrogat, iusta est, & profectò quia iusta est, mala non est. Deus igitur omnipotẽs siue per misericordiam, cuius vult misereatur siue per iudicium quem vult obduret, nec iniquè

què aliquid facit, nec nisi volens quicquam facit, & omnia quæcunque vult facit.

Ac per hoc cùm audimus & in sacris literis legimus, quòd velit omnes homines saluos fieri: quamuis certum sit nobis non omnes homines saluos fieri, non tamen ideò debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare, sed ita intelligere quod scriptum est: *Qui vult omnes homines saluos fieri*: tanquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit: non quòd nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit, sed quòd nullus fiat nisi quem velit, & ideò sit rogandus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, vt hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euangelio scriptum est: *Qui illuminat omnem hominem*, non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur. Aut certè sic dictum est: *Qui omnes homines vult saluos fieri*, non quòd nullus hominum esset quem saluum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset: sed vt omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum, reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum vnde non Deus per vnigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes saluos fieri homines velit, & ideò faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest quodcunque voluerit? Præceperat enim Apostolus, vt oraretur pro omnibus hominibus, & specialiter addiderat, pro regibus & iis qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbia seculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens: *Hoc enim bonum est coram saluatore nostro Deo*, id est, vt etiam pro talibus oretur: statim vt desperationem tolleret, addidit; *Qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*. Hoc quippe Deus

Cap. CIII. Exponitur dictum Apostoli, Qui vult omnes saluos fieri.

1. Tim. 2. 4.

Ioan. 1. 9.

1. Tim. 2. 4.

Nn

bonum iudicauit, vt orationibus humilium, dignaretur salutem præstare sublimium. Quod vtique iam videmus impletum. Isto locutionis modo & Dominus est vsus in Euange-
Luc.11.42. lio, vbi ait Pharisæis: *Decimatis mentam & rutam & omne olus.* Neque enim Pharisæi & quæcunque aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, omne olerum genus: ita & illic omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus: & quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factúmque non esse: qui sine vllis ambiguitatibus si in cælo & in terra, sicut & veritas cantat, *omnia quæcun-*
Psal.113.11. *que voluit, fecit*, profectò facere noluit quodcunque non fecit.

Cap. civ. Præscientia Dei. QVAPROPTER etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eúmque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, vbi iam non solùm peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset. Quia verò eum malè vsurum libero arbitrio, hoc est peccaturũ esse præsciebat, ad hoc potiùs præparauit voluntatem suam, vt bene ipse faceret, etiam de malefaciente, ac sic hominis voluntas mala non euacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentis bona.

Cap. cv. Volũtas nostra qualis futura sit. SIC enim oportebat priùs hominem fieri, vt & bene velle posset & malè, nec gratis si bene, nec impunè si malè: postea verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. Sicut ergo nunc etiam anima nostra nolle infelicitatem, ita tunc nolle iniquitatem semper habitura est. Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quàm bonum sit animal rationale quod etiam peccare possit, quamuis sit melius quod peccare non possit: sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit in qua.

posset etiam mori, quamuis maior futura sit in qua non possit mori.

ILLAM natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc est acceptura per gratiam quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum: quamuis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset. Quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit, nemo est enim qui non seipsum, vt nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere, ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adiutoria siue alimentorum siue quorumcunque tutaminum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem, vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adiuuaret. Sed post illam ruinam maior est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatum. Nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur: vt voluntas ipsa, sicut scriptum est, à Domino præparetur, qua cætera Dei munera capiantur per quæ veniatur ad munus æternum.

Cap. CVI. *Liberum arbitrium & gratia.*

VNDE & ipsam vitam æternam, quæ certè merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus: *Stipendium enim*, inquit, *peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit, *Stipendium peccati mors*: vt mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis sit, *gratia non est*, intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Sic ergo factus est homo rectus, vt & manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio diuino, & suo fieri peruersus arbitrio: & vtrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia suam maluit facere quàm Dei, de illo facta est voluntas Dei, qui ex eadem massa perditionis quæ de illius stirpe profluxit, *facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*; in honorem, per mi-

Cap. CVII. *Gratia & stipendium peccati.* Rom. 6. 23. Rom. 11. 6. Rom. 9. 21.

fericordiam; in contumeliam, per iudicium: vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se.

Cap. cviii. Mediator Christus. 2. Tim. 2. 5. Heb. 11. 15.

NAM neque per ipsum liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum, Christum *Iesum*, nisi esset & Deus. Sed cùm factus est Adam homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Cùm verò genus humanum peccata longè separauerunt à Deo, per mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit & occisus est, reconciliari nos oportebat Deo vsque ad carnis resurrectionem in vitam æternam: vt & humana superbia per humilitatem Dei argueretur ac sanaretur, & demonstraretur homini quàm longè à Deo recesserat, cùm per incarnatum Deum reuocaretur, & per hominem Deum exemplum obedientiæ contumaci homini præberetur, & Vnigenito suscipiente formam serui, quæ nihil antè meruerat, fons gratiæ panderetur, & carnis etiam resurrectio redemptis promissa in ipso redemptore præmonstraretur, & per eandem naturam quam se decepisse lætabatur diabolus vinceretur: nec tamen homo gloriaretur, ne iterum superbia nasceretur; & si quid aliud de tanto mediatoris Sacramento à proficientibus videri & dici potest, aut tantùm videri, etiam si non dici potest.

Cap. cix. Locus animarũ vsque ad iudicium futurum.

TEMPVS autem quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cùm viueret.

Cap. cx. Bona opera pro defunctis.

NEQVE negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus vt non requirat ista post mortem, nec tam malus vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm ex hac vita transierit, adiuuari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret quod hîc neglexerit cùm obierit apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ

sunt aduersa sententiæ, qua dictum est: *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum:* quia etiam hoc meritum sibi quisque cùm in corpore viueret comparauit, vt ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Cùm ergo sacrificia siue altaris siue quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio. Rom. 14.10. 2.Cor. 5.10.

POST resurrectionem verò facto vniuerso completóque iudicio, suos fines habebunt ciuitates duæ, vna Christi, altera diaboli: vna bonorum, altera malorum; vtraque tamen Angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit vlla esse peccandi: vel vlla conditio moriendi, istis in æterna vita verè feliciterque viuentibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria verò illi alius alio tolerabilius permanebunt. Cap. cxi. Duæ ciuitates post iudicium.

FRVSTRA itaque nonnulli, imò quàm plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt: non quidem scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quam veriùs. *Non enim obliuiscetur,* inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas.* Hoc quidem in Psalmo legitur sancto. Sed de his sine vllo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur, quia & ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideò necesse est vt damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est: *Et ibunt hi in supplicium æternum*, ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus econtrariò di- Cap. cxii. Pœna impiorum an æterna. Psal. 76.10. Mat. 25.46.

ctum est: *Iusti autem in vitam æternam.* Sed pœnas damnatorum certis temporum interuallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest *manere in illis ira Dei*, hoc est ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio: vt in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed leuamen adhibendo vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait, ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed *in ira sua.* Quæ si sola esset quanta ibi minima cogitari potest, perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam *magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se*, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta quæ nouimus comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quamlibet multis seculis longa.

Ioan. 3. 36.
Psal. 30. 20.

Cap. CXIII. *Mors impiorum vt vita piorum perpetua.*

MANEBIT ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum releuatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur, sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgeant.

Cap. CXIV. *Confessio fidei.*
1. Cor. 3.
Heb. 5. 12.

Ex ista fidei confessione quæ breuiter symbolo continetur, & carnaliter cogitata lac est paruulorum, spiritaliter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui charitas sancta comitatur; sed de iis omnibus quę fideliter sunt credenda, ea tantùm ad spem pertinent quæ in oratione Dominica continentur. *Maledictus est* enim omnis, sicut diuina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine:* ac per hoc in semetipso qui spem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideò non nisi à Domino Deo petere debemus quicquid speramus nos vel bene operaturos vel pro bonis operibus adepturos.

Hier. 17. 5.

Cap. CXV. *Oratio Dominica.*

PROINDE apud Euangelistam Matthæum septem petitiones continere Dominica videtur oratio: quarum in tribus æterna poscuntur, in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod

dicimus, *Sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: quod non absurdè quidam intellexerunt in spiritu & corpore, omnino retinenda sunt sine fine: & hic inchoata quantumcunque proficimus augentur in nobis: perfecta verò, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod verò dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo*; quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna vbi nos semper speramus futuros, & nominis Dei sanctificatio, & regnum eius & voluntas eius in nostro spiritu & corpore perfectè atque immortaliter permanebunt. Panis verò quotidianus ideò dictus est, quia hîc est necessarius, quantus animæ carníque tribuendus est, siue spiritaliter, siue carnaliter, siue vtroque intelligatur modo. Hîc est etiam quam poscimus remissio, vbi est commissio peccatorum: hîc tentationes quæ nos ad peccandum vel illiciunt vel impellunt: hîc denique malum vnde cupimus liberari, illic autem nihil est istorum. Matt. 6. 9.

Cap. cxvi. Eadem oratio secundùm Lucam. Luc. 11. 2.

EVANGELISTA verò Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est: nec ab isto vtique discrepauit, sed quomodò istæ septem sunt intelligendæ, ipsa sua breuitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodò repetitionem, magis eam prætermittendo fecit intelligi. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At verò quod ille in vltimo posuit, *sed libera nos à malo*, iste non posuit, vt intelligeremus ad illud superiùs quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideò quippe ait, *sed libera*, non ait, & libera, tanquam vnam petitionem esse demonstrans. Non hoc, sed hoc, vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo quòd non infertur in tentationem.

Cap. cxvii. Charitas. 1. Cor. 13. 13.

IAM porrò charitas, quam duabus istis, id est, fide ac spe maiorem dixit Apostolus, quantò in quocunque maior est, tantò melior est in quo est. Cùm enim quæritur, vtrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat aut speret, sed

quid amet. Nam qui rectè amat, proculdubiò rectè credit & sperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sunt vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat, nisi & hoc credat ac speret, quòd sibi petenti donari possit vt amet: Quamuis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest vt id non amet sine quo ad id quod sperat non potest peruenire. Tanquam si speret vitam æternam, quamuis non amet iustitiam sine qua nemo ad illam peruenit. Ipsa est autem fides Christi quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, & quod in dilectione nondum habet, petit vt accipiat, quærit vt inueniat, pulsat vt aperiatur ei. Fides namque impetrat quod lex
Gal. 5. 6. Matt. 7. 7. imperat: nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto, per
Rom. 5. 5. quem diffunditur charitas in cordibus nostris, iubere lex poterit, non iuuare, & præuaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas vbi non est Dei charitas.

Cap. CXVIII. Quatuor gradus ad felicitatem secundùm quatuor ætates.

SED cùm in altissimis ignorantiæ tenebris nulla resistente ratione viuitur secundùm carnem, hæc sunt prima hominis. Deinde cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, si nondum diuinus adiuuat spiritus, secundùm legem volens viuere vincitur, & sciens peccat, peccatóque subditus seruit: A
2. Pet. 2. 19. quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est: id agente scientia mandati, vt peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo præuaricationis adiecto,
Rom. 5. 20. atque ita quod scriptum est impleatur: Lex subintrauit vt abundaret delictum. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus vt ad implenda quæ mandat ipse adiuuare
Galat. 5. 17. credatur & agi homo cœperit Dei spiritu, concupiscitur ad-
Abac. 2. 4. uersus carnem fortiore robore charitatis: vt quamuis sit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen iustus viuat, iustéque viuat in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente dilectione iustitiæ. Hæc sunt tertia bonæ spei hominis: in quibus si pia perseuerantia quisque proficiat, postrema pax restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione etiam carnis implebitur. Harum quatuor differentiarum, prima est ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atque perfecta. Sic est & Dei populus ordinatus per

temporum interualla sicut Deo placuit, qui in mensura, numero & pondere cuncta disponit. Nam fuit primitùs ante legem: secundò sub lege, quæ per Moysen data est: deinde sub gratia, quæ reuelata est per primum mediatoris aduentum. Quæ quidem gratia nec antea defuit quibus impartiri eam oportuit, quamuis pro temporis dispensatione velata & occulta. Neque enim antiquorum quicunque iustorum præter Christi fidem salutem potuit inuenire. At verò nisi & illis cognitus fuisset, non potuisset nobis per eorum ministerium aliàs apertius, aliàs occultiùs prophetari. Sap. 11. 21. Ioan. 1. 17.

In quacunque autem quatuor istarum velut ætatum singulum quemque hominem gratia regenerationis inuenerit, ibi ei remittuntur præterita vniuersa peccata: & reatus ille nascendo contractus, renascendo dissoluitur. Támque multum valet quòd *spiritus vbi vult spirat*, vt quidam secundùm illam seruitutem sub lege esse non nouerint, sed cum mandato incipiant adiutorium habere diuinum. Cap. cxix. *Renascentia spiritus.* Ioan 3. 8.

Antequam possit autem homo capax esse mandati, secundùm carnem viuat necesse est: sed si iam Sacramento regenerationis imbutus est, nihil ei mors oberit si tunc ex hac vita migrauerit. Quia ideò Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur, nec tenebit regnum mortis eum, pro quo mortuus est ille liber in mortuis. Cap. cxx. *Sacramenti regenerationis.* Rom 14. 9. Psal 87. 6.

Omnia igitur præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus: *Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam *diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris*, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Charitas quippe ista Dei est & proximi: & vtique *in his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.* Adde Euangelium, adde & Apostolos: non enim aliunde vox ista est, *Finis præcepti est charitas*, &, *Deus charitas est.* Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum est: *Non mœchaberis*, & quæcunque non iubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus vnum est: *Bonum est homini mulierem non tangere*, tunc rectè fiunt cùm referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc seculo, & Cap. cxxi. *Charitas.* 1. Tim. 1. 5. Rom. 5. 5. Mat. 22 40. 1. Ioan. 4 16. Mat. 5. 27. 1. Cor. 7 1.

Oo

in futuro: nunc Deum per fidem, tunc per speciem, & ipsum proximum nunc per fidem. Non enim scimus mortales corda mortalium, tunc autem illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium. Et tunc laus erit vnicuique à Deo: quia id laudabitur & diligetur à proximo in proximo, quod ne lateat, ab ipso illuminabitur Deo. Minuitur autem cupiditas charitate crescente, donec veniat hîc ad tantam magnitudinem qua maior esse non possit. *Maiorem* enim *charitatem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis*. Ibi autem quis explicet quanta charitas erit, vbi cupiditas quam vel coërcendo superet nulla erit: quando summa sanitas erit, quando contentio mortis nulla erit.

1.Cor.4.5.

Ioan.15.13.

Cap. cxxii. *Cur hoc opus conscripserit.*

SED sit aliquando huius voluminis finis, quod ipse videris, vtrum Enchiridion vel appellare debeas vel habere. Ego tamen cùm spernenda tua in Christo *Iesu* studia non putarem, bona de te credens, in adiutorio nostri Redemptoris confidens ac sperans, téque in eius membris plurimùm diligens, librum ad te sicut valui, vtinam tam commodum quàm prolixum, de fide, spe & charitate conscripsi.





SANCTI
AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI.
DE SERMONE DOMINI IN MONTE secundùm Matthæum.

LIBER PRIMVS.



ERMONEM quem locutus est Dominus noster *Iesus Christus* in monte, sicut in Euangelio secundùm Matthæum legimus, siquis piè sobriéque considerauerit, puto quòd inueniet in eo, quod ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum. Quod polliceri non temere audemus, sed ex ipsis eiusdem Domini verbis conijcimus. Nam sic ipse sermo concluditur, vt appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit: *Omnis ergo qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabo eum viro sapienti*, & reliqua vsque ad eum locum, *Et facta est ruina eius magna.* Cùm ergo non dixit, *qui audit verba mea* tantùm, sed addidit dicens: *Qui audit verba mea hæc*, satis, vt arbitror, significauit, hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfectè instruere vitam eorum qui voluerint secundùm ea viuere, vt meritò comparentur ædificanti super petram. Hoc dixi, vt appareat istum sermonem omnibus præceptis quibus Christiana vita informatur esse perfectum. Nam de hoc capitulo diligentiùs suo loco tractabitur. Cap. I. Vide lib. 1. Retrac. c. 19. Matt. 7. 24

Huius igitur sermonis initium sic assumitur: *Cùm vidisset autem Iesus turbas multas, ascendit in montem, & cùm sedisset, ac-* Mat. 5. 1.

cesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens. Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora præcepta iustitiæ, quia minora erant quæ Iudæis data sunt. Vnus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundùm ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat: & per Filium suum maiora populo, quem charitate iam liberari conuenerat. Cùm autem minora minoribus, maiora maioribus dantur, ab eo dantur qui solus nouit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quòd dantur præcepta maiora propter regnum cælorum, & minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem vno Deo qui fecit cælum & terram. De hac ergo iustitia, quæ maior est, per Prophetam dicitur, *Iustitia tua sicut montes Dei:* & hoc bene significat, quòd ab vno magistro, solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterij. *Et accedunt ad eum discipuli eius,* vt audiendis illis verbis, hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis implendis etiam animo propinquabant. *Et aperiens os suum & docebat eos dicens.* Ista circumlocutio qua scribitur, *Et aperiens os suum,* fortassis ipsa mora commendat aliquantò longiorem futurum esse sermonem; nisi forte non vacet quòd nunc eum dictum est aperuisse os suum, quòd ipse in lege veteri, aperire soleret ora Prophetarum. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium: *Omnia vanitas & præsumptio spiritus.* Præsumptio autem spiritus, audaciam & superbiam significat. Vulgò etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur, & rectè, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Vnde scriptum est: *Ignis grando nix glacies spiritus procellarum.* Quis verò nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Vnde est etiam illud Apostoli: *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Quapropter rectè hîc intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem peruentura est ad summam sapientiam. *Initium* autem *sapientiæ timor Domini.* Quoniam & econtrariò, *Initium omnis peccati su-*

Psal. 35.7. Mat. 5.3. Eccl. 1.2. & 6.9. Psal. 148.8. 1. Cor. 8.1. Eccl. 1.16.

perbia ſcribitur. Superbi ergo appetant & diligant regna terrarum. Pſ.110. 10. Prou.9 10. Eccl.10.15.

BEATI autem *pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Cap. 11. *Beati mites, quoniam ipſi hereditate poßidebunt terram.* Illam credo terram, de qua in Pſalmo dicitur: *Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium.* Pſal. 141. Significat enim quandam ſoliditatem & ſtabilitatem hereditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum, tanquam loco ſuo requieſcit, ſicut corpus in terra: & inde cibo ſuo alitur, ſicut corpus ex terra: ipſa eſt requies & vita Sanctorum. Mites autem ſunt qui cedunt improbitatibus & non reſiſtunt malo, ſed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus. *Beati autem mites, quoniam ipſi hereditate poßidebunt terram,* de qua pelli non poſſunt.

Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Luctus eſt triſtitia de amiſſione charorum: conuerſi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœſtitia ſauciantur. Conſolabuntur ergo Spiritu ſancto, qui maxime propterea paracletus nominatur, id eſt, conſolator, vt temporalia amittentes æterna lætitia perfruantur. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Iam iſtos amatores dicit veri & inconcuſſi boni. Illo ergo cibo ſaturabuntur, de quo ipſe Dominus dicit: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei,* Ioan.4.34. quod eſt iuſtitia: & illa aqua de qua quiſquis biberit, vt idem dicit, *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus. Beatos eſſe dicit qui ſubueniunt miſeris, quod eis ita rependitur, vt de miſeria liberentur. *Beati mundi cordes, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quàm ergo ſtulti ſunt qui Deum iſtis exterioribus oculis quærunt cùm corde videatur, ſicut alibi ſcriptum eſt: *Et in ſimplicitate cordis quærite illum.* Hoc eſt enim mundum Sap.1.1. cor, quod eſt ſimplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non poteſt niſi oculis mundis, ita nec Deus videtur niſi mundum ſit illud quo videri poteſt. *Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.* In pace perfectio eſt vbi nihil repugnat, & ideò filij Dei pacifici, quoniam nihil reſiſtit Deo, & vtique filij ſimilitudinem patris habere debent. Pacifici autem in

ſemetipſis ſunt, qui omnes animi ſui motus componentes & ſubijcientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaléſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita ſunt ordinata omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſque communia. Atque idipſum quod excellit in homine, id eſt, mens & ratio, ſubijciatur potiori, quod eſt ipſa veritas vnigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt niſi ſuperiori ſeipſe ſubiiciat. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita conſummati perfectique ſapientis. De huiuſmodi regno pacatiſſimo & ordinatiſſimo miſſus eſt foras princeps huius ſeculi, qui peruerſis inordinatiſque dominatur. Hac pace intrinſecus conſtituta atque firmata, quaſcunque perſecutiones ille qui foras miſſus eſt, forinſecus concitauerit, auget gloriam quæ ſecundùm Deum eſt. Non aliquid in illo ædificio labefactans, ſed deficientibus machinis ſuis innoteſcere faciens quanta firmitas intus extructa ſit à Deo.

Cap. III. SEQVITVR, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum:* Sunt autem omnes iſtæ octo ſententiæ. Iam enim cætera compellans loquitur ad illos qui aderant dicens: *Beati eritis cùm vobis maledicent & perſequentur vos.* Superiores autem ſententias generaliter dirigebat. Non enim dixit, beati pauperes ſpiritu, quoniam veſtrum eſt regnum cælorum, ſed *quoniam ipſorum eſt*, inquit, *regnum cælorum.* Neque beati mites, quoniam vos poſſidebitis terram: ſed *quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et ita cæteras vſque ad octauam ſententiam, vbi ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Inde iam incipit loqui præſentes compellans, cùm & illa quæ ſupra dicta ſunt ad eos etiam pertinerent qui præſentes audiebant: & hæc poſtea quæ videntur præſentibus ſpecialiter dici, pertineant etiam ad illos qui abſentes vel pòſt futuri erant. Quapropter iſte ſententiarum numerus diligenter conſiderandus eſt. Incipit enim beatitudo ab humilitate. *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, non inflati, dum ſe diuinæ auctoritati ſubdit anima, timens poſt hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiam ſi fortè in hac vita beata ſibi eſſe videatur. Inde venit ad diuinarum ſcripturarum cognitionem, vbi oportet

eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat, & peruicacibus concertationibus efficiatur indocibilis. Inde iam incipit scire, quibus nodis seculi huius per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur. Itaque hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, vbi vehementer incumbitur, vt sese animus auellat ab eis quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur & sititur iustitia, & multùm necessaria est fortitudo, quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseuerantibus in labore datur euadendi consilium, quia nisi quisque adiuuetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, vt sese tantis miseriarum implicamentis expediat. Est autem iustum consilium, vt qui se à potentiori adiuuari vult, adiuuet & infirmiorem in quo est ipse potentior. Itaque *beati misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus.* Sexto gradu est cordis munditia de bona conscientia bonorum operum, valens ad contemplandum summum illud bonum quod solo puro & sereno intellectu cerni potest. Postremò est septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem & suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur: *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur* Octaua tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit & probat. Itaque in prima & in octaua nominatum est regnum cælorum: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et *beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Cùm iam dicitur, *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Septem sunt ergo quæ perficiunt, nam octaua clarificat, & quod perfectum est demonstrat, vt per hos gradus perficiantur & cæteri tanquam à capite rursum exordiens. Rom.8.35.

VIDETVR ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de quo Isayas loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis. Nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hîc verò ab inferioribus. Ibi namque incipit à sapientia Dei, & desinit ad timorem Dei, sed initium sapientiæ timor Domini est. Quapropter si gradatim Cap. iv. Isa 11. 2

tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: id est, non inflati, non
Rom. 11. 20. superbi, de quibus Apostolus dicit: *Noli altum sapere, sed time*, id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus. Qui enim piè quærit, honorat sanctam scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse. Vnde hic dicitur: *Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Scientia congruit lugentibus, qui iam cognouerunt in Scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona & vtilia ignorantes appetierunt, de quibus hic dicitur, *Beati qui lugent nunc.* Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus. Laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem à terrenis & corporalibus auertere cupientes. De quibus hic dicitur: *Beati qui esuriunt*
Mat. 5. 6. *& sitiunt iustitiam.* Consilium congruit misericordibus: hoc enim vnum remedium est de tantis malis euadendi, vt dimittamus sicut nobis dimitti volumus: & adiuuemus, in quo possumus alios, sicut & nos in quo non possumus cupimus ad-
Isa. 64. 4. iuuari. De quibus hic dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus*, & reliqua. Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
1. Cor. 2. 9. minis ascendit. De quibus hic dicitur: *Beati mundi corde*, & reliqua. Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus aduersus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo, de quibus hic dicitur: *Beati pacifici*, vnum autem præmium quod est regnum cælorum, pro his gradibus variè nominatum est. In primo sicut oportebat positum est regnum cælorum, quod est perfectæ summæque sapientiæ animæ rationalis. Sic itaque dictum est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum*; tanquam diceretur: *Initium sapientiæ timor Domini.* Mitibus hereditas, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus: *Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sunt: *Beati qui lugent*

gent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Esurientibus & sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus, fortitérque certantibus ad salutem: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Misericordibus misericordia, tanquam vero & optimo consilio vtentibus, vt hoc eis exhibeatur à potentiore quod inualidioribus ipsi exhibent: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Mundis corde, facultas videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Pacificis Dei similitudo, tanquam perfectè sapientibus formatísque ad imaginem Dei per regenerationem renouati hominis: *Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur.* Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis, credimus. Nam illa omnimoda & in Angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest: *Beati ergo qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc octaua sententia, quæ ad caput redit perfectúmque hominem declarat, significatur fortasse & circuncisione octaua die in veteri testamento: & Domini resurrectione post sabbatum, qui est vtique octauus, idémque primus dies: & celebratione octauarum feriarum quas in regeneratione noui hominis celebramus: & numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadraginta nouem, quasi octauus additur vt quinquaginta compleantur. Et tanquam redeatur ad caput, quo die missus est Spiritus sanctus, eo in regnum cælorum ducimur, & hereditatem accipimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur. Atque ita perfecti, omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate & iustitia sustinemus.

Vide S. Aug. l. 1. Retr. 19.

BEATI *eritis*, inquit, *cùm vobis maledicent & persequentur, & dicent omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Animaduertat quisquis delicias huius seculi & facultates rerum temporalium quærit in nomine Christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut de anima Ecclesiastica ore prophetico dicitur: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus,* nam extrinsecus maledicta & persecutiones & detractiones promittun-

Cap. v. Matt. 5. 11.

Ps. 44. 14.

tur: de quibus tamen magna merces est in cælis, quæ sentitur
Rom. 5. 2. in corde patientium, eorum qui iam possunt dicere: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine Christiano animas decipientes, multa talia patiuntur. Sed ideò excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantùm: *Beati qui persecutionem patiuntur*, sed additum est, *propter iustitiam.* Vbi autem sana fides non est, non
Abac. 2. 4. potest esse iustitia: *Quia iustus ex fide viuit.* Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant, quia similiter vbi
Rom. 1. 17. charitas non est, non potest esse iustitia. *Dilectio enim proxi-*
Rom. 13. 10. *mi malum non operatur.* Quam si haberent, non dilaniarent
Col. 1. 24. corpus Christi quod est ecclesia. Quæri autem potest quid intersit quod ait: *Cùm vobis maledicent, & omne malum dicent aduersum vos*, cùm maledicere, hoc sit, malum dicere. Sed aliter maledictum iactatur cum contumelia coram illo cui maledicitur, sicut Domino nostro dictum est: *Nonne verum*
Ioan. 8. 48. *dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Aliter cum
Ioan. 7. 12. absentis fama læditur, sicut de illo item scribitur; *Alij dicebant, quia Propheta est; alij autem dicebant, non, sed seducit populum.* Persequi autem est vim inferre vel insidiis appetere, quod fecit qui eum tradidit, & qui eum crucifixerunt.

Quid est sanè quòd etiam hoc non est nudè positum, vt diceretur: *Et dicent omne malum aduersum vos*, sed additum, *mentientes*: additum est etiam, *propter me?* Propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus & de famæ suæ turpitudine gloriari: & ideò dicere ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala: cùm & vera dicantur, quando & de illorum errore dicuntur; & si aliquando etiam nonnulla falsa iactantur, quod temeritate hominum plerumque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundùm veram fidem & Catholicam disciplinam Christianus vocatur. *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Non hìc cælos dici puto superiores partes huius visibilis mundi. Non

enim merces nostra, quæ inconcussa & æterna esse debet, in rebus volubilibus & temporalibus collocanda est: sed in cælis dictum puto, in spiritalibus firmamentis, vbi habitat sempiterna iustitia: in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua, cui peccanti dictum est: *Terra es & in terram ibis.* Gen 3. 19.
De his cælis dicit Apostolus: *Quoniam conuersatio nostra in cælis est.* Phil. 3. 20.
Sentiunt ergo iam istam mercedem qui gaudent spiritalibus bonis, sed tunc ex omni parte perficietur, *cùm* etiam *hoc mortale induerit immortalitatem: Ita enim persecuti sunt*, inquit, *& Prophetas qui ante vos fuerunt.* 1. Co. 15. 54. Matt. 5. 12.
Nunc persecutionem generaliter posuit, & in maledictis & in dilaceratione famæ: & bene exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solent persecutionem pati: nec tamen ideò Prophetæ antiqui timore persecutionis à veritatis prædicatione defecerunt.

RECTISSIME itaque sequitur: *Vos estis sal terræ.* Ostendens fatuos esse iudicandos, qui temporalium bonorum, vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. Cap. VI. Matt. 5. 13.
Itaque si sal infatuatum fuerit in quo salietur: id est, si vos per quos condiendi sunt quodammodò populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cælorum: qui erunt homines per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? Ergo *ad nihilum valet sal infatuatum, nisi vt mittatur foras & calcetur ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior, sed inferior non est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est. *Vos estis lumen mundi.* Quomodò dixit superiùs sal terræ; sic nunc dicit, *lumen mundi.* Nam neque superiùs ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus: sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis & extinguendis putoribus, Apostolicum salem Dominus misit. Et hîc mundum non cælum & terram, sed homines qui sunt in mundo vel diligunt mundum oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: id est, fundata super insignem magnámque iustitiam, quam significat etiam ipse mons in quo disputat Dominus. *Neque accendunt lucer-* Matt. 5. 14.

nam & ponunt eam sub modio. Quid putamus, ita esse dictum sub modio, vt occultatio tantùm lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret: Nemo accendit lucernam & occultat illam. An aliquid etiam modius significat, vt hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis: vt ideò quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus & temporalibus molestiæ patiatur? Et bene modius dicitur: Siue propter retributionem mensuræ, quia ea quisque recipit quæ

2.Cor.5.10. gessit in corpore: *Vt illic*, inquit, *recipiat vnusquisque quæ gessit in corpore*, & tanquam de hoc modio corporis alio loco dici-

Mat.7.2. tur: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Siue quoniam temporalia bona quæ corpore peraguntur, certa eorum mensura & inchoantur & transeunt, quam fortasse significat modius: æterna verò & spiritalia nullo tali fine coërcentur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Sub

Ioan.3.34. modio ergo lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subiicit, vt superior sit prædicatio veritatis, & inferior seruitus corporis; per ipsam tamen corporis seruitutem excellentior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est, per vocem & linguam & cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam cùm

1.Cor.9.27. dicit Apostolus: *Non sic pugno tanquam aerem cædens, sed castigo corpus meum & seruituti subiicio, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inueniar.* Quod verò ait: *Vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Domum puto dictam habitationem hominum, id est, ipsum mundum, propter id quod superiùs ait; *Vos estis lumen mundi.* Aut si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum.

Cap. VII. SIC *luceat*, inquit, *lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona facta vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Si tantummodò diceret, sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona facta vestra: finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, & qui

Gal.1. ambiunt ad honores & captant inanissimam gloriam. Contra

Psal.52. quos dicitur: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Et per Prophetam: *Qui hominibus placent confusi sunt*

quia Deus nihil fecit illos. Et iterum: *Deus confringit ossa eorum* Ib l.
qui hominibus placent. Et rursum Apostolus: *Non efficiamur* Gal. 5. 26.
inanis gloriæ cupidi. Et ipse iterum: *Probet autem se homo, & tunc* 1.Cor.11.28.
in semetipso habebit gloriam, & non in altero. Non ergo tantum dixit, *vt videant bona opera vestra,* sed addidit, & *glorificent Patrem vestrum qui in cælis est,* vt hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat vt hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem Dei, & propterea placeat hominibus vt in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, vt non hominem, sed Deum honorent: Sicut in ipso homine quem portabat *, Dominus ostendit, * al. qui portabatur.
vbi admiratæ sunt turbæ paralytico sanato virtutes eius, sicut in Euangelio scriptum est, *Timuerunt, & glorificauerunt* Matt. 9. 8.
Deum qui dedit potestatem talem hominibus. Cuius imitator Apostolus Paulus dicit: *Tantùm autem audientes erant, quoniam qui* Gal. 1. 23.
aliquando nos persequebatur, nunc euangelizat fidem, quam aliquando vastabat, & in me glorificabant Deum.

Posteaquam ergo cohortatus est audientes, vt se præpararent ad omnia sustinenda pro veritate atque iustitia, & non absconderent bonum quod accepturi erant, sed ea beneuolentia discerent vt cæteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes: incipit eos iam informare & docere quid doceant, tanquam si quærerent dicentes: Ecce volumus omnia sustinere pro tuo nomine, & doctrinam tuam non abscondere, sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi, & pro quo iubes omnia tolerari? Nunquid aliud dicturus es contra ea quæ in lege scripta sunt? Non, inquit.

NOLITE *enim putare, quoniam veni soluere legem aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* In hac enim senten- Cap. viii. Matt. 5. 17.
tia sensus duplex est, secundùm vtrumque tractandum est. Nam qui dicit, *non veni soluere legem, sed adimplere:* aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet. Illud ergo priùs consideremus quod primò posuit. Nam qui addidit quod minus habet, non vtique soluit quod inuenit, sed magis perficiendo confirmat, & ideò sequitur, & dicit: *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Dum enim fiunt etiam illa quæ adduntur ad perfectionem, multò magis

Vide lib. 1. Retract. 19. fiunt illa quæ præmiſſa ſunt ad inchoationem. Quòd autem ait: *Iota vnum, aut vnus apex non tranſibit à lege*, nihil poteſt aliud intelligi niſi vehemens expreſſio perfectionis, quando per literas ſingulas demonſtrata eſt: inter quas literas iota minor eſt cæteris, quia vno ductu fit: apex autem eſt etiam ipſius aliqua in ſummo particula. Quibus verbis oſtendit in lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Deinde ſubiecit: *Qui enim ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Mandata ergo minima ſignificantur per vnum iota & vnum apicem. Qui ergo ſoluerit & docuerit ſic, id eſt, ſecundùm id quod ſoluit, non ſecundùm id quod inuenit & legit, minimus vocabitur in regno cælorum: & fortaſſe ideò non erit in regno cælorum, vbi niſi magni eſſe non poſſunt. *Qui autem fecerit & docuerit ſic:* Qui autem fecerit, hoc eſt, qui autem non ſoluerit: & docuerit ſic, ſecundùm id quod non ſoluit: quòd verò magnus vocabitur in regno cælorum, ſequitur vt etiam ſit in regno cælorum, quò magni admittuntur: ad hoc enim pertinet quod ſequitur.

Cap. ix. DICO *enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum;* id eſt, niſi non ſolùm illa minima legis præcepta impleueritis quæ inchoant hominem, ſed etiam iſta quæ à me adduntur, qui non veni ſoluere legem, ſed implere, non intrabitis in regnum cælorum. Sed dicis mihi: Si de illis mandatis minimis cùm ſuperiùs loqueretur dixit, minimum vocari in regno cælorum quiſquis vnum eorum ſoluerit, & ſecundùm ſuam ſolutionem docuerit: magnum autem vocari quiſquis ea fecerit & ſic docuerit, & ex eo iam in regno cælorum futurum eſſe quia magnus eſt: quid opus eſt addi præceptis legis minimis, ſi iam in regno cælorum poteſt eſſe, quia magnus eſt quiſquis ea fecerit & ſic docuerit? Quapropter ſic eſt accipienda illa ſententia: *Qui autem fecerit & docuerit ſic, magnus vocabitur in regno cælorum*: id eſt, non ſecundùm illa minima, ſed ſecundùm ea quæ ego dicturus ſum. Quæ ſunt autem iſta? *Vt abundet iuſtitia*, inquit, *veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum*: quia niſi abundauerit iuſtitia, non intrabitis in regnum cælorum. Ergo qui ſoluerit illa minima & ſic docuerit minimus vocabitur; qui autē fecerit illa minima, & ſic docue-

rit, non iam magnus habendus est & idoneus regno cælorum, sed tamen non tam minimus quam ille qui soluit. Vt autem sit magnus atque illi regno aptus, facere debet & docere, sicut Christus nunc docet: id est, vt abundet iustitia eius super Scribarum & Pharisæorum. Iustitia Pharisæorum est, vt non occidant: iustitia eorum qui intraturi sunt in regnum cælorum, vt non irascantur sine causa. Minimum est ergo non occidere, & qui illud soluerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleuerit vt non occidat, non continuò magnus erit & idoneus regno cælorum: sed tamen ascendit aliquem gradum, perficietur autem si nec irascitur sine causa. Quòd si perfecerit, multò remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet vt non irascamur, non soluit legem ne occidamus, sed implet potiùs, vt & foris dum non occidimus, & in corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

Audistis ergo, inquit, *quia dictum est antiquis. Non occides. Qui autem occiderit, iudicio reus erit. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quid interest inter reum iudicio, & reum concilio, & reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum grauissimum sonat, & admonet gradus quosdam factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideò si leuius est reum esse iudicio quàm reum esse cõcilio, ita leuius est reũ esse concilio, quã esse reum gehennę ignis. Itaq; oportet leuius esse intelligatur irasci sine causa fratri quã dicere racha, & rursus leuius esse dicere racha, quã dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata cõmemorarentur. Vnum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec Græcum, nec Latinum est, racha, cætera verò in sermone nostro vsitata sunt. Nonnulli autem de Græco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dici racha, quoniam Græcè dicitur pannus ῥάκος. A quibus tamen cùm quæritur quid dicatur Græcè pannosus, non respondent racha: sed deinde non posset Latinus interpres vbi posuit racha, pannosum ponere, nec vti verbo quod & in Latina lingua nullum sit, & in Græca inusitatum. Probabilius est ergo, quod audiui à quodam Hebræo, cùm

Exo. 20. 13. Vide lib. 1. Retract. 19.

Racha quid.

id interrogassem: dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interiectiones Grammatici vocant, particulas orationis significantes commoti animi affectum: velut cùm dicitur à dolente, heu: velut ab irascente, hem. Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguam facile transferuntur. Quæ causa vtique coëgit tam Græcum interpretem quã Latinum vocem ipsam ponere, cùm quomodò eam interpretaretur non inueniret. Gradus itaque sunt in istis peccatis, vt primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur, plus est vtique quàm si surgens ira silentio premeretur. Si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quod iam certam eius vituperationem in quem profertur designet & notet, quis dubitet amplius hoc esse quàm si solus indignationis sonus ederetur. Itaque in primo vnum est, id est, ira sola: in secundo duo, & ira & vox quæ iram significat: in tertio tria, & ira & vox quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis * expressio.

Tres gradus iræ.

* *al.* in indignationis.

Vide nunc etiam tres reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc defensioni datur locus. In concilio autem quanquam & iudicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio: quando non iam cum ipso reo agitur, vtrum damnandus sit, sed inter se qui iudicant conferunt quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum. Gehenna verò ignis, nec damnationem habet dubiam sicut iudicium, nec damnati pœnam, sicut concilium: in gehenna verò ignis certa est & damnatio & pœna dãnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis & in reatu, sed quibus modis inuisibiliter exhibeãtur pœnę meritis animarum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum intersit inter iustitiam Pharisæorum, & iustitiam maiorem quæ in regnum cælorum introducit. Quòd cùm sit grauius occidere quàm verbo irrogare conuitium, ibi occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod

trium

trium illorum peccatorum leuissimum est: quia illic quæstionem homicidij inter homines agitabant: hic autem omnia diuino iudicio dimittuntur, vbi finis damnatorum est gehennæ ignis. Quisquis autem dixerit quòd grauiore supplicio in maiore iustitia punitur homicidium, si gehenna ignis punitur conuitium, cogit intelligi esse differentias gehennarum. Sanè in tribus istis sententiis subauditio verborum intuenda est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, vt nihil subaudiatur: *Qui irascitur*, inquit, *fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* In secunda verò cum ait; *Qui autem dixerit fratri suo racha*, subauditur, sine causa, & ita iungitur, *reus erit concilio.* Iam in tertia vbi ait: *Qui autem dixerit fatue*, duo subaudiuntur, & fratri suo, & sine causa. Hoc est vnde defenditur quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat, non enim id fecit sine causa. Ideò autem hic frater subaudiendus est, quia de inimico postea dicitur, quomodò etiam ipse tractandus sit maiore iustitia. Deinde hic sequitur: *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. Et tunc veniens offer munus tuum.* Hinc itaque apparet de fratre dictum esse superiùs, quoniam sententia quę sequitur, ea coniunctione connectitur vt superiori attestetur: non enim ait, Si autem obtuleris munus tuum in altare, sed ait: Gal 3. 1.

Si ergo obtuleris munus tuũ ad altare. Nã si irasci fas non est fratri suo sine causa, aut dicere racha, aut dicere fatue, multo minus fas est animo tenere aliquid, vt in odiũ indignatio conuertatur. Ad quod pertinet etiã quod alio loco dicitur: *Non occidat sol super iracundiam vestram.* Iubemur ergo illatũ munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid aduersum nos habere fratrem, ante altare relinquere, & pergere ac reconciliari fratri, deinde venire & munus offerre. Quòd si accipiatur ad literam, fortassis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens frater sit. Non enim diutiùs differri potest, cùm munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si ergo de absente, & quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras & maria peremata offeras Deo. Et ideò prorsus intrò ad spiritalia refugere cogimur, vt hoc quod di- Cap. x. Eph. 4. 25.

ctum est sine absurditate possit intelligi. Altare itaque spiritaliter, in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cuius signum est altare visibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, siue prophetiam, siue doctrinam, siue orationem, siue hymnum, siue Psalmum, & si quid tale aliud spiritalium donorum animo occurrerit, acceptum esse non potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, & ei fixè atque immobile tanquā altari imponatur, vt possit integrum atque illibatum esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, id est, veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt, terrenis videlicet opinionibus aggrauati, votum suum tanquam in terram proiicientes. Sed debet esse sana etiam offerentis intentio. Et propterea cùm tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est, in interiore Dei templo. *Templum enim Dei sanctum est,* inquit, *quod estis vos:* & in interiore homine *habitare Christum per fidem in cordibus vestris:* si in mentem venerit quòd aliquid habeat aduersum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus, tunc enim ipse habet aduersum nos.

1. Cor. 3. 17. Eph. 3. 17.

Nam nos aduersus illum habemus, si ille nos læserit, vbi non opus est pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit iniuriam, sed tantùm dimittes, sicut tibi dimitti à Domino cupis, quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliationem, cùm in mentem venerit quòd nos fortè fratrem in aliquo læsimus. Pergendum est ergo non pedibus corporis, sed motibus animi, vt te humili affectu prosternas fratri ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu eius cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam reuocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo feceris: pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu; Atque inde veniens, id est, intentionem reuocans ad id quod agere cœperas, offers munus tuum. Quis autem hoc facit vt fratri suo vel non irascatur sine causa, vel racha non dicat sine causa, vel eum fatuum non appellet sine causa, quod totum superbissimè admittitur: vel fortè si in aliquo horum lapsus fuerit, quod est vnum remedium, supplici animo veniā deprecetur, quod quisquis nō fecerit inanis iactantię spiritu inflatur. *Beati*

ergo pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Nunc iam videamus quod sequitur.

Esto, inquit, *aduersario tuo beneuolus citò dum es in via cum eo, ne fortè te tradat aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies donec reddas nouissimum quadrantem.* Iudicem intelligo Christum: *Pater autem non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Ministrum intelligo Angelum: *Et Angeli,* inquit, *ministrabant ei:* & cum Angelis suis venturum credimus ad iudicandos viuos & mortuos. Carcerem intelligo pœnas, videlicet tenebrarum, quas alio loco exteriores vocat, credo propterea quòd intrinsecus sit in ipsa mente, vel etiam si quid secretius cogitari potest, gaudium diuinorum præmiorum. De quo dicitur seruo bene merito: *Intra in gaudium Domini tui.* Quemadmodum etiam & in hac ordinatione Reipublicæ, vel à secretario, vel à prætorio iudicis extra mittatur, qui in carcerem traditur. De soluendo autem nouissimo quadrante, potest non absurdè intelligi, aut pro eo positum quod nihil relinquitur impunitum. Sicut loquentes etiam dicimus vsque ad fecem, cùm volumus exprimere aliquid ita exactum vt nihil relinqueretur: vel vt significarentur nomine quadrantis nouissimi terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum huius mundi, & ea nouissima, terra inuenitur: vt incipias à cælo, secundùm aërem numeres, aquam tertiam, quartam terram. Potest ergo conuenienter videri dictum; Donec soluas nouissimum quadrantem, id est, donec luas terrena peccata. Hoc enim & peccator audiuit: *Terra es & in terram ibis.* Donec soluas autem quod dictum est, miror si non eam significat pœnam, quæ vocatur æterna. Vnde enim soluitur illud debitum, vbi iam non datur pœnitendi & correctiùs viuendi locus? Ita enim fortasse hic positum est, *Donec soluas*, quomodò in illo vbi dictum est: *Sede à dextris meis, donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis.* Non enim cùm fuerint inimici sub pedibus positi, desinet ille sedere ad dextram. Aut illud Apostoli: *Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos suos pedibus suis.* Non enim cùm positi fuerint, desinet regnare. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum est: *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis,* semper regnaturū, quoniam

Cap. 11. Matt. 5. 25.
Ioan. 5. 22.
Matt. 4. 11
Ibid. 1. 8. 12 & 21. 23. & 25. 10.
Matt. 25. 24
Gen. 3. 19.
Psal. 109. 1
1. Cor. 15. 25.

semper illi erunt sub pedibus; ita hîc accipi potest, de quo dictum est: *Non exies inde donec soluas nouissimum quadrantem*, semper non exiturum esse, quia semper soluit nouissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Neque ita hoc dixerim vt diligentiorem tractationem videar ademisse de pœnis peccatorum, quomodò in scripturis dicantur æternæ, quanquam quolibet modo vitandæ sint potiùs quàm sciendæ.

Sed videamus iam quis sit ipse aduersarius cui iubemur esse beneuoli citò, cùm sumus cum illo in via. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum eius. Sed diabolo non video quomodò iubeamur beneuoli esse, id est, concordes aut consentientes. Namque alij quod Græcè positum est εὐνοῶν interpretati sunt concors, alij consentiens. Sed neque beneuolentiam diabolo iubemur exhibere, vbi enim beneuolentia ibi amicitia, neque quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam. Neque concordare cum illo expedit cui semel renuntiando bellum indiximus, & quo victo coronabimur. Neque consentire illi iam oportet, cui si nunquam consensissemus, nunquam in istas incidissemus miserias. De homine autem quanquam iubeamur cum omnibus quantum in nobis est pacem habere, vbi vtique & beneuolentia & concordia & consensio potest intelligi: non video tamen quomodò accipiam ab homine nos iudici tradi, vbi Christum iudicem intelligo, ante cuius tribunal omnes oportet exhiberi sicut dicit Apostolus. Quomodò ergo iudici traditurus est, qui ante iudicem pariter exhibebitur? Aut si propterea traditur quisque iudici, quia hominem læsit, quamuis illo non tradente qui læsus est, multò commodius accipitur à lege ipsa reum tradi iudici contra quam fecit cùm hominem læderet. Quia & si occidendo quis nocuerit homini, non erit iam tempus quo concordet cum eo, quia iam non est cum illo in via, id est, in hac vita. Nec tamen ideò non sanabitur pœnitendo, & ad illius misericordiam cum sacrificio contribulati cordis refugiendo qui donat peccata conuersis ad se, & qui plus gaudet de vno pœnitente, quàm de nonaginta nouem iustis. Carni verò multò minus video quomodò beneuoli vel concordes vel consentientes esse iubeamur. Magis enim peccatores amant carnem suam & concordant cum illa & consentiunt ei. Qui

Rom 14.10
2.Cor.5.10.

verò eam seruituti subiiciunt,non ipsi ei consentiunt,sed eam sibi consentire cogunt.

Fortasse ergo iubemur Deo consentire & illi esse beneuoli, vt ei reconciliemur, à quo peccando recessimus, vt aduersarius noster dici possit. Quibus enim resistit, rectè dicitur eorum aduersarius. *Deus enim superbis resistit,humilibus autem dat gratiam.* Et, *Initium omnis peccati superbia. Initium autem superbiæ hominis apostatare à Deo.* Et Apostolus dicit : *Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius.* Ex quo intelligi potest, nullam naturam malam inimicam Deo esse, quando-quidem & ipsi reconciliantur qui inimici fuerunt. Quisquis ergo in hac via, id est, vita, non fuerit reconciliatus Deo per mortem Filij eius, tradetur iudici ab illo : *Quia Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*; atque ita cætera quæ in hoc capitulo scripta sunt consequuntur, de quibus iam tractauimus. Iac.4.6. Eccl.10.14. Rom.5.10.

Vnum solùm est quod huic intellectui difficultatem facit, quomodò possit rectè dici, in via nos esse cum Deo, si hoc loco ipse accipiendus est aduersarius impiorum, cui iubemur citò reconciliari. Nisi fortè quia ipse vbique est, nos autem cùm in hac via sumus, cum illo vtique sumus. *Si enim ascendero in cælum*, inquit, *tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si recipiam pennas meas in directum, & habitabo in nouissimo maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Aut si non placet impios dici esse cum Deo, quanquam nusquam non præsto sit Deus, quemadmodum non dicimus cæcos esse cum luce, tametsi oculos eorum lux circunfundat, vnum reliquum est, vt hic aduersarium præceptum Dei esse intelligamus. Quid enim sic aduersatur peccare volentibus quàm præceptum Dei, id est, lex eius & scriptura diuina quæ data nobis ad hanc vitam, vt sit nobiscum in via, cui non oportet contradicere,ne nos tradat iudici,sed ei oportet consentire citò ? Non enim quisquam nouit quando de hac vita exeat. Quis autem consentit scripturæ diuinæ, nisi qui legit & audit, piè deferens ei culmen auctoritatis, vt quod intelligit non propter hoc oderit quòd peccatis suis aduersari sentit, sed magis diligat correptionem suam,& gaudeat quòd morbis suis donec sanentur non parcatur ? Quod verò aut Psal.130.8.

obscurum, aut absurdum illi sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret vt intelligat, beneuolentiam tamen & reuerentiam tantæ auctoritati exhibendam esse meminerit. Sed quis hoc faciat nisi quisquis ad testamentum patris aperiendum & cognoscendum, non litium minitatione acerbus, sed pietate mitis accesserit? *Beati ergo mites,*
Mat. 5. 4. *quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Videamus sequentia.

Cap. 11. Exo. 20. 14. *Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis.* Ego autem *dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Iustitia ergo minor est, non mœchari corporum coniunctione. Iustitia verò maior est regni Dei, non mœchari in corde. Multò faciliùs custodit ne mœchetur in corpore, quisquis non mœchatur in corde. Illud ergo confirmauit qui hoc præcepit: Non enim venit legem soluere sed implere. Sanè considerandum est quòd non dixit, omnis qui concupiuerit mulierem, sed *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est hoc fine & hoc animo attenderit vt eam concupiscat: quod iam non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit satietur. Nam tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione & consensione. Suggestio, siue per memoriam fit, siue per corporis sensus, cùm aliquid videmus aut audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quòd si frui delectauerit, delectatio illicita refrænanda est. Velut cùm ieiunamus & visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione: sed huic tamen non consentimus, si eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Notum autem Deo in corde nostro, etiam si facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi à serpente suggestio fiat, id est lubrico & volubili, hoc est temporali corporum motu: quia & si qua talia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecus tracta sunt: & si quis occultus præter istos quinque sensus motúsque corporis animum tangit, est etiam ipse temporalis & lubricus: & ideò quantò illabitur occultiùs vt cogitationem contingat, tantò conuenientiùs serpenti comparatur.

Tria ergo hæc vt dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei quæ in Genesi scripta est, vt quasi à serpente fiat suggestio Gen. 3.1. & quædam suasio. In appetitu autem carnali tanquam in Eua delectatio. In ratione vero tanquam in viro consensio: quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est de beatissima luce iustitiæ in mortem homo expellitur, iustissimè omnino. Non enim cogit qui suadet. Et omnium naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt, sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur, & ideò si fecerit, sine iusta defensione punitur. Non enim hoc committit inuitus. Veruntamen delectatio ante consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis vt propè nulla sit. Cui consentire magnum peccatum est cum illicita est. Cùm autem quisque consenserit, committit peccatum in corde. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari, & extingui cupiditas. Sed postea cùm suggestio repetitur, maior accenditur delectatio: quæ tamen adhuc multo minor est quàm illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur. Hanc enim vincere difficillimum est: & tamen etiam ipsam consuetudinem si se quisque non deserat, & Christianam militiam non reformidet, illo duce atque adiutore superabit: ac sic in pristinam potestatem atque ordinem & vir Christo & mulier viro subiicitur. 1. Cor. 11. 3. Eph. 5. 23.

Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum peruenitur, suggestione, delectatione, consensione: ita istius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, id est cùm in corde consentitur libidini: altera iam prolata, quasi extra portam cùm in factum procedit assensio: tertia cùm vi consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulchro iam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Euangeliũ legit, agnoscit. Et fortasse considerat quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cùm alibi dicit: *Puella surge.* Et alibi: *iuuenis tibi dico surge.* Alibi: Matt. 9.25. *Infremuit in spiritu & fleuit, & rursus fremuit*; & pòst deinde Luc. 7.14. voce magna exclamauit; *Lazare veni foras.* Ioan. 11.43.

Quapropter nomine mœchantium, qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem & libidinosam concupiscen-

tiam oportet intelligi. Cùm enim tam assiduè idololatriam
Col.3.5. Scriptura fornicationem dicat, Paulus autem Apostolus auaritiam
Eph.5.5. idololatriæ nomine appellat, quis dubitet omnem malam concupiscentiam rectè fornicationem vocari: quando anima neglectâ superiore lege qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluptate, quasi mercede prostituta, corrumpitur? Et ideò quisquis carnalem delectationem aduersus rectam voluntatem suam rebellare sentit per consuetudinem peccatorum, cuius indomitæ violentia traditur in captiuitatem, recolat quantum potest qualem pacē peccando amiserit,
Rom.7.24 & exclamet: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Ita enim cùm se infelicem exclamat, lugendo implorat consolatoris auxilium. Nec paruus est ad beatitudinem accessus, cognitio
Mat.5.5. infelicitatis suæ, & ideò, *Beati etiam lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Deinde sequitur & dicit.

Cap.XIIII. SI *autem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proyce*
Mat.5.29. *abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Hìc verò magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quicquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam ita dici: Diligo eum vt oculos meos, aut etiam plusquam oculos meos. Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, & si ambo intendantur æqualiter possint, ampliùs tamen formidant homines dextrum amittere. Vt iste sit sensus: Quicquid illud est quod ita diligis, vt pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, *erue illum & proyce abs te.* Expedit enim tibi vt pereat vnum horum quæ ita diligis vt tanquam membra tibi hæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Sed quoniam sequitur de manu dextera, & similiter dicitur: *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & proyce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam:* cogit quærere & diligentiùs, quid dixerit oculum. In qua quæstione nihil mihi occurrit

currit congruentiùs, quàm dilectissimum amicum. Nam hoc est vtique quod membrum rectè possumus appellare, quod vehementer diligimus: & hunc consiliarium, quia oculus est tanquam demonstrãs iter & in rebus diuinis, quia dexter est, vt sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus, de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem diuinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Ergo & dextera manus accipitur dilectus adiutor & minister in diuinis operibus: nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu actio rectè intelligitur, vt sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ & corpori sunt necessaria.

DICTVM *est autem, Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij.* Hæc iustitia minor est Pharisæorum, cui non est contrarium quod Dominus dicit: *Ego autem dico vobis, quicunque dimiserit vxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui solutam à viro duxerit mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimittatur; sed *qui dimiserit,* inquit, *det illi libellum repudij:* vt iracundiam temerariam proiicientis vxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsiuit, significauit quantum potuit duris hominibus, se nolle dissidium. Et ideò ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus ita respondit: *Hoc Moyses propter duritiam vestram fecit.* Quantumuis enim durus esset qui velit dimittere vxorem, cùm cogitaret libello repudij dato iam sine periculo eam posse nubere alteri, facilè placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum vt non facilè vxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit: cæteras verò vniuersas molestias si quæ fortè extiterint, iubet pro fide coniugali, pro castitate fortiter sustineri: & mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit quæ soluta est à viro. Cuius rei Apostolus Paulus terminum ostendit, quia tamdiu obseruandum dicit quamdiu vir eius viuit. Illo autem mortuo, dat nubendi licentiam. Hanc etiam regulam ipse tenuit, & in ea non suum consilium sicut & nonnullis monitis, sed præceptum Domini iubentis ostendit, cùm ait: *Eis autem quæ nuptæ sunt præcipio, non ego, sed Do-*

Cap. xiv. Matt. 5. 31.
Deut. 24. 1. Matt. 19. 7.
1. Cor. 7. 10.

minus, mulierem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Credo simili forma, vt si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur vxori. Fieri enim potest vt dimittat vxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam verò si nec illi nubere conceditur viuo viro à quo recesserit, neque huic alteram ducere viua vxore quam dimisit: multò minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Beatiora sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filiis procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint: quod neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter viuit, & illud seruatur quod per Apostolum dicitur: *Reliquum*
1.Cor.7.29. *est, vt qui habent vxores, quasi non habentes sint.*

Cap. XV. ILLVD magis solet sollicitare animum paruulorum, qui tamen secundùm præcepta Christi iam viuere gestiunt, quod
Luc.14.26. alio loco ipse Dominus dicit: *Quisquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Videri enim potest contrarium minus intelligentibus, quod hîc vetat dimitti vxorem, exceptâ causâ fornicationis: alibi verò discipulum suum negat esse posse quenquam qui non oderit vxorem. Quòd si propter concubitum dixerit, non etiam patrem & matrem & fratres & sorores in eadem conditione poneret. Sed quàm verum est, quod regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud. Quanta enim vi opus est, vt homo diligat inimicos, & oderit patrem & matrem & vxorem & filios & fratres. Vtrunque enim iubet, qui ad regnum cælorum vocat. Et quomodò hæc non sint contraria inter se, ipso duce ostendere facile est: sed eâ intellectâ implere difficile est, quanquam & hoc eodem ipso adiuuante facillimum. Regnum enim æternum quò discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est,
Galat.3.28 non habet huiusmodi necessitates temporales. *Non est In-*
Matt.22.30. *dæus, neque Græcus, neque masculus, neque fæmina, neque seruus, neque liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Et ipse Dominus
Luc.20.28. dicit: *In resurrectione enim neque nubent neque vxores ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in cælis.* Oportet ergo vt quisq; illius

regni vitam iam hîc meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales quibus ista quæ transitura est vita fulcitur, quæ nascendo, moriendóque peragitur: quod qui non odit, necdum amat illam vitam vbi nulla erit conditio nascendi, atque moriendi quæ copulat terrena coniugia. Itaque si aliquem bene Christianum, qui tamen habet vxorem, quamuis cum ea adhuc filios generet, interrogem, vtrum in illo regno habere velit vxorem: memor vtique promissorum Dei & vitæ illius, *vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem*: iam magno vel certè aliquo amore suspensus, cum execratione respondebit, se vehementer id nolle. Rursus si interrogem, vtrum vxorem suam post resurrectionem accepta Angelica immutatione, quę Sanctis promittitur, secum ibi viuere velit: tam vehementer se id velle quã illud nolle respondebit Sic inuenitur verus & bonus Christianus diligere in vna fœmina creaturam Dei, quam reformari & renouari desiderat: odisse autem coniunctionem copulationemque corruptibilem atque mortalem: hoc est diligere in ea quod homo est, odisse quod vxor est. 1.Co.15.54.

Ita etiam diligit inimicum, non inquantum inimicus est, sed in quantum homo est: vt hoc ei velit prouenire quod sibi, id est vt ad regnum cælorum correctus renouatusque perueniat. Hoc & de patre & de matre & cæteris vinculis sanguinis intelligendum est: vt in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est, diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci: vbi nemo dicit pater meus, sed omnes omnino vni Deo, Pater noster: nec mater mea, sed omnes illi Hierusalem, mater nostra: nec frater meus, sed omnes de omnibus, frater noster. Coniugium verò cum illo simul nobis in vnum redactis, quasi vnius coniugis erit, qui nos de prostitutione huius seculi sui sanguinis effusióne liberauit. Necesse est ergo vt oderit ea quæ transeunt discipulus Christi, in his quos secum ad ea venire desiderat quæ semper permanebunt: & tantò magis hæc in eis oderit, quantò magis eos diligit. Potest igitur Christianus cum coniuge concorditer viuere: siue indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundùm veniam, non secundum imperium dicit Apostolus: siue filiorum propagationem, *Vide lib. 1. Retrac. c. 19.*

quod iam nonnullo gradu potest esse laudabile: siue fraternam societatem, sine vlla corporum commixtione, habens vxorem tanquam non habens, quod est in coniugio Christianorum excellentissimum atque sublime: vt tamen oderit in ea omnes temporales necessitates, & diligat spem sempiternæ beatitudinis. Odimus enim sine dubio, quod certè vt aliquando non sit optamus: sicut istam ipsam præsentis temporis vitam, quam temporalem si non odissemus, non desideraremus futuram, quæ non est tempori obnoxia. Pro hac
Luc.14.26. enim vita posita est anima, de qua ibi dictum est: *Qui non oderit insuper & animam suam, non potest esse meus discipulus.*
Mat.6.25. Huic namque vitæ cibus est necessarius iste corruptibilis, de quo ipse Dominus dicit: *Nonne anima plus est quam esca,* id est
Ioan.10.15 hæc vita cui necessaria est esca? Et quod dicit, *vt animam suam ponat pro ouibus suis;* hanc vtique vitam dicit, cùm se pro nobis moriturum esse pronunciat.

Cap.xvi. Vide lib.1 Retr. c.19. EXORITVR hîc altera quæstio: Cùm Dominus causa fornicationis permittat dimitti vxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio: vtrum quousque intelligunt omnes, id est vt eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur? An quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut supra dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel auaritia, & ex eo iam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam?
1.Cor.7.10. Sed consulamus Apostolum, ne quid temere dicamus. *His qui sunt in coniugio,* inquit, *præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Potest enim fieri vt discedat ea causa qua Dominus permisit. Aut si fœminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, & non licet viro, quid respondebimus de hoc quod dixit posteriùs: *Et vir vxorem ne dimittat?* Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit? Nisi quia similem formam vult intelligi, vt si dimiserit, quod causâ fornicationis permittitur, maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Non enim malè reconciliaretur vir illi mulieri, quam cum lapidare nemo ausus esset, dicit ei Dominus: *Vade & vide deinceps ne pecces.* Quia
Ioan.8.14. & qui dicit, non licet dimittere vxorem nisi causa fornicationis, cogit retineri vxorem, si causa fornicationis non fuerit:

si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit, sicut dicitur, *Nō licet mulieri nubere alteri viro, nisi viro suo mortuo.* Si ante viri mortem nupserit, rea est: si post viri mortem non nupserit, non est rea. Non enim iussa est nubere, sed permissa. Si enim par forma est in isto iure coniugij inter virum & mulierem, vsque adeò vt non tantùm de fœmina idem Apostolus dixerit: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir*, sed 1. Cor. 7. II.
etiam de illo non tacuerit dicens: *similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Si ergo similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi causa fornicationis, sicut & viro.

Considerandum est itaque quatenus fornicationem intelligere debeamus, & consulendus, vt cœperamus, Apostolus. Sequitur enim & dicit: *Cæteris autem ego dico, non Dominus.* Hic primò videndum est quibus cæteris. Dicebat enim superiùs ex Domini persona his qui sunt in coniugio, nunc verò ex sua persona cæteris dicit. Ergo fortasse his qui non sunt in coniugio. Sed non hoc sequitur. Ita enim subiungit: *Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo etiam nunc his dicit qui sunt in coniugio. Quid sibi ergo vult quod ait, *cæteris*, nisi quia superiùs eis loquebatur qui sic copulati erant, vt pariter in fide Christi essent: cæteris verò nunc dicit, id est eis qui sic copulati sunt vt non ambo fideles sint? Sed quid eis dicit: *Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam:* Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Si ergo non præcepit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, vt si quis aliter fecerit non sit præcepti transgressor: sicut de virginibus paulò post dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare: atq; ita laudat virginitatem, vt arripiat eam qui * voluerit, non tamen vt si non fecerit, contra præceptum fecisse iudicetur. Aliud enim est quod iubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Iubetur mulier à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro reconciliari: Aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet vxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere. Licet ergo & dimittere, quia non est præceptum Domini ne

Ibid. 25.
al. * quæ.

dimittat, sed consilium Apostoli. Sicut monetur virgo non nubere, sed si nupserit consilium quidem non tenebit, sed
1. Cor. 7. 6. contra præceptum non facit. Ignoscitur cùm dicitur: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* Quapropter si licet vt dimittatur coniunx infidelis, quamuis meliùs sit non dimittere, & tamen non licet secundùm præceptum Domini vt dimittatur coniunx nisi causa fornicationis, fornicatio est etiam ipsa infidelitas. Quid enim tu dicis Apostole? Certè vt vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit: Cùm ergo hoc & Dominus præcipiat, ne dimittat vir vxorem, nisi causa fornicationis, quare hìc dicis: *Ego dico, non Dominus?* Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis vxorem dimitti: sed quia permisit non iussit, dedit locum Apostolo monendi, vt qui voluerit non dimittat vxorem infidelem, quo sic fortasse possit fieri fidelis. *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in vxore fideli: & sanctifi-*
Ibid. *cata est mulier infidelis in fratre fideli.* Credo iam prouenerat vt nonnullæ fœminæ per viros fideles, & viri per vxores fideles in fidem venirent: & quamuis non dicens nomina, exemplis tamen exhortatus est ad confirmandum consilium suum.

Deinde sequitur: *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc*
Lucæ 10. 35. *autem sancti sunt.* Iam enim erant parui li Christiani, qui siue auctore vno ex parentibus, siue vtroque consentiente sanctificati erant. Quod non fieret si vno credente dissociaretur coniugium, & non toleraretur infidelitas coniugij vsque ad opportunitatem credendi. Hoc est ergo consilium eius cui credo dictum esse: *Si quid superogaueris, rediens reddam tibi.*

Porrò si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria, non est dubitandum & auaritiam fornicationem esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest rectè à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino quaslibet quæ animam corpore malè vtentem à lege Dei aberrare faciunt,

& perniciosè turpiterque corrumpi, possit sine crimine & vir vxorem dimittere & vxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis. Quam fornicationem, sicut supra commemoratum est, generalem & vniuersalem intelligere cogimur. Cùm autem ait: *Exceptâ causâ fornicationis*, non dixit cuius ipsorum, viri an fœminæ. Non enim tantùm fornicantem vxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque vxorem dimittat à qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis vtique dimittit. Velut si aliquem cogat vxor sacrificare idolis. Qui talem dimittit, causâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, sed & suæ: illius quia fornicatur, suæ ne fornicetur. Nihil autem iniquius quàm fornicationis causâ dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud: *In quo enim alterum iudicas, temetipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus, quod similiter etiam de fœmina dixerim. Rom. 2. 1.

Quod autem dicit: *Quisquis solutam à viro duxerit mœchatur*, quæri potest vtrum quomodò mœchatur ille qui ducit, sic & illa quam ducit. Iubetur enim & illa manere innupta, aut viro reconciliari. *Sed si discesserit*, inquit, *à viro, maneat innupta.* Multum autem interest vtrum dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit & alteri nupserit, videtur cupiditate mutandi coniugij virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si enim dimittatur à viro cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem qui eam duxerit secundùm Domini sententiam, sed vtrum & ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamuis multò minus inueniri possit, quomodò cùm vir & mulier pari consensu sibi misceantur, vnus eorum mœchatus sit, & non sit alter. Huc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est à viro, quanquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilominus Dominus vetat. Ex quo intelligitur, siue dimissa fuerit, siue dimiserit, oportere illam manere innuptam aut viro reconciliari.

Rursum quæritur, vtrum si vxoris permisso, siue sterilis, siue quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir,

non alienam, neque à viro seiunctam, possit esse sine crimine fornicationis? Et in historia quidem veteris testamenti inuenitur exemplum: sed nunc præcepta maiora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana peruenit. Tractanda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis diuinæ prouidentiæ quæ humano generi ordinatissimè subuenit, non autem ad viuendi regulas vsurpandas. Sed tamen vtrum quod ait Apostolus: *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis sed mulier*: possit in
1.Cor.7.4. tantum valere, vt permittente vxore quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena vxor sit, nec à viro disiuncta, concúbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam fœmina, viro permittente, facere posse videatur: quod omnium sensus excludit. Quanquam nonnullæ causæ possint existere, vbi & vxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur: Sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta fermè annos Constantij temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus qui etiam Consul fuit, cùm quendam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio vnde commotus, quod plerumque in istis potestatibus perniciosum est, quibus quod libet licet, aut potiùs putatur licere, comminatus est iurans & vehementer affirmans, quòd si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exolueret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat vxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ qua subuenire posset viro: Cuius mulieris pulchritudine cùm quidam diues esset accensus, & cognouisset maritum eius in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro vna nocte si ei misceri vellet se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & vt id fieret imperauit, nullo modo iudicans adulterinum esse concubitum, quòd & libido nulla & magna mariti charitas se iubente & volente flagitaret. Venit mulier
ad

ad villam illius diuitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concũbere, vt solet, sed viuere cupienti, accepit aurum. Sed ille qui dedit fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra. Quod vbi mulier iam domui suæ posita inuenit, prosiliuit in publicum eadem mariti charitate clamatura quod fecerit, qua facere coacta est: interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tunc verò Præfectus primò sibi reus, quòd suis minis ad id ventum esset, pronuntiat tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fisco inferendam, illam verò mulierem dominam in eam terram, vnde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hîc in aliquam partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit. Non enim de diuinis auctoritatibus deprompta historia est, sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus quod in illa muliere viro iubente commissum est, quemadmodum antea cum sine vllo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc Euangelij capitulo nihil fortius considerandum est, quàm tantum malum esse fornicationis, vt cum tanto vinculo sibi coniugia constringantur, hæc vna causa solutionis excepta sit. Quæ sit autem fornicatio, iam tractatum est.

ITERVM, inquit, *audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramentum tuum. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius. Neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes facere capillum vnum album aut nigrum. Sit autem sermo vester; est, est, non, nō: quod autem amplius est, à malo est.* Iustitia Pharisæorum est non periurare. Hanc confirmat qui vetat iurare, quod pertinet ad iustitiam regni cælorum. Sicut enim falsum loqui non potest qui non loquitur, sic periurare non potest qui non iurat. Sed tamen quoniam iurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo iurauit cùm dicit: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Et iterum: *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quia non mentior.* Tale est etiam illud: *Testis enim mihi est Deus,*

Cap. XVII. Matt. 5. 33. Leuit. 19.

Gal. 1. 20. 2. Cor. 11. 31. Rom. 1. 9.

SS

cui seruio in spiritu meo in Euangelio Filij eius, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Nisi fortè quis dicat tunc cauendam esse iurationem cùm per aliquid dicitur quod iuratur: vt non iurauerit, quia non dixit per Deum, sed dixit, testis est mihi Deus. Ridiculum est hoc putare. Tamen propter contentiosos aut multùm tardos, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo iurasse
1.Cor.15.31. Apostolum dicentem: *Quotidie morior, per vestram gloriam.* Quod ne quis existimet ita dictum tanquam si diceretur, vestra gloria me facit quotidie mori, sicut dicitur, per illius magisterium doctus factus est, id est illius magisterio factum est vt perfectè doceretur: Græca exemplaria diiudicant, in quibus scriptum est, νὴ τὴν καύχησιν ὑμετέραν, quod non nisi à iurante dicitur, ita ergo intelligitur præcepisse Dominum ne iuretur, ne quisquam sicut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrænet se quantum potest vt non ea vtatur, nisi necessitate: cùm videt pigros esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmentur.
Matt.5.37. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur: *Sit autem sermo vester, est, est: non, non.* Hoc bonum est, & appetendum, *quod autem amplius est, à malo est,* id est si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtique malum est, vnde nos quotidie liberari depreca-
Matt. 6.14. mur cùm dicimus: *Libera nos à malo.* Itaque non dixit, quod autem amplius est, malum est. Tu autem non malum facis qui bene vteris iuratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est vt alteri persuadeas quod vtiliter persuades, sed à malo est illius cuius infirmitate iurare cogeris. Sed nemo nouit nisi qui expertus est, quàm sit difficile & consuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temere facere quod nonnunquam facere necessitas cogit.

Quæri autem potest, cùm diceretur: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*; cur additum sit, *neque per cælum, quia thronus Dei est,* & cætera vsque ad id quod dictum est, *neque per caput tuum.* Credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando, si per ista iurassent, & quoniam audierant: *Reddes autem Domino iusiurandum tuum,* non se putabant Do-

mino debere iusiurandum, si per cælum, aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent: quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus, factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, vt per hoc quisque periurandum arbitretur: quando à summis vsque ad infima diuina prouidentia creata regerentur, incipiens à throno Dei vsque ad capillum album aut nigrum. *Neque per cælum*, inquit, *quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est*, id est cùm iuras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere Domino iusiurandum tuum, quia per eum iurare conuinceris cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni Regis, melius quàm si diceret, mea, cùm tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse vtique Dominus est, Domino iusiurandum debet qui per Hierosolymam iurat. *Neque per caput tuum iuraueris.* Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari quàm caput suum? Sed quomodò nostrum est, vbi potestatem faciendi vnius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet iusiurandum ineffabiliter tenenti omnia & vbique præsenti, quisquis etiam per caput suum iurare voluerit: & hinc etiam cætera intelliguntur quæ omnia vtique dici non poterant, sicut illud quod commemorauimus dictum ab Apostolo: *Quotidie morior per vestram gloriam.* Quam iurationem vt Domino se debere ostenderet, addidit, *quam habeo in Christo Iesu.* 1.Cor.15.

Veruntamen propter carnales dico, non oportet opinari quod dictum est cælum thronus Dei, & terra scabellum pedum eius, quòd sic habeat Deus collocata membra in cælo & in terra vt nos cùm sedemus, sed illa sedes Dei iudicium significat. Et quoniam in hoc vniuerso mundi corpore maximam speciem cælum habeat, & terra minimam, tanquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis diuina, minimam verò ordinet in extremis atque infimis, sedere in cælo dicitur terrámque calcare. Spiritaliter autem sanctas animas cæli nomine significat, & terræ, peccatrices: & quoniam *spiritalis omnia iudicat, ipse autem à nemine iudicatur*, conuenienter dicitur sedes Dei. Peccator verò cui dictum est: *Terra es & in terram ibis*, quia per iustitiam meritis digna tribuentem, in infi- 1.Cor.2.15. Gen.3.19.

mis ordinatur, & qui in lege manere noluit, sub lege punitur, congruenter accipitur scabellum pedum Dei.

Cap. XVIII. SED iam vt istam quoque concludamus summam, quid laboriosius aut operosius dici, aut cogitari potest, vbi omnes neruos industriæ suæ animus fidelis exerceat, quàm in vitiosa consuetudine superanda præcidat membra impedientia regnum cælorum, nec dolore frangatur: toleret in coniugali fide omnia quæ quamuis sint molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est fornicationis non habent? Veluti si vxorem quisque habeat, vel sterilem, vel deformem corpore, siue debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, siue morbis & doloribus languoribusque confectã: & quicquid excepta fornicatione cogitari potest vehemẽter horribile, pro fide & societate sustineat, neq; solùm talem nõ abiiciat, sed etiam si non habeat non ducat eam, quæ soluta est à viro pulchram, sanam, diuitem, fœcundam. Quæ si facere non licet, multo minus sibi licere arbitretur ad vllum alium illicitum concubitum accedere, fornicationemque sic fugiat vt ab omni turpitudine se penitus extrahat. Verum loquatur, neque iurationibus crebris, sed morum probitate commendet. Rebellantes aduersum se omnium malarum consuetudinum innumerabiles turbas, de quibus vt omnes intelligerentur, paucæ commemoratæ sunt, confugiens ad arcem Christianæ militiæ, tanquam de loco superiore prosternat.

Sed quis tantos labores inire audeat, nisi qui sic flagrat amore iustitiæ, vt tanquam fame & siti vehementissimè accensus, & nullam sibi vitam donec ea satietur existimans, vim faciat in regnum cælorum? Non enim aliter poterit esse fortis ad toleranda omnia, quæ in præcidendis consuetudinibus laboriosa & ardua & omnino difficilia seculi huius amatores putant. *Beati ergo qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Veruntamen in his laboribus cùm quisque difficultatem patitur, & per dura & aspera gradum faciens circumuallatus variis tentationibus, & hinc atque illinc insurgere præteritæ vitæ molestias intuens, timet ne aggressa implere non possit, arripiat consilium vt auxilium mereatur. Quod est autem aliud consilium, nisi vt infirmitatem aliorum ferat, & eis quantum potest opituletur, qui suæ diuinitus

Mat. 5. 6.

desiderat subueniri? Consequenter itaque præcepta misericordiæ videamus. Mitis autem & misericors vnum videntur. Sed hoc interest, quòd mitis, de quo superiùs tractatum est, qui pietate non contradicit diuinis sententiis, quæ in sua peccata proferuntur, neque illis Dei sermonibus quos nondum intelligit, sed nullum beneficium præstat ei cui non contradicit nec resistit. Misericors autem ita non resistit, vt propter eius correptionem id faciat, quem redderet resistendo peiorem.

SEQVITVR ergo Dominus, & dicit: *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis non resistere aduersus malum. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et qui voluerit tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium: Et qui te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Omni petenti te da, & qui voluerit à te mutuari, ne auersatus fueris.* Pharisæorum iustitia minor est, non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quisque quàm accepit. Et magnus hic gradus est. Nemo enim facilè inuenitur qui pugno accepto pugnum reddere velit: & vno conuitiante verbo audito vnum & quod tantundem valeat referre contentus sit: sed siue ira perturbatus immoderatiùs vindicat: siue quia iustum putat, eum qui læserit prior grauiùs lædi, quàm læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrænauit lex in qua scriptum est: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* Quibus nominibus significatur modus, vt iniuriam vindicta non transeat, & hæc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam. Inter illud ergo primum quod præter legem est, vt maius malum pro minore malo reddatur: & hoc quod Dominus perficiendis discipulis dicit, ne pro malo vllum malum reddatur: medium quendam locum tenet, vt tantum reddatur quantum acceptum est: per quod à summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior, studio lædendi & nocendi, vide quantum distat ab eo qui nec læsus rependit. Quisquis ergo nulli prior malè fecit, sed tamen læsus rependit grauiùs, vel voluntate vel facto, recessit aliquantum à summa iniquitate & processit ad summam iustitiam, & tamen nondum tenet quod lex quæ per

Cap. xix. Matt. 5. 8. Exo. 21. 24.

Moysen data est imperauit. Qui ergo tantum reddit quantum accepit, iam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo læsus innocens passus est.

Hanc ergo inchoatam non seueram, sed misericordem iustitiam ille perfecit qui legem venit implere, non soluere.
Matt. 5. 17. Duos ergo adhuc gradus qui intersunt intelligẽdos reliquit, quibus & de ipso sũmo misericordiæ culmine dicere maluit. Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum cælorum: vt non reddat tantum, sed minus, vt vel pro duobus pugnis vnum, aut pro euulso oculo aurem præcidat. Hinc ascendens qui omnino nihil rependerit, propinquat præcepto Domini, nec tamen adhuc ibi est. Parum enim adhuc videtur Domino si pro malo quod acceperis nihil reddas mali, nisi etiam & amplius sis paratus accipere. Quapropter non ait, ego autem dico vobis, non reddere malum pro malo, quanquam hoc etiam magnum præceptum sit, sed ait; non resistere aduersus malum: vt non solùm non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas quo minus aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit.

Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: non enim ait, si quis te percusserit, noli tu percutere, sed para te adhuc percutienti. Quod ad misericordiã pertinere, hi maximè sentiunt, qui eis quos multum diligunt, tanquam filiis vel quibuslibet dilectissimis suis, ægrotantibus seruiunt vel paruulis vel phreneticis: à quibus multa sæpe patiuntur, & si eorum salus id exigat, præbent se etiam vt plura patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus medicus animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere possit, nisi vt eorum, quorum saluti consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent. Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit, quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est. Quæri autem potest quid sibi velit dextera maxilla: Sic enim in exemplaribus Græcis, quibus maior fides adhibenda est, inuenitur. Nam multa Latina, maxillã tantùm habent, non etiam dexteram; Facies est autem qua quisque
2. Cor. 11. 20 cognoscitur. Et legimus apud Apostolum: *Toleratis enim*

si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Deinde continuò subiungit: *secundùm ignobilitatem dico*, vt exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici. Quod quidem non ideò dicit Apostolus vt illos nō sustinerent, sed vt se magis, qui eos sic diligeret, vt seipsum pro eis vellet impendi. Sed quoniā facies non potest dici dextera & sinistra, & tamen nobilitas & secundùm Deum & secundùm hoc seculum potest esse, ita tribuitur tanquam in dexteram maxillam & sinistram, vt in quocunque discipulo Christi contemptum fuerit quod Christianus est, multò magis in se contemni paratus sit, si quos huius seculi honores habet. Sicut idem Apostolus, cùm in eo persequerentur homines nomen Christianum, si taceret de dignitate quam habebat in seculo, nòn præbuerat alteram maxillam cædentibus dexteram. Non enim dicendo, *Ciuis Romanus sum*, non erat paratus hoc in se contemni quod pro minimo habebat, ab eis qui in illo nomen tam pretiosum & salutare contempserant. Nunquid enim ideò minus postea vincula tolerauit, quæ ciuibus Romanis non licebat imponi, aut quenquam de hac iniuria voluit accusare? Et si qui ei propter ciuitatis Romanæ nomen pepercerunt, nec tamen ille ideò non præbuit quod ferirent, cùm eos de tanta peruersitate corrigere cupierit patientiâ suâ, quos videbat in se sinistras partes magis quàm dexteras honorare. Illud est enim tantùm attendendum quo animo fecerit omnia, quàm beneuolè & clementer in eos, à quibus ista patiebatur. Nam & Pontificis iussu palma percussus, quod contumeliosè visus est dicere cùm ait: *Percutiet te Dominus paries dealbate*, minus intelligentibus conuitium sonat: intelligentibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est simulatio sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine tanquam candido tegmine interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit cùm ei diceretur: *Principi sacerdotum maledicis?* Et respondit. Nesciui fratres quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: *Principi populi tui ne maledicas.* Vbi ostendit quanta tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, quòd tam citò, tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus & perturbatis fieri

Act. 22. 26.
Act. 23. 3.
Exo. 22. 28.

non potest. Et in eo ipso intelligentibus verum dixit: *Nesciui quia Princeps est Sacerdotum*, tanquam si diceret: Ego alium sciui Principem Sacerdotum, pro cuius nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud quàm eius oditis nomen.

Sic ergo oportet non simulatè ista iactare, sed in ipso corde esse ad omnia præparatum, vt possit canere illud propheti-
Psal. 56. 8. cum: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Multi enim alteram maxillam præbere nouerunt, diligere verò illum à quo feriuntur, ignorant. At verò ipse Dominus, qui vtique præcepta quæ docuit impleuit, percutienti se in maxillam ministro Sacerdotis non præbuit alteram, sed insuper dixit: *Si malè locutus sum exprobra de malo; si bene, cur me cædis?* Non tamen ideò paratus corde non fuit, non solùm in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi.

Ergo & illud quod sequitur: *Et qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum,* ad præparationem cordis non ad ostensionem operis præceptum rectè intelligitur. Sed de tunica & vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo iure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quantò magis superflua contemnere conuenit? Veruntamen ea quæ nostra dixi, eo gene-
Ioan. 18. 23. re includenda sunt, quo Dominus ipse præscripsit dicens: *Si quis vult iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere.* Omnia ergo illa intelliguntur, de quibus iudicio nobiscum contendi potest: ita vt à nostro iure in ius illius transeant, qui contendit vel pro quo contendit: sicuti est vestis, domus, fundus, iumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod vtrum etiam de seruis accipiendum sit, magna quæstio est. Non enim Christianum oportet sic possidere seruum, quomodò equum aut argentum: quanquam fieri possit, vt maiore pretio valeat equus quàm seruus, & multo magis aliquod aureum vel argenteum. Sed ille seruus si rectiùs & honestiùs, & ad Deum colendum accommodatiùs abs te Domino educatur aut regitur, quàm ab illo potest qui eum cupit auferre: nescio vtrum quisquam dicere audeat, vt vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam semetipsum dili-
gere

gere debet, cui ab omnium Domino, sicut ea quæ sequuntur ostendunt, etiam vt inimicos diligat imperatur. Sanè animaduertendum est, omnem tunicam vestimentum esse, non omne vestimentum tunicam esse. Vestimenti ergo nomen plura significat quàm nomen tunicæ. Et ideò sic dictum esse arbitror: *Et qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte illi & vestimentum;* tanquam si diceret, qui voluerit tunicam tuam tollere, remitte illi, & si quid aliud indumenti habes. Ideò nonnulli pallium interpretati sunt, quod Græcè positum est *ἱμάτιον*.

Et qui te angariauerit, inquit, *mille passus, vade cum illo alia duo.* Et hoc vtique non tam vt pedibus agas, quàm vt animo sis paratus. Nam in ipsa Christiana historia in qua est auctoritas, nihil tale inuenies factum à Sanctis, vel ab ipso Domino in homine, quem suscipere dignatus est, vt viuendi nobis præberet exemplum: cùm tamen omnibus ferè locis eos inuenias paratos fuisse æquo animo tolerare quicquid eis improbè fuisset ingestum. Sed verbi gratia dictum putamus, vade cum eo alia duo: an tria compleri voluit, quo numero significatur perfectio: vt meminerit quisque cùm hoc facit perfectam se implere iustitiam, misericorditer perferendo infirmitates eorum quos vult sanos fieri. Potest videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepta insinuasse. Quorum primum est, si quis te percusserit in maxillam: Secundum, si quis tunicam tuam tollere voluerit: Tertium, si quis mille te passus angariauerit: in quo tertio exemplo simplo duplum additur, vt triplum compleatur. Qui numerus hoc loco si non vt dictum est significat perfectionem, illud accipiatur, quòd in præcipiendo tanquam tolerabilius incipiens paulatim creuerit, donec perueniret vsque ad duplum aliud perferendum. Nam primò præberi voluit alteram maxillam cùm fuerit dextera percussa, vt minus perferre paratus sis quàm pertulisti. Quicquid enim dextera significat, & charius est vtique quàm id quod sinistra significat, & qui in re chariore aliquid pertulit, si & in viliore perferat minus est. Deinde illi qui tunicam vult tollere, iubet & vestimentum dimitti; quod aut tantundem est, aut non multò ampliùs, non tamen duplum. Tertio de mille passibus, quibus addenda dicit duo millia, vsque ad duplum aliud perferas iubet. Ita

significans siue aliquanto minus quam iam fuit, siue tantundem, siue ampliùs quisque improbus in te esse voluerit, æquo animo tolerandum esse.

Cap. xx. In his sanè generibus trium exemplorum nullum genus iniuriæ prætermissum esse video. Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera diuiduntur: quorum alterum est quod restitui non potest, alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quòd percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid quod in corpore læsum est restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat. Sanum autem firmumque ista non iuuant, quin potiùs misericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam quæ nulla est. Neque hîc ea vindicta prohibetur, quæ ad correptionem valeat, etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam. Nec impedit illud propositum quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superauit. Non enim metuendum est ne odisse paruulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet vlteriùs: & certè perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cùm in sequentibus dicitur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro eis qui vos persequuntur*, & tamen de ipso dicitur per Prophetam: *Quem enim diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Dicit & Dominus: *Seruus qui nescit voluntatem domini sui & facit digna plagis, vapulabit paucis. Seruus autem qui scit voluntatem domini sui & faciens digna plagis, vapulabit multis.* Non ergo quæritur, nisi vt & ille vindicet cui rerum ordine potestas data est: & ea voluntate vindicet qua pater in paruulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim aptissimum exemplum datur, quo satis appareat, posse peccatum amore potiùs vindicari quàm impunitum relinqui: vt illum in quem vindicat non pœna miserum, sed correctione beatum velit: paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata quem vult esse correctum, siue in eum habeat potestatem coërcendi siue non habeat.

Matt. 5. 44. Heb. 12. 6. Prou. 3. 11. Luc. 12. 47.

Magni autem & sancti viri, qui iam optimè scirent, mortem istam quæ animam dissoluit à corpore, non esse formidandam, secundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt: quo & viuentibus vtilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum quod augeri posset si viuerent. Non temere illi iudicabant, quibus tale iudicium donauerat Deus. Inde est quod Helias multos morte afficit, & 3.Reg.18.40 propria manu, & igne diuinitus impetrato: cùm & alij mul- 4.Reg.1.10. Luc.9.54. ti magni & diuini viri eodem spiritu consulendis rebus humanis non temere fecerint. De quo Helia cùm exemplum dedissent discipuli Domino, commemorantes quid ab eo factum sit, vt etiam ipsis daret potestatem, petendi de cælo ignem ad consumendos eos qui sibi hospitium non præberent: reprehendit in eis Dominus non exemplum Prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi quæ adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque posteaquam eos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem Act.2.1. suam desuper vt promiserat misit, non defuerunt tales vindictæ, quamuis multò rariùs quàm in veteri Testamento. Ibi enim ex maiore parte seruientes timore premebantur: hic autem maxima dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis Apostoli Petri Ananias & vxor eius, sicut in actibus Apo- Act.5.5. stolorum legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti. Sed si huic libro hæretici, qui aduersantur & veteri Testamento, nolunt credere, Paulum Apostolum quem nobiscum legunt intueantur, dicentem de quodam peccatore quem tradidit satanæ in interitum carnis, vt anima salua sit. Et si nolunt hîc mortem intelligere, fortasse enim incer- 1.Cor.5.5. tum est*, quamlibet vindictam per satanam factam ab Apostolo fateantur, quòd non eam odio, sed amore fecisset manifestat illud adiectum, vt anima salua sit. Aut in illis libris quibus ipsis magnam tribuunt auctoritatem animaduertant quid dicimus, vbi scriptum est Apostolum Thomam imprecatum cuidam à quo palma percussus esset, atrocissimæ mortis supplicium, animam eius tamen cōmendauit vt in futuro ei seculo parceretur: cuius à leone occisi, à cætero corpore

discerptam manum canis intulit mensis in quibus conuiuabatur Apostolus. Cui scripturæ licet nobis non credere, non enim est in Catholico canone. Illi tamen eam legunt & tanquam incorruptissimam verissimamque honorant, qui aduersus corporales vindictas quæ sunt in veteri Testamento, nescio qua cæcitate acerrimè sæuiunt, quo animo & qua distributione temporum facta sint omnino nescientes. Tenebitur ergo in hoc iniuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste à Christianis modus, vt accepta iniuria non surgat odium, sed infirmitatis misericordia paratus sit animus plura perpeti, nec correctionem negligat, qua vel consilio vel auctoritate vel potestate vti potest.

Aliud iniuriarum genus est quod in integrum restitui potest. Cuius duæ species, vna ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunicæ vestimento, huius de angaria mille passuum & duûm millium exempla subiecta sunt: quia & reddi vestimentum potest, & quem adiuueris opera, potest te etiam ipse si opus fuerit adiuuare. Nisi fortè ita potiùs distinguendum est, vt prius quod positum est de percussa maxilla, omnia significet quæ sic ingeruntur ab improbis, vt restitui non possint nisi vindicta. Secundum quod positum est de vestimento, omnia significet quæ possunt restitui sine vindicta. Et ideò fortasse additum est, *qui voluerit tecum in iudicio contendere*: quia quod per iudicium aufertur non ea vi putatur auferri; cui vindicta debeatur. Tertium verò ex vtroque confectum sit, vt & sine vindicta, & cum vindicta possit restitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit sine vllo iudicio, sicut facit qui angariat hominem improbè & cogit se illicitè adiuuari ab inuito, & pœnam improbitatis potest luere & operam reddere, si hanc ille repetat qui improbum pertulit.

In his ergo omnibus generibus iniuriarum Dominus docet patientissimum & misericordissimum ad plura perferenda paratissimum animum Christiani esse oportere. Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium quantum potes, consequenter adiungit & dicit: *Omni petenti te da, & qui voluerint mutuari à te, ne auersatus fueris.* Omni
Matt.5.42. petenti, inquit, non omnia petenti, vt id des quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, qua inno-

centem conetur opprimere? Quid si postremò stuprum petat? Sed ne multa persequar quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest: & cui iustè negaueris quod petit, indicanda est ipsa iustitia, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem iniustè, correxeris. Quod autem ait: *Qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris*, ad animam referendum est. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est. Cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem nisi cùm accipit redditurus, intelligendum est Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus quod damus beneuolè, aut redditurо commodamus. Et plerumque homines, qui proposito diuino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur pigri fiunt: quasi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui accipit exoluat. Rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos diuina hortatur auctoritas dicens: *Et qui voluerit à te mutuari, ne auersatus fueris:* id est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia te vacuat, & Deus tibi non redditurus est, cùm homo reddiderit. Sed cum id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc iubet infructuosum esse non potest.

DEINDE adiunxit & dicit: *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuū, & oderis inimicum tuum.* Ego autem dico vobis, *diligite inimicos vestros, & benefacite his qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequuntur: vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester qui in cælis est perfectus est.* Sine ista dilectione, qua etiam inimicos & persecutores nostros diligere iubemur, ea quæ superiùs dicta sunt implere quis potest? Perfectio autem misericor- Cap. XXI. Mat. 5. 43.

diæ, qua plurimùm animæ laboranti consulitur, vltra dilectionem inimici porrigi non potest,& ideò sic clauditur: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester qui in cælis est perfectus est.* Ita tamen vt Deus intelligatur perfectus tanquam Deus, & anima perfecta tanquam anima. Gradum tamen esse aliquem in Pharisæorum iustitia,quæ ad legem veterem pertinet, hinc intelligitur: quòd multi homines eos etiam à quibus diliguntur oderunt, sicut luxuriosi filij parentes coërcitores luxuriosæ suæ. Ascendit ergo aliquem gradum qui proximum diligit, quamuis adhuc oderit inimicum. Eius autem imperio qui venit legem implere non soluere, perficiet beneuolentiam & benignitatem, cùm eam vsque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamuis nonnullus sit tam paruus est tamen vt cum publicanis etiam possit esse communis: Nec quod in lege dictum est, *Oderis inimicum tuum*, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo.

Oritur hic sanè nullo modo dissimulanda quæstio, quòd huic præcepto Domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, & benefacere his qui nos oderunt, & orare pro his qui nos persequuntur, multæ aliæ Scripturarum partes minus diligenter & sobriè considerantibus videntur aduersæ: quia & in Prophetis inueniuntur multæ imprecationes aduersus inimicos quæ maledictiones putantur, sicut est illud:
Psal. 68. 23. *Fiat mensa eorum in laqueum*, & cætera quæ ibi dicuntur: Et illud;
Psal. 108. 9. *Fiant filij eius pupilli, & vxor eius vidua*, & alia quæ vel suprà vel infrà in eodem Psalmo in personam Iudæ per Prophetam dicuntur, Multa alia vsquequaque in Scripturis reperiuntur, quæ videantur esse contraria, & huic præcepto Domini, & illi Apostolico, quo ait: *Benedicite, & nolite male-*
Rom. 12. 14. *dicere;* cùm & de Domino scriptum sit, quòd maledixerit ci-
Mat. 11. 21. Luc. 10. 13. uitatibus quæ verbum eius non acceperunt; Et memoratus
2. Tim. 4. 14 Apostolus, de quodam ita dixerit: *Reddet illi Dominus secundùm opera illius.* Sed hæc facilè soluuntur, quia & Propheta per imprecationem quod esset futurum cecinit, non optantis voto sed spiritu præuidentis; ita & Dominus, ita & Apostolus: quanquam in horum etiam verbis non hoc inuenitur quod optauerint, sed quòd prædixerint. Non enim cùm ait

Dominus : *Væ tibi Capharnaum*, aliud ſonat niſi aliquid ei mali euenturum merito infidelitatis, quod futurum Dominus non maleuolentiâ optabat, ſed diuinitate cernebat. Et Apoſtolus, non ait, reddat, ſed *reddet illi Dominus iuxta opera eius*, quod verbum prænuntiantis eſt, non imprecãtis. Sicut & de illa hypocriſi Iudæorum, de qua iã dictum eſt, cui euerſionẽ imminere cernebat, dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Act.23.3.
Prophetæ autem maximè ſolent figurâ imprecantis futura prædicere, ſicut figurâ præteriti temporis ea quæ ventura erant ſæpe cecinerunt, ſicut eſt illud: *Quare fremuerunt gentes,* Pſal.2.1.
& populi meditati ſunt inania? Non enim dixit, quare frement gentes, & populi meditabuntur inania; cùm ea non quaſi iam tranſacta meminiſſet, ſed ventura proſpiceret. Tale etiam illud eſt: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, & hîc enim non dixit, diuident ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam mittent ſortem. Nec tamen de his verbis quiſquam calumniatur, niſi qui non ſentit varietatem iſtam figuratum in loquendo nihil veritati rerum minuere, & plurimùm afferre affectibus animorum. Pſal.21.19.

Sed illud magis vrget iſtam quæſtionem, quod dicit Apoſtolus Ioannes: *Si quis ſcit peccare fratrem ſuum peccatum non ad mortem, poſtulabit, & dabit illi Dominus vitam qui peccat non ad mortẽ: Eſt autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis* Apertè enim oſtendit eſſe quoſdã fratres pro quibus orare non nobis præcipitur, cùm Deus etiam pro perſecutoribus noſtris orare nos iubeat. Nec illa quæſtio ſolui poteſt, niſi fateamur eſſe aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum perſecutione grauiora ſint. Fratres autem Chriſtianos ſignificari, multis diuinarum ſcripturarum documentis probari poteſt. Manifeſtiſſimum tamen illud eſt, quod Apoſtolus ita ponit: *Sãctificatus eſt enim vir infidelis* in vxore fideli, & ſanctificata eſt mulier infidelis in fratre. Non enim addidit, noſtro, ſed manifeſtum exiſtimauit, cùm fratris nomine Chriſtianum intelligi voluit qui infidelem haberet vxorem. Et ideò paulo pòſt dicit, *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater vel ſoror in huiuſmodi.* Peccatum ergo fratris ad mortem puto eſſe, cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Domini noſtri *Ieſu Chriſti* quiſque oppugnat fraternitatẽ, & aduerſus ipſam gratiam, qua reconciliatus eſt Deo, Cap.xxii. 1 Ioan.5.16. 1.Cor.7.14. Vide lib.1. Retr. c.19.

inuidentiæ facibus agitatur. Peccatum autem non ad mortẽ est, si quisquam non amorem per odiũ à fratre alienauerit, sed officia fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in cruce ait: *Pater* Luc.23.34. *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* Nondum enim gratiæ Spiritus sancti participes facti, societatem sanctæ fraternitatis
Act.7.60. inierant. Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis à quibus lapidatur, quia nondum Christo crediderant, neque aduersus illam communem gratiam dimicabant. Et Apostolus Paulus, propterea credo non orat pro Alexandro, quia iam frater erat, & ad mortem, id est, inuidiæ facibus fraternitatem oppugnando, peccauerat. Pro his autem qui non abruperant amorem ad mortem, sed timori suc-
2.Tim 4.14 cubuerant, orat, vt eis ignoscatur. Sic enim dicit: *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius, quem & tu deuita, valde enim restitit nostris sermonibus.* Deinde subiungit, pro quibus orat, ita dicens: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.*

Ista differentia peccatorum Iudam tradentem à Petro ne-
Luc.17.3. Matt.18.21. gante distinguit: non quia pœnitenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Domini veniamus, qua præcepit semper ignoscendum esse fratri petenti vt sibi frater ignoscat: sed quia illius peccati tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum malâ conscientiâ & agnoscere & enuntiare cogatur. Cùm enim
Matt.27.4. dixisset Iudas: *Peccaui, quòd tradiderim sanguinem iustum*, faciliùs tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quàm humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multum interest quali pœnitentiæ ignoscat Deus. Multi enim multò citiùs se fatentur peccasse, atque ita sibi succensent vt vehementer se peccasse nollent: sed tamen animam ad humiliandum & obterendum cor implorandámque veniam non deponunt: quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum sanctum, id-est, per malitiam & inuidiam, fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti, quod peccatum Dominus neque hic neque in futuro seculo dimitti dicit.

Vnde

Vnde quæri poteſt, vtrum in Spiritum ſanctum Iudæi peccauerint, quando dixerunt, quòd in beelzebub principe dæmoniorum dæmonia Dominus expelleret; vtrum hoc in ipſum Dominum dictum accipiamus, quia de ſe dicit alio loco: *Si enim patremfamilias beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* An quoniam de magna inuidentia dixerunt, ingrati tam præſentibus beneficiis, quamuis nondum Chriſtiani fuerint, tamen propter ipſam euidentiæ magnitudinem in Spiritum ſanctum peccaſſe credendi ſunt? Non enim hoc colligitur de verbis Domini. Quamuis enim in eodem loco dixerit: *Quicunq; enim dixerit verbum nequam in Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit aduerſus verbũ Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro;* tamen videri poteſt ad hoc eos monuiſſe, vt accedant ad gratiam, & poſt acceptam gratiam non ita peccent, vt tunc peccauerunt. Nunc enim in Filium hominis dixerunt verbum nequam, & poteſt eis dimitti ſi conuerſi fuerint, & ei crediderint, & Spiritum ſanctum acceperint: quo accepto ſi fraternitati inuidere, & gratiam quam acceperunt oppugnare voluerint, non eis dimitti, neque in hoc ſeculo neque in futuro. Nam ſi eos ſic haberet condemnatos, vt nullam ſpem illis reliquiſſet, non adhuc monendos iudicaret, cùm addidit, dicens: *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum.*

Mat. 12. 24. Mat. 10. 25. Matt. 12. 32. Matt. 12.

Sic itaque accipiatur diligendos inimicos eſſe, & benefaciendum his qui nos oderunt, & orandum pro his qui nos perſequuntur, vt pro quibuſdam etiam fratrum peccatis intelligatur non præceptum eſſe, vt oremus: ne per imperitiam noſtram diuina ſcriptura, quod fieri non poteſt, à ſe diſſentire videatur. Sed vtrum ſicut pro quibuſdam non eſt orandum, ita etiam contra aliquos orandum ſit, nondum ſatis apparet. Generaliter enim dictum eſt: *Benedicite & nolite maledicere,* Et illud: *Nemini malum pro malo reddentes.* Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam eius pœnam, & penitus deſperatam ſalutem: & non quia odiſti eum, ideò pro illo non oras; ſed quia ſentis nihil te poſſe proficere, & orationem tuam non vis repelli à iuſtiſſimo iudice.

Rom. 12. 14. Ibid. 17. 1. Pet. 3.

Sed quid agimus de his, contra quos oratum à Sanctis ac-

cipimus: non vt corrigantur, nam hoc modo potiùs pro ipsis oratum est, sed ad illam vltimam damnationem: non sicut contra Domini traditorem per Prophetam, nam illa, vt dictum est, prædictio futurorum, non optatio supplicij fuit:
Apoc.6 10. Nec sicut Apostolo contra Alexandrum: nam & inde satis
Act.7 60. dictum est, sed sicut in Apocalypsi Ioannis legimus Martyres orare vt vindicentur, cùm ille primus Martyr vt lapidatoribus suis ignosceretur, orauerit. Sed hinc non oportet moueri. Quis enim audeat affirmare, cùm illi sancti candidati se vindicari petierint, vtrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera & plena iustitiæ & misericordiæ vindicta Martyrum, vt euertatur regnum peccati: non enim contra ipsos homines, sed cõtra regnũ peccati petierũt, quo regnante tanta perpessi sunt. Ad cu-
Rom.6. 12. ius euersionẽ nititur Apostolus, dicens: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Destruitur autem & euertitur peccati regnum, partim correctione hominum, vt caro spiritui subiiciatur: partim damnatione perseuerantium in peccato, vt ira iustitia ordinentur, vt iustis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Intuere Apostolum Paulum, nonne tibi videtur in seipso Stephanum Martyrem vindicare, cùm dicit: *Non sic pugno tanquam aerem cedens, sed castigo corpus meum & seruituti subijcio?* Nam hoc in se vtique prosternebat & debilitabat & victum ordinabat, vnde Stephanum cæterósque Christianos fuerat persecutus. Quis ergo conuincit, Martyres sanctos non talem suam vindictam à Domino esse deprecatos, cùm etiam finem huius seculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam potuerunt libenter optare? Quod qui orant, & pro inimicis suis orant qui sanabiles sunt, & contra illos non orant qui insanabiles esse voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos non est maleuolus tortor, sed iustissimus ordinator. Sine vlla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, benefaciamus his qui oderunt nos, & oremus pro eis qui nos persequuntur.

Cap. xxiii. QVOD autem consequenter positum est: *Vt sitis filij Patris*
Mat 5. 45. Ioan. 1 12. *vestri qui in cælis est*, ex illa regula intelligendum est, qua & Ioannes dicit: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Vnus enim naturaliter filius est, qui nescit omnino peccare. Nos autem potestate accepta efficimur filij, inquantum ea quæ ab illo

præcipiuntur implemus. Vnde & Apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hereditatem vocamur, vt coheredes Christi esse possimus. Filij ergo efficimur regeneratione spiritali, & adoptamur in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti & creati, hoc est conditi: vt vnum beneficium sit, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam, cùm ante nihil essemus: alterum quo adoptauit, vt cum eo tanquam filij vita æterna, pro nostra participatione, frueremur. Itaque non ait, facite ista quia estis filij, sed, facite ista vt sitis filij. Cùm autem ad hoc nos vocat per ipsum Vnigenitum, ad similitudinem suam nos vocat. Ille enim, sicut consequenter dicit, *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Siue solem suum non istum carneis oculis visibilem accipias, sed illam sapientiam, de qua dicitur, *Candor est enim lucis æternæ:* De qua item dicitur: *Ortus est mihi iustitiæ sol:* Et iterum; *Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol iustitiæ:* vt etiam pluuiam accipiat irrigationem doctrinæ veritatis, quia & bonis & malis apparuit, & bonis & malis euangelizatus est Christus. Siue istum solem mauis accipere non solùm hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis prolatum, & istam pluuiam qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt. Quod probabilius intelligi existimo, vt ille sol spiritalis non oriatur, nisi bonis & sanctis: quia & hoc ipsum est quod plangunt iniqui in illo libro qui sapientia Salomonis inscribitur: *Et sol non est ortus nobis:* Et illa pluuia spiritalis non irrigat nisi bonos, quia malos significabat vinea, de qua dictum est: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam.* Sed siue illud, siue hoc intelligas, magna Dei bonitate fit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filij Dei esse volumus. Quantum enim huic vitæ solatium afferat lux ista visibilis, & pluuia corporalis, quis tam ingratus est vt non sentiat? Quod solatium videmus & iustis in hac vita & peccatoribus communiter exhiberi.

Rom. 8. 17. Galat. 4. 5. Matt. 5. 45. Sap. 7. 26. Malac. 4. 2. Sap. 5. 6. Isa. 5. 6.

Non autem ait, qui facit solem oriri super bonos & malos, sed addidit suum: id est, quem ipse fecit atque constituit, & à nullo aliquid sumpsit vt faceret: Sicut in Genesi de omnibus luminaribus scribitur: qui propriè potest dicere sua esse omnia quæ de nihilo creauit: vt hinc admoneremur, quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto eius præstare debea- Gen. 1. 5.

mus, quę nos nō creauimus sed de muneribus eius accepimus. Quis autem potest vel paratus esse ab infirmis iniurias sustinere, quantum eorum saluti prodest: & malle se ampliùs iniquitatis alienæ perpeti, quàm id quod perpessus est reddere: Omni petenti à se aliquid, vel id quod petit, si habetur, & si rectè dari potest, vel consilium bonum vel beneuolum dare animum, nec se auertere ab eo qui mutuari cupit: diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro eis qui se persequuntur. Quis ergo hæc facit, nisi plenè perfectéque misericors? Quo vno consilio miseria deuitatur, opitulante il-
Oseæ 6. 7. lo, qui ait: *Misericordiam volo magis quàm sacrificium. Beati ergo*
Mat. 5. 7. *misericordes, quia ipsorum miserebitur Deus.* Sed iam commodè fieri puto, vt hìc lector tam longo volumine fatigatus respiret aliquantulum, & ad cætera reficiatur in alio libro consideranda.



LIBER SECVNDVS.

Cap. 1. MISERICORDIAM vsque ad cuius tractationem liber primus terminum accepit, sequitur cordis mundatio, vnde iste sumit exordium. Cordis autem mundatio est tanquam oculus quo videtur Deus, cuius simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam eius rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest. Huic autem oculo magna ex parte mundato difficile est non surrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana. Siquidem non rectè viuere, perniciosum est: rectè autem viuere, & nolle laudari; quid est aliud quàm inimicum esse rebus humanis, quæ vtique tantò sunt miseriores, quantò minus placet recta vita hominum. Si ergo inter quos viuis, te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore sunt: si autem laudauerint, tu in periculo. Nisi tam simplex cor habueris & mundum, vt ea quæ rectè facis non propter laudes hominum facias; magisque illis rectè laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet, quàm ti-

bi: nisi quia rectè viuis, etiam si nemo laudaret, ipsamque laudem tuam tunc intelligas vtilem esse laudantibus, si non teipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cuius sanctissimum templum est quisquis viuit bene vt impleatur quod ait Dauid: *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.* Psal. 33. 3. Pertinet ergo ad oculum mundum non intueri in rectè faciendo laudes hominum, & ad eas referre quod rectè facis, id est, propterea rectè facere aliquid, vt hominibus placeas. Sic enim etiam simulare bonum libebit, si non attenditur nisi vt homo laudet: qui quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex cor, id est mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solùm intuetur, cùm rectè viuit, & ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cuius conscientiæ puritate quicquid procedit, tantò est laudabilius, quantò humanas laudes non desiderat.

Cauete ergo, inquit, *facere iustitiam vestram coram hominibus,* Matt. 6. 1. *vt videamini ab eis*: id est, cauete hoc animo iustè viuere, & ibi constituere bonum vestrum, vt vos videant homines: *Alioquin mercedem non habebitis*, & reliqua. Non si ab hominibus videamini, sed si propterea iustè viuatis, vt ab hominibus videamini. Nam vbi erit, quod in principio sermonis huius dictum est: *Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi* Matt. 5. 14. *supra montem posita*, & reliqua vsque ad id quod ait: *Vt videant opera vestra bona.* Sed non ibi constituit finem: Addidit enim, *Et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Hic autem, quia hoc reprehendit, si ibi sit finis rectè factorum, id est, si propterea rectè faciamus, vt tantùm videamur ab hominibus, posteaquam dixit: *Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus vt videamini ab eis*, nihil addidit. In quo apparet, non hoc eum prohibuisse vt rectè fiat coram hominibus, sed ne ideò fortè rectè fiat coram hominibus, vt videamur ab eis, id est, vt hoc intueamur, & ibi finem nostri propositi collocemus. Nam & Apostolus dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi* Gal. 1. 10. *seruus non essem*: Cùm alio loco dicat, *Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo.* 1. Co. 10. 33. Quod qui non intelligunt, contrarium putant, cùm ille se dixerit non placere ho-

minibus, quia non ideò rectè faciebat vt pla[...] et hominibus vt Deo, ad cuius amorem corda hominum volebat conuertere, eo ipso quo placebat hominibus. Itaque & non se placere hominibus rectè dicebat, quia in eo ipso vt Deo placeret intuebatur: & placendum esse hominibus rectè præcipiebat, non vt hoc appeteretur tanquam merces rectè factorum, sed quia Deo placere non posset qui non se his quos saluos fieri velit præbuerit imitandum: imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui diceret, in hac opera qua nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam: sic Apostolus
Gal.1.10. conuenienter diceret, in hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus sed Deo placeo: quia non hoc appeto, sed ad
Phil.4.17. id refero, vt me imitentur quos saluos fieri volo. Sicut dicit de oblatione quæ fit in Sanctos. Non quia quæro datum, sed requiro fructum, id est, quod quæro datum vestrum, non hoc quæro, sed fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere poterat, quantum profecissent in Deum: cùm id libenter offerrent, quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem charitatis ab eis quærebatur. Quanquam & cùm addidit, & dicit. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est, nihil aliud demonstrat, nisi id nos cauere oportere, ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quæramus, id est eâ nos beatos effici arbitremur.

Cap.11. CVM *ergo facis eleemosynam, noli tuba canere*, & reliqua. Noli, inquit, velle innotescere, vt hypocrita. Manifestum est enim, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt autem hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamennonis in tragœdia, verbi gratia, siue alicuius alterius, ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, verè ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, qui quis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit: quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni qui ab eis lau-

dantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium. *Ab hominibus autem*, inquit, *perceperunt mercedem suam*. Rectissiméque de his dicitur: *Recedite à me operarij dolosi*, nomen meum habuistis, sed opera mea non fecistis. Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi vt glorificentur ab hominibus: non si glorificentur ab hominibus, sed si ideò faciunt, vt glorificentur, sicut superiùs tractatum est. Laus enim humana non appeti à rectè faciente, sed sequi debet rectè facientem: vt illi proficiant qui etiam imitari possunt quod laudant, non vt hic putet aliquid eos sibi prodesse quem laudant. Matt. 7.2.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, & reliqua. Si intellexeris sinistram infideles dici, Mat. 6.3. videbitur nulla esse culpa placere fidelibus velle, cùm prorsus nihilominus in quorumlibet hominum laude fructum & finem boni operis constituere prohibeamur. Quod autem ad id pertinet vt te imitentur, quibus rectè facta tua placuerint, non tantùm fidelibus, sed etiam infidelibus exhibendum est, vt laudandis bonis operibus nostris Deum honorent & veniant ad salutem. Si autem sinistram inimicum putaueris, vt nesciat inimicus tuus cùm eleemosynam facis, cur ipse Dominus inimicis Iudæis circunstantibus misericorditer sanauit homines? Cur Apostolus Petrus sanato eo quem ad portam speciosam debilem miseratus est, etiam iras inimicorum in se atque in alios Christi discipulos pertulit? Deinde si non oportet scire inimicum cùm eleemosynam facimus, quomodò cum ipso inimico faciemus, vt illud impleamus præceptum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, potum da illi?* Prou. 25.21. Rom. 12.20.

Tertia solet esse carnalium opinio, tam absurda & ridenda, vt non eam commemorarem, nisi expertus essem non paucos eo errore detineri, qui dicunt sinistræ nomine vxorem significari. Vt quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse fœminæ, lateat eas cùm aliquid misericorditer viri earum egenis impendunt propter domesticas lites. Quasi verò soli viri Christiani sint, & non hoc præceptum etiam fœminis datum sit. Cui ergo sinistræ iubetur fœmina occultare

opus misericordiæ suæ? An etiam vir sinistra erit fœminæ, quod absurdissimè dicitur? Aut si quispiam putat inuicem sibi sinistras esse, si ab altero ita erogetur aliquid de re familiari, vt sit contra alterius voluntatem, non erit Christianum tale coniugium. Sed necesse est, vt quisquis eorum eleemosynam facere voluerit ex præcepto Dei, quemcunque aduersum habuerit inimicus sit præcepto Dei, & ideò inter fideles deputetur. Præceptum est autem de talibus, vt bona sua conuersatione ac moribus lucrifaciat vxorem maritus fidelis, vel maritum mulier fidelis. Quapropter non sibi debent occultare bona opera sua, quibus inuitandi sunt ab inuicem, vt alter alterum possit ad Christianæ fidei communionem inuitare. Nec furta facienda sunt, vt promereatur Deus. Quòd si occultandum est aliquid, quamdiu alterius infirmitas æquo animo id non potest sustinere, quod tamen iniustè, atque illicitè fit, non tamen ipsam nunc sinistram significari totius capituli consideratione facilè apparet, in qua simul inuenietur quam sinistram vocet.

Cauete, inquit, *facere iustitiam vestram coram hominibus*: Et reliqua. Generaliter hîc iustitiam nominauit, deinde particulariter exequitur. Est enim pars aliqua iustitiæ, opus quod per eleemosynam fit, & ideò connectit dicendo: *Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere:* Et reliqua. Ad hoc respicit, quod superiùs ait: *Cauete facere iustitiam vestram coram hominibus*: Et reliqua. Quod autem sequitur: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*, ad illud respicit quod supra posuit: *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.* Deinde sequitur: *Te autem faciente eleemosynam.* Cùm autem dicit, *Te autem faciente*, quid aliud dicit, quàm non quomodò illi? Quid ergo mihi iubet: *Te autem faciente*, inquit, *eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Ergo illi sic faciunt, vt sciat sinistra eorum quid faciat dextera eorum. Quod ergo in illis culpatum est, hoc tu facere vetaris. In illis autem hoc culpatum est, quòd ita faciunt vt laudes hominum quærant. Quapropter nihil consequentius sinistra videtur significare, quàm ipsam delectationem laudis. Dextera autem signat intentionem implendi præcepta diuina. Cùm itaque conscientiæ facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis

humanæ

humanæ, fit sinistra conscia operis dexteræ: nesciat ergo sinistra tua, quid faciat dextera tua: id est, non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cùm in eleemosyna facienda diuinum præceptum contendis implere, *vt sit eleemosyna tua in absconso.*

Quid est *in abscondito*, nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Quandoquidem multi multa mentiuntur. Quapropter si dextera intrinsecus agit in abscondito, ad sinistram pertinent omnia exteriora, quæ sunt visibilia & temporalia. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia, vbi multi eleemosynam faciunt bona voluntate, etiam si pecuniam, vel si quid aliud est quod inopi largiendum est non habent. Multi autem foris faciunt, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicuius rei temporalis gratia volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alij quasi medium inter vtrosque locum tenent, vt & intentione quæ in Deo est eleemosynam faciant, & tamen insetat se huic optimæ voluntati, nonnulla etiam laudis vel cuiuscunque rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multo vehementiùs prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ: vt scilicet non modò sola temporalium rerum cupiditate caueamus eleemosynam facere, sed nec ita in hoc opere attendamus Deum vt sese misceat vel adiungat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex autem quomodò erit, si duobus dominis seruit, nec vna intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium quoque fragiliumque rerum amore obnubilat. *Sit ergo eleemosyna tua in absconso:* Et reliqua. Rectissimè omnino & verissimè. Si enim præmium ab eo expectas qui conscientiæ solus inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium ipsa conscientia. Multa latina exemplaria sic habent: *Et pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi palam.* Sed quia in Græcis quæ priora sunt non inuenimus, palam, non putauimus hinc aliquid disserendum esse.

Et *cùm oratis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes, qui* Cap. III.

Matt 6.5. *amant in synagogis*, & reliqua. Neque hîc videri ab hominibus nefas est, sed ideò hoc agere vt videaris ab hominibus: & superfluo totiens eadem dicuntur, cùm sit iam vna regula custodienda: qua cognitum est, non si hæc sciant homines, formidandum esse aut fugiendum, sed si hoc animo fiant, vt fructus in eis expetatur placendi hominibus. Seruat etiam ipse Dominus eadem verba, cùm adiungit similiter: *Amen dico vobis perceperunt mercedem suam.* Hinc ostendens id se prohibere, vt ea merces appetatur qua stulti gaudent vt laudentur ab hominibus.

Vos autem cum oratis, inquit, *introite in cubicula vestra.* Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, cùm dicitur: Psal. 4. *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Et claudentes ostia, orate*, ait: *Patrem vestrum in abscondito.* Parum est intrare cubicula si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbè se immergunt & interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, vt oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, vbi oratur Pater noster in abscondito. *Et pater*, inquit, *vester qui videt in abscondito, reddet vobis.* Et hoc tali clausula terminandum fuit: non enim hoc monet nunc vt oremus, sed quomodò oremus; neque vt superiùs, vt faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus, quoniam de corde mundando præcepit, quod non mundat nisi vna & simplex intentio in æternam vitam solo & puro amore sapientiæ.

Orantes autem, ait, *nolite multum loqui sicut Ethnici faciunt arbitrantur enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.* Sicut hypocritarum est, præbere se spectandos in oratione, quorum fructu est placere hominibus, ita Ethnicorum, id est, Gentilium in multiloquio suo se putare exaudiri. Et reuera omne multiloquium à Gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quàm mundando animo dant operam. Vt hoc nugatorij studij genus etiam ad precem fundendam transferre conantur, arbitrantes Deum sicut hominem iudicem verbis adduci in.

ſententiam. *Nolite itaque ſimiles illis eſſe*, dicit vnus & verus Magiſter: *Scit enim Pater veſter quid vobis neceſſarium ſit antequam petatis ab eo.* Si enim verba multa ad id proferuntur, vt inſtruatur & doceatur ignarus, quid eis opus ad rerum omnium cognitorem: cui omnia quæ ſunt eo ipſo quo ſunt loquuntur ſeſeque indicant facta, & ea quæ futura ſunt eiuſdem artem ſapientiámque non latent, in qua ſunt & quę tranſierunt & quæ tranſitura ſunt omnia, præſentia & non tranſeuntia?

Sed quoniam quamuis pauca tamen verba & ipſe dicturus eſt, quibus nos doceat orare, quæri poteſt cur vel his verbis paucis opus ſit ad eum qui ſcit omnia antequam fiant, & nouit vt dictum eſt, quid nobis ſit neceſſe antequã petamus ab eo? Primò hîc reſpondetur nõ verbis nos agere debere apud Deum vt impetremus quod volumus, ſed rebus quas animo gerimus & intentione cogitationis cum dilectione pura & ſimplici affectu. Sed res ipſas verbis nos docuiſſe Dominum noſtrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. Sed rurſus quæri poteſt, ſiue rebus, ſiue verbis orandũ ſit, quid opus ſit ipſa oratione, ſi Deus iam nouit quid nobis neceſſarium ſit: niſi quia ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciúſque efficit ad excipienda diuina munera, quæ ſpiritaliter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem ſed intelligibilem & ſpiritalem, ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuerſio cordis ad eum qui ſemper dare paratus eſt, ſi nos capiamus quod dederit: & in ipſa conuerſione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, vt acies cordis ſimplicis, ferre poſſit ſimplicem lucem, diuinitus ſine vllo occaſu aut immutatione fulgentem: nec ſolùm ferre, ſed etiam manere in illa, non tantùm ſine moleſtia, ſed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac ſinceriter beata vita perficitur.

SED iam conſiderandum eſt, quæ nos orare ille præcepit, per quem & diſcimus quid oremus, & conſequimur quod oramus. *Sic itaque orate vos*, inquit, *Pater noſter qui es in cælis*: Et reliqua. Cùm in omni deprecatione beneuolentia conci- Cap. IV. Matt. 6. 9. Orationis Dominicæ explicatio.

lianda fit eius quem deprecamur; deinde dicendum quid deprecemur, laude illius ad quem oratio dirigitur solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet. In quo Dominus noster nihil aliud nos dicere iussit, nisi, *Pater noster qui es in cælis.* Multa dicta sunt in laudem Dei quæ per omnes sanctas scripturas variè latéque diffusa poterit quisque considerare cùm legit: nusquam tamen inuenitur præceptum populo Israël, vt diceret, *Pater noster,* aut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tanquam seruientibus, id est secundùm carnem adhuc viuentibus. Hoc autem dico, cùm mandata legis acciperent quæ obseruare iubebantur. Nam Prophetæ sæpe ostendunt eundem Dominum Deum etiam patrem eorundem esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent. Sicut est illud: *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et illud, *Ego dixi dij estis, & filij Excelsi omnes.* Et illud: *Si dominus sum, vbi est timor meus: & si pater sum, vbi est honor meus?* Et alia permulta, vbi arguuntur Iudæi, quia filij esse peccando noluerunt, exceptis eis quæ in prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, quia patrem Deum esset habiturus, secundùm illud Euangelium: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Apostolus autem Paulus dicit: *Quamdiu hæres paruulus est, nihil differt à seruo:* & spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus: *Abba pater.*

Isa.1.2. Psal.81.6. Malac.1.6. Ioan.1.12. Gal.4.1. Rom.8.15.

Et quoniam quòd vocamur ad æternam hereditatem, vt simus Christi coheredes & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei: eandem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cùm dicimus, *Pater noster.* Quo nomine & charitas excitatur. Quid enim charius filiis debet esse quàm pater? Et supplex affectus, cùm homines dicunt Deo, *Pater noster:* & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus, cùm priusquam aliquid peteremus tam magnum donum accipimus, vt sinamur dicere: *Pater noster,* Deo. Quid enim iam non det filiis petentibus, cùm hoc ipsum ante dederit, vt filij essent? Postremò quanta cura animum tangit, vt qui dicit: *Pater noster,* tanto patre non sit indignus. Si enim quisquam plebeius senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit nec facilè audebit, cogitans humilitatem generis sui

& opum indigentiam & plebeiæ personæ vilitatem. Quantò ergo magis trepidandum est appellare patrem Deum, si tantæ sunt labes, tantæque sordes in moribus, vt multò iustius eas à sua coniunctione Deus expellat, quàm ille senator cuiusuis mendici egestatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quò & ipse potest humanarum rerum fragilitate deuenire. Deus autem in sordidos mores nunquam cadit: & gratias misericordiæ ipsius, qui hoc à nobis exigit, vt pater noster sit, quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hìc diuites, vel genere nobiles secundùm seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster*, quod non possunt verè ac piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

VTATVR ergo voce noui Testamẽti populus nouus, ad ęternã hereditatẽ vocatus, & dicat: *Pater noster qui es in cælis*, id est, in sanctis & iustis: Non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim cæli excelsa mundi corpora, sed tamen corpora quæ non possunt esse nisi in loco. Sed si in cælis tanquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aues, quarum vita est Deo vicinior. Non enim scriptum est, prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant, sed scriptum est: *Prope est Dominus obtritis corde*, quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator; cùm ei dictum est: *Terra es & in terram ibis*, sic cælum iustus econtrariò dici potest. Iustis enim dicitur: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*. Quapropter si in templo suo habitat Deus, & sancti templum eius sunt, rectè dicitur, *qui in cælis es*, qui es in sanctis. Cap. v. Psal. 33. 19. Gen. 3. 19. 1. Cor. 3. 17.

Et accommodatissima ista similitudo est, vt spiritaliter tantùm interesse videatur inter iustos & peccatores, quantùm corporaliter inter cælum & terram. Cuius rei significandæ gratia, cùm ad orationem stamus, ad orientem conuertimur, vnde cælum surgit: non tanquam ibi sit Deus & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ; sed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est ad Dominum, cùm ipsum corpus eius quod est terrenum ad

corpus excellentius, id est ad corpus cæleste conuertitur. Conuenit etiam gradibus religionis & plurimùm expedit, vt omnium sensibus & paruulorum & magnorum bene sentiatur de Deo: Et ideò qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est vt cælum præferant terræ, tolerabilior est opinio eorum si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potiùs credant esse quàm in terra. Vt cùm aliquando cognouerint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in anima quàm in corpore etiam cælesti. Et cùm cognouerint quantum distat inter peccatorum animas & iustorum, sicut non audebant cùm adhuc carnaliter saperent eum in terra collocare, sed in cælo: sic postea meliori fide vel intelligentia magis eum in animis iustorum quam in peccatorum requirant. Rectè ergo intelligitur, quod dictum est, *Pater noster qui es in cælis*, in cordibus iustorum esse dictum, tanquam in templo sancto suo. Simul etiam vt qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem inuocat, & cum hoc affectu teneat iustitiam, quo munere inuitatur ad inhabitandum animum Deus.

Iam videamus quæ sint petenda: Dictum est enim qui sit qui petitur, & vbi habitet. Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, *Sanctificetur nomen tuum.* Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius quod magis offendere timeant:
Psal 75. 1. Neque enim quia dictum est; *Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius:* sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi maior; sed ibi magnum est nomen eius, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen eius, vbi cum veneratione & offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Euangelium adhuc vsquequaque per diuersas gentes innotescendo, commendat vnius Dei nomen per administrationem Filij eius.

Cap. VI. DEINDE sequitur, *Adueniat regnum tuum.* Sicut ipse Dominus in Euangelio docet, tunc futurum esse iudicij diem, cùm Euangelium prædicatum fuerit in omnibus Gentibus, quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Non enim

& hic ita dictum est, *Adueniat regnum tuum*, quasi nunc Deus non regnet. Sed fortè quis dicat, adueniat dictum esse in terrā: quasi verò non etiam ipse nunc regnet in terra, semperque in ea regnauerit à constitutione mundi. Adueniat ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux absens est cæcis & eis qui oculos claudunt: ita Dei regnum quamuis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus: Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cùm eius vnigenitus, non solùm intelligibiliter sed etiam visibiliter in homine dominico de cælo venerit iudicaturus viuos ac mortuos. Post quod iudicium, id est, cum discretio & separatio iustorum ab iniustis facta fuerit, ita inhabitabit iustos Deus vt non opus sit cuiquam doceri per hominem, sed sint omnes, vt scriptum est, docibiles Deo. Deinde beata vita omni ex parte perficiatur in sanctis in æternum, sicuti nunc cælestes Angeli sanctissimi atque beatissimi solo Deo illustrante sapientes & beati sunt, quia & hoc promisit Deus sanctis suis: *In resurrectione erunt*, inquit, *sicut Angeli in cælis*. Et ideò post illam petitionem, qua dicimus, Adueniat regnum tuum, sequitur:

Mat. 14. 14
Vide lib. 1. Retrac. c. 19.
Mat. 22. 30.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, id est, sicut est in Angelis qui sunt in cælis voluntas tua: vt omnino tibi adhæreant téque fruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum: ita fiat in sanctis tuis qui in terra sunt & de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, & quamuis ad cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hæc respicit etiam illa Angelorum prædicatio: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, vt cùm præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei sicuti est in cælestibus Angelis, vt nulla aduersitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item *fiat voluntas tua*, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis, *sicuti in cælo & in terra*, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei cùm obtemperatur præceptis eius, ipse Dominus dicit, cùm ait: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit*. Et sæpe, *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit*. Et cùm ait: *Ecce mater mea & ecce fratres mei, & quicunque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est*

Luc. 2. 14.
Ioan. 4. 34.
Ibid. 6. 38.
Mat. 12. 49. & 50.

frater, & mater, & soror. Qui enim faciunt voluntatem Dei, in illis vtique fit voluntas Dei : Non quia ipsi faciunt, vt velit Deus, sed quia faciunt quod ille vult, id est secundùm voluntatem eius.

Est etiam ille intellectus : *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra,* sicut in sanctis & iustis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest. Siue, vt oremus etiam pro inimicis nostris : Quid enim sunt aliud habendi contra quorum voluntatem Christianum & Catholicum nomen augetur ? Vt ita dictum sit, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra,* tanquam si diceretur, faciant voluntatem tuam sicuti iusti, ita etiam & peccatores, vt ad te conuertantur. Siue ita, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra,* vt sua cuique tribuantur : quod fit in extremo iudicio vt iustis præmium, peccatoribus damnatio tribuatur, cum agni ab hædis separabuntur.

Ille etiam non absurdus, imò etiam & fidei & spei nostræ conuenientissimus intellectus est, vt cælum & terram accipiamus, spiritum & carnem. Et quod dicit Apostolus : *Men-*
Rom. 7. 25. *te seruio legi Dei, carne autem legi peccati,* videamus factam voluntatem Dei in mente, id est in spiritu. *Cùm autem absorpta*
1. Cor. 15. 54 *fuerit mors in victoria, & mortale hoc induerit immortalitatem,* quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur iustis, secundùm eiusdem Apostoli prædicationem, *Fiat voluntas Dei sicut in cælo & in terra,* id est, vt quemadmodum spiritus non resistit Deo sequens & faciens voluntatem eius : ita & corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est : quod erit summæ pacis in vita æterna, vt non solùm velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonum:
Rom. 7. 18. *Nunc enim velle,* inquit, *adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio:* quia nondum in terra sicuti in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam & in miseria nostra fit voluntas Dei, cùm ea patimur per carnem quæ nobis mortalitatis iure debentur, quam peccando meruit nostra natura. Sed id orandum est, vt sicut in cælo, ita & in terra fiat voluntas Dei; id est, vt quemadmodum corde condelectamur lege, secundùm interiorem hominem, ita etiã corporis immutatione facta, huic nostræ delectationi nulla

pars

pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus aduersetur. Nec illud à veritate abhorret, vt accipiamus; *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sicut in ipso Domino nostro IESV CHRISTO, ita & in Ecclesia: tanquam in viro qui Patris voluntatem impleuit, ita & in fœmina quæ illi desponsata est. Cælum enim & terra conuenienter intelligitur, quasi vir & fœmina, quoniam terra cælo fœcundante fructifera est.

Quarta petitio: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Cap VII. Panis quotidianus, aut pro his omnibus dictus est, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, de quo cùm præcipit, ait: *Nolite cogitare de crastino*, vt ideò sit additum, *Da nobis hodie.* Matt. 6.34. Aut pro Sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus: Aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit: *Operamini escam quæ non corrumpitur*: Et illud, *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi.* Ioan. 6.27. & 41. Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam fortè quispiam moueatur, cur oremus pro his adipiscendis quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus & tegumentum, cùm ipse Dominus dicat: *Nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini.* Matt. 6. 31 An potest quisque de ea re pro qua adipiscenda orat non esse sollicitus, cùm tanta intentione animi oratio dirigenda sit, vt ad hoc totum illud referatur quod de claudendis cubiculis dictum est. Et illud quod ait: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis?* Ibid. 33. Non ait vtique, quærite primum regnum Dei, & deinde ista quærite. *Sed hæc omnia*, inquit, *apponentur vobis*, scilicet etiam non quærentibus. Quomodò autem rectè dicatur non quærere aliquis, quod vt accipiat intentissimè Deum precatur, nescio vtrum inueniri queat.

De Sacramento autem corporis Domini vt illi non moueant quæstionem, qui plurimi in orientalibus partibus, non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cùm iste panis quotidianus dictus est. Vt ergo illi taceant, neq; de hac re suã sententiam defendant, vel ipsa auctoritate Ecclesiastica sint cõtenti quòd sine scandalo ista faciunt, neq; ab eis qui Ecclesiis præsunt facere prohibentur, neque non obtemperantes dãnantur: vnde probatur non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem. Nam magni peccati crimine arguerentur qui ex eo non accipiunt quotidie. Sed vt de istis, vt dictum est, nihil in aliquam partem differamus, illud certè de-

bet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi à Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid vel prætereundo. Quod cùm ita sit, quis est qui audeat dicere semel tantùm nos orare debere orationem Dominicam, aut certè etiam si iterum vel tertiò vsque ad eam tantùm horam qua corpori Domini communicamus, postea verò non sit orandum per reliquas partes diei? Non enim iam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod iam acceperamus. Aut poterit quisque cogere vt etiam vltima diei parte Sacramentum illud celebremus?

Restat igitur, vt quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet diuina, quæ quotidie opotet meditari & operari. Nam de ipsis Dominus dicit: *Operamini escam quæ non corrumpitur.* Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et reuera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternant, tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium; sic & animus quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur.

Da nobis hodie dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est in hac temporali vita. Sic enim cibo spiritali post hanc vitam saturabimur in æternum, vt non tunc dicatur, quotidianus panis: quia ibi temporalis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, vnde appelletur quotidie, nulla erit. Vt autem di-
Psal. 94. 8. ctum est: *Hodie si vocem eius audieritis*, quod interpretatur
Heb. 3. 7. Apostolus in Epistola quæ est ad Hebræos, quamdiu dicitur hodie: ita & hîc accipiendum est, *da nobis hodie*. Si quis autem etiam illa quæ de victu corporis necessario, vel Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet vt coniunctè accipiantur omnia tria, vt scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & sacramentum visibile, & inuisibile verbi Dei.

Cap. VIII. SEQVITVR quinta petitio: *Et dimitte nobis debita nostra,*
Matt. 6. 12. *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Debita peccata dici-

manifestum est, vel illinc quòd ait idem Dominus: *Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem*; vel illinc quod debitores appellauit qui ei denuntiati sunt extincti, vel ruina turris, vel quorum sanguinem Herodes sacrificio miscuit. Dixit enim, putare homines quòd illi vltra modum debitores essent, id est peccatores, & addidit: *Amen dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, similiter moriemini.* Non hîc ergo quisque vrgetur pecuniã dimittere debitoribus, sed quæcunque in eũ alius peccauerit. Nã pecuniam dimittere illo potiùs iubemur præcepto, quod superiùs dictũ est: *Si quis tibi tunicam tollere voluerit & iudicio contendere, dimitte ei & pallium*; nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitũ, sed ei qui reddere noluerit, intantum vt vellet etiam litigare: *Seruum autem Domini*, vt ait Apostolus, *non oportet litigare.* Qui ergo vel sponte conuentus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nollet reddere, vel quòd non habeat, vel quòd auarus sit reique alienæ cupidus. Vtrunque autem pertinet ad inopiam. Nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit inopi debitum, inopi dimittit opusque Christianum operatur, manente illa regula, vt in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modestè & leniter omnimodo egerit, vt sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quàm vt hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere vnde reddat, & non reddere; non solùm non peccabit, sed proderit ei etiam plurimùm, ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur, quod tantò est grauius, vt nulla sit comparatio.

Matt. 5. 26.
Luc. 13. 2.
Mat. 5. 40.
2. Tim. 2. 24

Ex quo intelligitur etiam in ista quinta petitione, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, non de pecunia quidem dici, sed de omnibus quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecunia. Peccat namque in te, qui tibi pecuniam debitam cùm habeat vnde reddat recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere, *dimitte nobis sicut & nos dimittimus.* Si autem ignoueris, vides etiam de pecunia animi dimittenda admoneri eum, cui tali prece orare præcipitur.

Illud sanè tractari potest, vt quando dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, & reliqua; tunc conuincamur contra istam re-

gulam fecisse, si eis non dimittimus qui veniam petunt, quia & nobis veniam petentibus à benignissimo Patre dimitti volumus. Sed illo rursus præcepto, quo iubemur orare pro inimicis nostris, non pro his iubemur qui veniam petunt. Iam enim qui tales sunt, non sunt inimici: Nullo modo quisquam verè dixerit orare se pro eo cui non ignouerit. Quapropter fatendum est, omnia peccata dimittenda esse, quæ in nos admittuntur, si volumus nobis à Patre dimitti quæ admittimus. Nam de vindicta superiùs, vt arbitror, satis disputatum est.

Cap. IX. Mat. 6. 13. SEQVITVR sexta petitio: *Et ne nos inferas in tentationem.* Nonnulli codices habent inducas, quod tantundem valere arbitror Nam ex vno Græco quod dictum est εἰσενέγκῃς vtrumque translatum est: Multi autem precando, ita dicunt: *Ne nos patiaris induci in tentationem*, exponentes videlicet quomodò dictum sit inducas: Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpe manifestis dignum iudicat ille quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, siue sibi-ipsi, sicut scriptum est: *Qui non est tentatus, qualia scit?* siue Eccl. 34. 9. 11. alij, sicut Apostolus ait: *Et tentationem vestram in carne mea non* Gal. 4. 14. *spreuistis*. Hinc enim eos firmos cognouit, quia eius tribulationibus, quæ Apostolo in carne acciderant, non sunt à charitate deflexi; nam Deo noti sumus, & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

Deut. 13. 3. Quod itaque scriptum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum:* illa locutione positum est, *vt sciat*, pro eo quod est, vt scire vos faciat: sicut diem lætum dicimus, quòd lætos faciat, & frigus pigrum, quòd pigros facit, & innumerabilia huiusmodi, quæ siue in consuetudine loquendi, siue in sermone doctorum, siue in scripturis sanctis reperiuntur, quod non intelligentes hæretici veteri testamento aduersantur, velut ignorantiæ vitio notandum putantes, de eo quod dictum est: *Tentat vos Dominus Deus vester*, quasi in Ioan. 6. 6. Euangelio de Domino scriptum non sit: *Hoc autem dicebat tentans eum, nam ipse sciebat quod esset facturus.* Si enim nouerat cor eius quem tentabat, quid est quod voluit videri tentan-

do? Sed profectò illud factum est, vt ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suámque desperationem condemnaret saturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent existimauerat. Non ergo hic oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem: quia si quispiam est cui necesse sit igne examinari, non orat vt igne non contingatur; sed vt non exuratur: *Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Eccl.27.6.

Ioseph ergo tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tentata est, nec inducta vel illata in tentationem: Multique alij vtriusque sexus, sed Iob maximè: cuius admirabilem stabilitatem in Deo Domino suo, cùm illi hæretici hostes veteris Testamenti ore sacrilego irridere voluerint, illud præ cæteris ventilant, quod satanas petierit eum tentandum. Quærunt enim ab imperitis hominibus, talia intelligere nequaquam valentibus, quomodò satanas cum Deo loqui potuerit: non intuentes (non enim possunt superstitione & contentione cæcati) Dominum non loci spatium mole corporis occupare, & sic alibi esse, alibi non esse, vel certè hîc habere partem aliam, & alibi aliam; sed maiestate vbique præsto esse, non per partes diuisum, sed vbique perfectum. Quòd si carnaliter intuentur quod dictum est: *Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.* Cui loco Dominus attestatur dicens: *Non iuretis, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius;* quid mirum si in terra diabolus constitutus, ante pedes Dei stetit, & coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamuis peruersam, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus? Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die qua iudicabit Dominus occulta hominum.* Quapropter si hominis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cùm cogitat & ratiocinatur, quicquid in ea ratiocinatione

Gen.39.7. Dan.13.20. Iob 1.13. Isa.66.1. Mat.5.34. Rom.2.14.

verum est non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, vt verum aliquid in ratiocinando sentiat; quid mirum si diaboli anima praua cupiditate peruersa, quicquid tamen verum de iusto viro cogitauit cùm eum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur. Quicquid autem falsum, illi cupiditati tribuitur, qua diaboli nomen accepit.

Quamuis etiam per creaturam corporalem atque visibilem Deus plerumque locutus est seu bonis seu malis, tanquam omnium Dominus & rector & pro cuiusque rei meritis ordinator, sicut per Angelos qui hominum quoque aspectibus apparuerunt, & per Prophetas dicentes: *Hæc dicit Dominus.* Quid ergo mirum, si quanquam non ipsa cogitatione, per aliquam certè creaturam tali operi accommodatam Deus locutus esse cum diabolo dicitur? Nec dignitatis esse arbitrentur, & quasi iustitiæ meritum, quòd cùm illo Deus locutus est: quoniam locutus est cum anima angelica quanquam stulta & cupida, tanquam si loqueretur cum anima humana stulta & cupida. Aut ipsi dicant quomodò locutus est Deus cum illo diuite, cuius cupiditatem stultissimam arguere voluit dicens:
Luc. 12. 20. *Stulte, hac nocte anima tua expostulatur à te, hæc quæ præparasti cuius erunt?* Certè hoc ipse Dominus in Euãgelio dicit, cui hære-
Iob 1. 10. tici isti velint nolint colla submittunt. Si autẽ hoc mouentur, quòd tentandum iustum satanas petit à Deo: non ego expono quare sit factum, sed ipsos cogo exponere quare sit dictum in Euangelio ab ipso Domino discipulis: Ecce satanas expetit
Luc. 22. 31. vos vexare quasi triticum. Et Petro ait: *Ego autem postulaui ne deficiat fides tua.* Cùm autem hæc exponunt mihi, simul illud quod à me quærunt exponunt sibi. Si verò non valuerint hoc exponere, non audeant id quod in Euangelio sine offensione non intelligunt, in alio libro cum temeritate culpare.

Fiunt igitur tentationes per satanam non potestate eius, sed permisso Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos & exercendos. Et interest plurimùm in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Iudas qui vendidit Domi-

num, in qualem incidit Petrus, cùm territus Dominum negauit. Sunt enim tentationes humanæ, credo cùm bono quisque animo secundùm humanam tamen fragilitatem in aliquo consilio labitur: aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulò tamen ampliùs quàm Christiana tranquillitas postulat, de quibus Apostolus dicit: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, cũ idem dicat: *Fidelis Deus qui vos nõ sinat tentari supra quam potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam prouentum vt possitis tolerare.* In qua sententia satis ostendit, non id nobis orandum esse vt non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim si tales acciderint quales ferre non possumus. Sed cùm tentationes periculosæ, in quas inferri atque induci periculosum est, aut prosperis rebus temporalibus, aut aduersis oriantur, nemo frangitur rerum aduersarum molestia qui prosperarum dilectione non capitur. 1. Cor. 10. 13

Vltima & septima petitio est: *Sed libera nos à malo.* Orandum est enim vt non solùm non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur quò iam inducti sumus. Quod cùm factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit vlla tentatio. Quod tamen in hac vita quamdiu istam mortalitatem circumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri, sed tamen aliquando futurum sperandum est, & hæc est spes quæ non videtur. De qua cùm loqueretur Apostolus, ait: *Spes autem quæ videtur, non est spes.* Sed tamen sapientia quæ in hac quoque vita concessa est, fidelibus seruis Dei non est desperanda. Hæc est autem, vt id quod Domino reuelante fugiendum esse intellexerimus, cautissimâ vigilantiâ fugiamus: & id quod Domino reuelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate appetamus. Ita enim relicto mortalitatis huius onere, ipsa morte deposita, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est: & cui capessendæ atque obtinendæ aliquando, nunc omnis conatus impenditur. Matt. 6. 14. Rom. 8. 24.

SED harum septem petitionum consideranda & commendanda distinctio est. Nam cùm vita nostra temporaliter nunc agitur, atque speratur æterna, & cùm æterna priora sint dignitate, quamuis temporalibus priùs actis ad illa transeatur, Cap. x.

trium primarum petitionum impetrationes sunt, quanquam in hac vita, quæ in isto seculo agitur, exordium capiant. Nam & sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini aduentu agi cœpit, & aduentus regni eius, quo in claritate venturus est, non iam finito seculo, sed in fine seculi manifestabitur, & perfectio voluntatis eius, sicut in cælo & in terra: siue iustos & peccatores cælum & terram intelligas, siue spiritum & carnem, siue Dominum & Ecclesiam, siue omnia simul: ipsa perfectione nostræ beatitudinis, & ideò seculi terminatione complebitur, tamen omnia tria in æternum manebunt; nam & sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, & regni eius non est finis, & perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita, quæ nobis promittitur. Reliqua verò quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc ipso enim, quòd dictus est quotidianus panis, siue spiritalis significetur, siue in Sacramento, aut in victu iste visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellauit hodie: non quia spiritalis cibus non est sempiternus, sed quia iste, qui quotidianus dictus est in Scripturis, siue in strepitu sermonis, siue quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc vtique non erunt, cum omnes erunt docibiles Deo, & ipsam ineffabilem lucem veritatis, non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes.

Mat. 6. 11.

Isa. 54. 13. Ioan. 6. 45.

Nam fortasse & propterea panis dictus est, non potus: quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum conuertitur, sicut Scripturæ aperiendo & disserendo animam pascunt, potus verò paratus, sicuti est, transit in corpus. Vt isto tempore panis sit veritas, cùm quotidianus panis dicitur; tunc autem potus, cùm nullo labore disputandi & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sinceræ & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est. Tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia peccata & tentationes temporalem istam vitam infestant. Non autem erunt, cùm perfectum fuerit quod dictum est: *Abscondes eos in abdito * vultus tui.* Et malum, à quo liberari

Psal. 30. 21. * al. absc. dito.

liberari optamus, & ipsa liberatio a malo ad hanc vtique vitam pertinet, quam & iustitiâ Dei mortalem meruimus, & vnde ipsius misericordiâ liberabimur.

Videtur etiam mihi septenarius iste numerus harum petitionum, congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manauit. Si enim timor Dei est, quo *beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* petamus vt sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in secula seculorum. Si pietas est, qua *beati sunt mites, quoniam ipsi possidebunt terram,* petamus vt veniat regnum eius: siue in nosipsos, vt mitescamus, nec ei resistamus, siue de cælo in terras in claritate aduentus Domini, quo nos gaudebimus, & laudabimur, dicente illo: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. In Domino*, inquit Propheta, *laudabitur anima mea: audiant mansueti, & iocundentur.* Matt. 25. 34 Psal. 33. 3. Si scientia est, qua *beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, oremus vt fiat voluntas eius, sicut in cælo & in terra: quia cùm corpus tanquam terra, spiritui tanquam cælo, summa & tota pace consenserit, non lugebimus; nam nullus alius huius temporis luctus est, nisi cùm aduersus se ista confligunt, & cogunt nos dicere: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, Rom. 7. 23. & luctum nostrum lacrymosa voce testari: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Si fortitudo est, qua *beati sunt qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, oremus vt panis noster quotidianus detur nobis hodie: quo fulti atque sustentati, ad plenissimam illam saturitatem venire possimus. Si consilium est, quo *beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus*, dimittamus debita debitoribus nostris, & oremus vt nobis nostra dimittantur. Si intellectus est, quo *beati sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, oremus non induci in tentationem: ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quò referamus omnia quæ operamur, sed simul temporalia & terrena sectando. Tentationes enim ex his rebus, quæ graues & calamitosæ videntur hominibus, non in nos valent, si non valeant illæ, quæ blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas & lætabundas putant. Si sapientia est, qua *beati sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, oremus vt liberemur

Rom. 8.15. Gal. 4. 6. à malo: ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est filios Dei, vt spiritu adoptionis clamemus Abba pater.

Sanè non negligenter prætereundum est, quod ex omnibus his sententiis, quibus nos orare Dominus præcepit, eam potissimùm commendandam esse iudicauit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum: in qua nos misericordes esse voluit, quod vnum est consilium miserias euadendi. Nulla Matt. 6.12. enim alia sententia sic oramus, vt quasi paciscamur cum Domino, dicimus enim: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* In qua pactione si mentimur, totius orationis nullus erit fructus. Sic enim dicit: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis delicta vestra.*

Cap. XII. SEQVITVR de ieiunio præceptum, pertinens ad eandem cordis mundationem, de qua nunc agitur. Nam & in hoc opere cauendum est, ne surrepat aliqua ostentatio & appetitus laudis humanæ, qui duplicet cor nostrum, & non sinat Matt. 6.16. mundum & simplex esse ad intelligendum Deum. *Cum autem ieiunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim vultum suum, vt videantur ab hominibus ieiunantes. Amen dico vobis perceperunt mercedem suam. Vos autem ieiunantes vngite capita vestra & facies vestras lauate, ne videamini hominibus ieiunantes, sed Patri vestro qui est in abscondito, & Pater vester qui videt in abscondito reddet vobis.* Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi: ne foris quærentes mercedem, huic seculo conformemur, & amittamus promissionem tanto solidioris atque firmioris, quantò interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis Filij sui.

In hoc autem capitulo maximè aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam: & eo periculosiorem, quò sub nomine seruitutis decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitu, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facilè conuincitur rebus ipsis, pompariū seculi esse sectator, nec quenquam fallit dolosa imagine sanctitatis. Qui autē in professione Christianitatis inusitato squalore ac

sordibus intentos in se oculos hominũ facit, cùm id voluntate faciat, nõ necessitate patiatur, cæteris eius operibus potest coniici, vtrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat, quia & sub ouina pelle cauendos lupos Dominus præcepit, *sed ex fructibus*, inquit, *eorũ cognoscetis eos*. Cùm enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa scilicet illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine cõsecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est vt appareat, vtrum lupus in ouina pelle sit, an ouis in sua. Non enim propterea ornatu superfluo debet aspectus hominũ mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium, etiam simulatores sæpiùs vsurpant, vt incautos decipiant, quia & illæ oues non debent pelles suas deponere, si aliquãdo eis lupi se cõtegant.

Quæri ergo solet quid sit quod ait: *Vos autem cùm jejunatis, vngite capita vestra*, & reliqua. Non enim rectè quisquam præceperit, quamuis faciem quotidiana consuetudine lauemus, vnctis etiam capitibus, cùm ieiunamus, nos esse debere. Quod si turpissimum omnes fatentur, intelligendum est hoc præceptum vngendi caput, & faciem lauandi, ad interiorem hominem pertinere. Vngere ergo caput ad lætitiam pertinet, lauare autem faciem ad munditiam: & ideò caput vngit, qui lætatur interiùs & mente atque ratione. Hoc enim rectè accipimus caput, quod in anima præeminet, & quo cætera hominis regi & gubernari manifestum est. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiam, vt de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro autem, quæ subiecta esse debet, nullo modo est totius naturæ humanæ caput. *Nemo* quidem *vnquam carnem suam odio habuit*, sicut Apostolus dicit, cùm de diligenda vxore præcipit, *Caput mulieris vir, cui viro caput est Christus*. Interiùs ergo gaudeat in ieiunio suo, eo ipso quo sic se ieiunando auertit à voluptate seculi, vt sit subditus Christo, qui secundùm hoc præceptum caput vnctum habere desiderat. Ita enim & faciem lauabit, id est cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus, sed firmus & stabilis, quoniam mundus & simplex. *Lauamini*, inquit, *mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, atque à conspectu oculorum meorum*. Ab his igitur sordibus facies nostra lauanda est, quibus Dei aspe-

Eph. 5. 30. 1. Cor. 11. 3.

Isa. 1. 16. 2. Cor. 3. 18.

ctus offenditur. *Nos enim reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur.*

Sæpe etiam cogitatio necessariarum rerum ad istam vitam pertinentium sauciat, & sordidat interiorem oculum nostrum: & plerumque cor duplicat, vt ea quæ videmur cum hominibus rectè facere, non eo corde faciamus, quo Dominus præcipit: id est, quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus ergo benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. *Inclinet* ergo *Deus cor nostrum, in testimonia sua,* & non in emolumentum. *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit, non vtique charitati consulit: quia non illi, quem debet tanquam seipsum diligere, sed sibi consulit, vel potiùs nec sibi: quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum, in qua sola visione est beatitudo certa atque perpetua. Rectè ergo sequitur, & præcipit, qui mundando cordi nostro instat, dicens:

Psal. 118. 36. 1. Tim. 1. 5

Cap. XIII. Matt. 6. 19.

NOLITE *vobis condere thesauros in terra, vbi ærugo & tinea exterminant.* Et reliqua: Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiscatur, quomodò erit mundum cor, quod in terra volutatur? Si autem in cælo, mundum erit, quia munda sunt quæcunque cælestia: sordescit enim aliquid, cùm inferiori misceatur naturæ, quamuis in suo genere non sordidæ. Quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamuis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit. Cælum autem in hoc loco non corporeum accipimus, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemnere, qui sibi thesaurizat in cælo, de quo dictum est: Cælum cæli Domino, id est, in firmamento spiritali. Non enim in eo quod transit, constituere & collocare debemus thesaurum nostrum & cor nostrum, sed in eo quod semper permanet. *Cælum* autem *& terra transibunt.*

Psal. 113. 16 Mat. 24. 35.

Et hic manifestat de mundando corde se cuncta ista præci-

pere, cùm dicit: *Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum fuerit.* Qui locus sic intelligendus est, vt nouerimus omnia opera nostra tunc esse munda, & placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est intentione superna, fine illo charitatis: quia & *plenitudo legis charitas.* Oculum ergo hîc accipere debemus ipsam intentionem, qua facimus quicquid facimus; quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundùm eam operamur necesse est bona sint. Quæ omnia opera totum corpus appellauit, quòd & Apostolus membra nostra dicit quædam opera, quæ improbat, & mortificanda præcipit dicens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam,* Col. 3. 5. *auaritiam,* & cætera talia.

Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus: omne enim quod manifestatur, lumen est. Nam ipsa facta, quæ ad hominum societatem à nobis procedunt, incertum habent exitum, & ideò tenebras eas vocauit. Non enim noui, cùm pecuniam porrigo indigenti & petenti, quid inde aut facturus sit, aut passurus: & fieri potest vt vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cùm darem, non euenire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque si bono animo feci, quod mihi facerem, notum erat, & ideò lumen vocatur, illuminatur etiam factum meum, qualemcunque exitum habuerit: qui exitus quoniam incertus & ignotus est, tenebræ appellatæ sunt, & duplici corde quasi vmbram facit. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt. Lumen enim dicitur, quia nouit quisque quo animo faciat, etiam cum malo animo facit; sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, & duplici corde quasi vmbrā facit: *Si ergo lumē, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ sunt?* Hoc est, si ipsa cordis intētio, qua facis quod facis, quę tibi nota est, sordidatur appetitu rerū terrenarum & temporalium, atque cæcatur, quantò magis ipsum factū, cuius incertus est exitus, sordidum & tenebrosum est? quia & si bene alicui proueniat,

quod tu non recta & munda intentione facis, quomodò tu feceris, tibi im-putatur, non quomodò illi prouenerit.

Cap. xiv. Matt. 6. 24. QVOD autem sequitur & dicit: *Nemo potest duobus dominis seruire*, ad hanc ipsam intentionem referendum est, quod consequenter exponit, dicens: *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut alterum patietur, & alterum contemnet.* Quæ verba diligenter consideranda sunt, nam qui sint duo domini, deinceps ostendit, cùm dicit: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Mammona apud Hebræos diuitiæ appellari dicuntur. Congruit & Punicum nomen, nam lucrum Punicè mamon dicitur. Sed qui seruit mammonæ, illi vtique seruit, qui rebus istis terrenis merito suæ peruersitatis præpositus, magistratus huius seculi à Domino dicitur. *Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget homo*: id est, Deum, aut *alterum patietur, & alterum contemnet.* Patietur enim durum & perniciosum dominum, quisquis seruit mammonæ: sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo: & non eum diligit, quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur. Sic in maiore aliqua domo, qui ancillæ alienæ coniunctus est, propter cupiditatem suam duram patitur seruitutem, etiamsi non diligat eum, cuius ancillam diligit. Alterum autem contemnit, dicit, non odio habebit. Nullius enim ferè conscientia Deum odisse potest: contemnit autem, id est non timet Vide lib. 1. Retr. c. 19. eum, qui quasi de eius bonitate securus est.

Ab hac negligentia & perniciosa securitate reuocat nos Spiritus sanctus, cùm per Prophetam dicit: *Fili, ne adijcias peccatum super peccatum, & dicas; Miseratio Dei magna est: Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te inuitat?* Cuius enim tanta misericordia commendari potest, quàm eius qui omnia donat peccata conuersis, & oleastrum facit participem pinguedinis oliuæ? Et cuius tanta seueritas, quàm eius qui naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit illos? Sed quisquis vult diligere Deum, & cauere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse seruire, & intentionem cordis sui rectam, ab omni duplicitate explicet. Ita enim sentiens de Deo, in bonitate, & in simplicitate cordis quærit illum.

Eccl. 5. 9. Rom. 2. 4 Rom. 11. 21 Sap. 1.

Cap. xv. IDEO, inquit, *dico vobis, non habere sollicitudinem animæ v[...]*

stræ quid edatis, neque corpori vestro quid induatis. Ne fortè, Matt.6.25.
quamuis iam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur: & ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio, cùm aliquid quasi misericorditer operamur, id est, vt cùm consulere alij videri volumus, nostrum emolumentum ibi potius, quàm illius vtilitatem attendamus. Et ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet, vt meminerimus multò ampliùs nobis Deum dedisse, quando nos fecit & composuit ex anima & corpore, quàm est alimentum atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. *Nonne*, inquit, *anima plus est quam esca?* Vt tu intelligas eum, qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum: *& corpus quam vestimentum*, id est, plus est: vt similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multò faciliùs daturum esse vestimentum.

Quo loco quæri solet, vtrum & ad animam cibus iste pertineat, cùm anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita positam nouerimus, cuius retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundùm hanc significationem dictum est etiam illud: *Qui amat animam suam, perdet illam.* Quod nisi de hac vita acceperimus, Ioan.12.25.
quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse Martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ, qua dictum est; *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur,* Matt.16.26.
animæ autem suæ detrimentum faciat? Respicite, inquit, *volatilia* Matt.6.26.
cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis, id est charius vos valetis? Quia vtique rationale animal, sicuti est homo, sublimiùs ordinatum est in rerum natura, quàm irrationabilia, sicut sunt aues.

Quis autem vestrum curans, inquit, *potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis?* id est, cuius potestate atque dominatu factum est, vt ad hanc staturam corpus vestrum perduceretur, eius prouidentia etiam vestiri potest. Non autem vestra cura factum esse, vt ad hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi potest, quòd si curetis, & velitis adijcere vnum cubitum huic staturæ, non

poteſtis. Illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cuius videtis cura factum eſſe, vt tantæ ſtaturæ corpus habeatis.

Dandum autem erat etiam documentũ propter veſtimentũ, ſicut datum eſt propter alimentum. Itaq; ſequitur & dicit, *Cõſiderate lilia agri quomodò creſcunt, non laborant neq; nent*, & reliqua vſq; *Quantò magis*. Sed ipſa documenta non ſic allegoricè diſcutienda ſunt, vt quæramus quid ſignificent aues cæli, aut lilia agri. Poſita ſunt enim, vt de rebus minoribus maiora perſuaderentur: ſicuti illud eſt de iudice, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur: & tamen ſæpe interpellanti viduæ ceſſit, vt eius cauſam conſideraret: non propter pietatem aut humanitatem, ſed ne tædium pateretur. Non enim vllo modo ille iniuſtus iudex perſonam Domini allegoricè ſuſtinet, ſed tamen quantum Deus, qui bonus eſt & iuſtus, curet deprecantes ſe, hinc coniici Dominus voluit: quia nec iniuſtus homo eos, qui illum aſſiduis precibus tædunt, vel propter tædium deuitandum, poteſt contemnere.

Luc. 18. 2.

Cap. XVI. Mat. 6. 31. NOLITE ergo, inquit, *ſolliciti eſſe, dicentes: Quid edemus aut quid bibemus?* & reliqua. Hîc manifeſtiſſimè oſtendit, non hæc eſſe appetenda, tanquam talia bona noſtra, vt propter ea ipſa debeamus bene facere, ſi quid facimus, ſed tamen eſſe neceſſaria. Quid enim interſit inter bonum quod appetendum eſt, & neceſſarium quod ſumendum eſt, hac ſententia declarauit, cùm ait: *Quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis*. Regnum ergo & iuſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus, propter quod omnia facimus quæcunque facimus. Sed quia in hac vita militamus, vt ad illud regnum peruenire poſſimus, quæ vita ſine his neceſſariis agi non poteſt: *Apponentur vobis hæc*, inquit, ſed vos regnum Dei & iuſtitiam eius primùm quærite. Cùm enim dicit illud primum, ſignificauit quod hoc poſterius quærendum eſt, non tempore, ſed dignitate. Illud tanquam bonum noſtrum, hæc tanquam neceſſarium noſtrum, neceſſarium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi gratia, ideò debemus euangelizare, vt manducemus: ſed ideò manducare, vt euangelizemus, nam ſi

Ibid. 33.

propterea

propterea euangelizamus, vt manducemus, vilius habemus Euangelium quàm cibum: & erit iam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in euangelizando.

Quod etiam Apostolus probibet * cùm dicit, licere sibi quidem, & permissum esse à Domino, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant: id est, de Euangelio habeant ea quæ huic vitæ sunt necessaria; sed tamen se non esse vsum hac potestate. Erant enim multi, qui occasionem habere cupiebant acquirendi & vendendi Euangelium, quibus eam volens amputare, Apostolus manibus suis victum suum tolerauit. De his enim alio loco dicit: *Vt amputem occasionem, his qui quærunt occasionem.* Quanquam etiam si vt cæteri boni Apostoli permissu Domini de Euangelio viueret, non in eo victu constitueret finem euangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem in Euangelio collocaret: id est, vt superiùs dixi, non ideò euangelizaret, vt perueniret ad cibum*, & si qua sunt alia necessaria, sed ideò ista sumeret, vt illud impleret, ne non volens, sed necessitate euangelizaret. Hoc enim improbat, cùm dicit: *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt: & qui altario deseruiunt, cum altario compartiuntur. Sic & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere, ego autem nullius horum vsus sum.* Hìc ostendit permissum esse, non iussum, alioquin contra præceptum Domini fecisse tenebitur. Deinde sequitur & dicit: *Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me. Bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam quisque inanem faciat.* Hoc dixit, quia iam statuerat propter quosdam occasionem quærentes manibus suis victum transigere. *Si enim euangelizauero*, inquit, *non est mihi gloria*: id est, si euangelizauero, vt ista fiant in me, id est, si propterea euangelizauero, vt ad illa peruen iam, & finem Euangelij in cibo & potu & vestitu collocauero. Sed quare non est ei gloria? *Necessitas enim*, inquit, *mihi incumbit*, id est, vt ideò euangelizem, quia vnde viuam non habeo, aut vt acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum. Sic enim iam necessitas erit in Euangelio, non voluntas. *Væ enim mihi est*, inquit, *si non euangelizauero*; scilicet quoniam debet euangelizare sic, vt in ipso Euangelio & in regno Dei ponat mercedem, ita enim potest non coactus euangelizare,

al. * prohibet. 1. Cor. 9. 14.

Act. 20. 34. 2. Cor. 11. 12.

1. Cor. 9. 13.

1. Cor. 9. 17. sed volens. *Si enim volens*, inquit, *hoc facio, mercedem habeo. Si autem inuitus, hæc dispensatio mihi credita est*: id est, si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ prædico Euangelium, alij per me habebunt mercedem, qui Euangelium ipsum me prædicante diligunt: ego autem non habebo, quia non ipsum Euangelium diligo, sed eius pretium in illis temporalibus constitutum. Quod nefas est fieri, vt non tanquam filius ministret quisque Euangelium, sed tanquam seruus cui dispensatio credita est: vt tanquam alienum eroget, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ seruitutis dantur extrinsecus.

Quanquam alio loco dispensatorem se dicat. Potest enim & seruus in filiorum numerum adoptatus, eam rem in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc vbi ait; *Si autem inuitus, hæc dispensatio mihi tunc credita est*: talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat vnde ipse nihil accipit. Ergo quæcunque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quàm id propter quod quæritur: & ideò illud primum est propter quod istam rem quæris, non ista res quam propter aliud quæris. Quapropter si Euangelium & regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum & posterius Euangelium, id est, regnum Dei: ita vt si non desit cibus, non quæramus regnum Dei. Hoc est ergo primum quærere cibum, & deinde regnum Dei; hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideò quæramus cibum vt habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Cap. XVII. QVÆRENTIBVS enim primùm regnum Dei & iustitiam eius, id est, hæc præponentibus cæteris rebus, vt propter hæc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint, quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Dixit enim superiùs: *Scit Pater vester quòd horum omnium indigetis*. Et ideò cùm dixisset: *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius*, non dicit, deinde ista quærite, quamuis sint necessaria: sed ait, *hæc omnia apponentur vobis*, id est, consequentur, si illa quæratis, sine vllo vestro impedimento, ne cùm ista

Matt. 6. 8.

quæritis illinc auertamini: aut ne duos fines constituatis, vt & regnum Dei propter se appetatis & ista necessaria, sed hæc potiùs propter illud. Ita vobis non deerunt, quia duobus dominis seruire non potestis. Duobus autem dominis seruire conatur, qui & regnum Dei pro magno bono appetit, & hæc omnia temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum & vni domino seruire, nisi quæcunque sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc vnum assumat: id est, propter regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt victum, annonam & stipendium, sic omnes euangelizantes accipiunt victũ & tegumentũ. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & nõ omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam & stipendia consequantur, aut propter hoc & propter illud.

Sed supra iam dictum est: *Non potestis duobus dominis seruire.* Ergo simplici corde tantummodò propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes. Non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalem cogitare, quorum omnium temporalium nomine crastinum posuit dicens: *Nolite cogitare de crastino.* Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore vbi præterito succedit futurum. Ergo cùm aliquid boni operamur, non temporalia sed æterna cogitemus, tunc erit illud bonum & perfectum opus. *Crastinus enim dies,* inquit, *sollicitus erit sibijpsi,* id est, vt cum oportuerit sumas cibum vel potum vel indumentum, cùm ipsa scilicet necessitas vrgere cœperit. Aderunt enim hæc, quia nouit Pater vester quòd horum omnium indigeatis. *Sufficit enim,* inquit, *diei malitia sua*: id est, sufficit quod sumere vrgebit necessitas ipsa. Quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis. Pertinet enim ad hanc fragilitatem & mortalitatem quam peccando meruimus. Huic ergo pœnæ temporalis necessitatis noli addere aliquid grauius, vt non solùm patiaris harum rerum indigentiam, sed etiam propter hanc explendam milites Deo.

Matt.6.24.

Vide lib.1. Retrac.c.19

Hoc autem loco vehementer cauendum est, ne fortè cùm viderimus aliquem seruum Dei prouidere ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis quorum sibi cura commissa est, iudice-

mus eum contra præceptum Domini facere & de crastino esse sollicitum. Nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cùm aliquem seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est cum pecunia, vnde vsibus necessariis quicquid opus fuisset præberetur: quorum loculorum custos & fur, sicut scriptum est, Iudas fuit, qui eum tradidit. Sicut & Apostolus Paulus potest videri de crastino cogitare, cùm dicit: *De collectis autem in Sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite: secundum vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se ponat thesaurizans, quod ei placuerit: vt non cùm venero, tunc collectæ fiant. Cum autem aduenero, quoscunque approbaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Hierusalem. Quod si dignum fuerit vt ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertransiero: apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hyemabo, vt vos me educatis quocunque iero. Nolo autem vos nunc in transitu videre, spero enim me aliquod temporis manere apud vos, si permiserit Dominus. Permanebo enim Ephesi vsque ad Pentecosten.* Item in actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Sic enim legimus: *In illis diebus descenderunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, eratque magna exultatio. Congregatis autem nobis, surgens vnus ex illis, nomine Agabus, significauit per spiritum, famem magnam futuram in vniuerso orbe, quæ facta est sub Claudio Cæsare. Descendentium autem vt quisque abundabat, statuerunt vnusquisque eorum in ministerium mittere Presbyteris habitantibus in Iudæa fratribus, qui & miserunt per manus Barnabæ & Sauli.* Et quia nauiganti eidem Apostolo Paulo imposita sunt vtensilia, quæ offerebantur, non ad vnum tantùm diem videtur victus esse procuratus. Et quod idem scripsit: *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis bonum, vt habeat vnde tribuat cui opus est quod bonum est.*

Malè intelligentibus non videtur seruare præceptum Domini, quo ait: *Respicite*, inquit, *volatilia cæli, quoniam non seminant neque metunt, & considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent*: cùm istis præcipit vt laborent, operantes

Mat. 4. 11. | 1. Cor. 16. 1. | Act. 11. 27. | Act. 28. 10. | Eph. 4. 28. | Mat. 6. 26.

manibus suis, ita vt habeant quod etiam aliis possint tribuere: 1. Th. 2. 9.
& quod sæpe de seipso dicit, quod manibus operatus est, ne 2. Thes. 3. 8.
quem grauaret. Et de illo scriptum est, quòd coniunxerit se Act. 18. 3.
Aquilæ propter artis similitudinem, vt simul operarentur vnde victum transigerent, non videtur imitatus aues cæli & lilia agri. His & huiusmodi scripturarum locis, satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, vt in operibus suis non regnum Dei, sed istorum inquisitionem intueatur. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum dirigitur, vt etiam in istorum prouisione regnum Dei cogitemus, in militia verò regni Dei ista non cogitemus.

Ista enim etiamsi aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solùm non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant. *Gloriamur enim*, inquit, *in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes verò non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* In commemoratione autem tribulationum ac laborum suorum idem Apostolus non tantùm in carceribus & naufragiis, atque huiusmodi molestiis, sed etiam in fame & siti, in frigore & nuditate se laborasse commemorat. Quod cùm legimus, non æstimemus Domini promissa titubasse, vt famem ac sitim & nuditatem pateretur Apostolus, quærens regnum & iustitiam Dei, cùm dictum sit nobis: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quandoquidem ista sicut adiutoria nouit ille medicus, cui semel nos totos commisimus, & à quo habemus promissionem vitæ præsentis & futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis iudicat expedire: quos consolandos & exercendos in hac vita, & post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atque firmandos gubernat ac dirigit. Non enim & homo, cùm plerumque iumento suo cibaria detrahit, deserit illud cura sua, ac non potiùs curando hæc facit. Et quoniam cùm ista vel procurantur in futurum, vel si causa non est quare illa impendas, reseruantur, incertum est quo animo fiant, cùm possint simplici corde fieri & duplici, opportunè hoc loco subiecit.

Rom. 5. 3.

Cor. 11. 25.

Matt. 6. 33.

Cap. xviii. Mat. 7. 1. NOLITE *iudicare, ne iudicetur de vobis. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebrietas: & si qua sunt alia de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo:

1. Cor. 5. 12. *Quid enim mihi de his qui foris sunt indicare? Nonne de his qui intus sunt vos iudicatis?* De genere autem ciborum, quia possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentiæ, quicunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem Apostolus iudicari eos, qui carnibus vescebantur & vinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi alimentis temperabant:

Rom. 14. 3. *Qui manducat*, inquit, *non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Ibi etiam ait: *Tu quis es qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit.* De talibus enim rebus, quæ possunt bono animo & simplici & magnanimo fieri, quamuis etiam possint non bono, volebant illi cùm homines essent in occulta cordis ferre sententiam, de quibus solus Deus iudicat.

1. Cor. 4. 5. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit: *Nolite ante tempus iudicare, quousque veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Sunt ergo quædam facta media quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus. Horum autem veniet tempus vt iudicentur, cùm Dominus illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cogitationes cordis. Item alio loco dicit Apostolus:

1. Tim. 5. 24. *Quorundam autem hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quædam autem sequuntur.* Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant. Hæc præcedunt ad iudicium, id est, quia si fuerit ista subsecutum iudicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quæ nec ipsa latebunt tempore suo. Sic & de bonis factis intelligendum est. Nam ista subiunxit, similiter & facta bona manifesta sunt, & quæcunque aliter se habent abscondi non pos-

ſunt. De manifeſtis ergo iudicemus, de occultis verò Deo iudicium relinquamus, quia & ipſa abſcondi non poſſunt, ſiue mala, ſiue bona, cùm tempus aduenerit quo manifeſtentur.

Duo ſunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus; cùm incertum eſt quo animo quidque factum fuerit, vel cùm incertum ſit qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quiſpiam, verbi gratia, conqueſtus de ſtomacho ieiunare noluit: & tu non credens edacitatis id vitio tribueris, temerè iudicabis. Item ſi manifeſtam edacitatem ebrioſitatémque cognoueris, & ita reprehenderis quaſi nunquam ille poſſit corrigi atque mutari, nihilominus temerè iudicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ neſcimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifeſta ſunt vt deſperemus ſanitatem. Euitabimus iudicium, de quo nunc dicitur: *Nolite iudicare ne iudicetur de vobis.*

Poteſt autem mouere quod ait: *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis, &c.* Matt. 7. 2. Nũquid enim ſi nos in iudicio temerario iudicauerimus, temerè etiam de nobis Deus iudicabit? Aut nunquid ſi menſura iniqua menſi fuerimus, apud Deum iniqua menſura eſt vnde nobis remetietur? Nam & menſuræ nomine ipſum iudicium ſignificatum arbitror. Nullo modo Deus vel temerè iudicat, vel iniqua menſura cuiquam rependit. Sed hoc dictum eſt, quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipſa te puniat neceſſe eſt. Niſi fortè arbitrandum eſt quòd iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit, ei autem nihil à quo procedit: imò verò ſæpe nihil nocet ei qui patitur iniuriam, ei autem qui facit neceſſe eſt vt noceat. Quid enim nocuit Martyribus iniquitas perſequentium? Ipſis autem perſecutoribus plurimùm. Quia etſi aliqui eorum correcti ſunt, eo tamen tempore quo perſequebantur, excæcauit illos malitia eorum. Sic & temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei de quo temerè iudicatur, ei autem qui temerè iudicat ipſa temeritas neceſſe eſt vt noceat. Iſtâ regulâ etiam illud dictum arbitror, Omnis qui percuſſerit gladio, gladio morietur. Mat. 26. 52. Quàm multi enim gladio percutiunt, nec tamen in gladio moriuntur, ſi-

cut neque ipse Petrus. Sed ne istum dicere venia peccatorum talem euasisse pœnam quis putet: quanquam nihil absurdius, quàm vt maiorem putet gladio pœnam esse potuisse, quæ Petro non accidit, quàm crucis quæ accidit: quid tamen de latronibus dicturus est, qui cum Domino crucifixi sunt, quia & ille qui meruit veniam, posteaquam crucifixus est meruit, & alter omnino non meruit? An fortè omnes quos occiderant, crucifixerant, & propterea hoc etiam ipsi pati meruerant? Ridiculum est hoc putare. Quid ergo aliud dictum est: *Omnis enim qui in gladio percusserit, gladio morietur*: nisi quia ipso peccato anima moritur, quodcunque commiserit?

Et quoniam de temerario & iniquo iudicio hoc loco Dominus monet, vult enim vt simplici corde, & in vnum Deum intuenti faciamus quæcunque facimus, & multa incertum est quo animo fiant, de quibus iudicare temerarium est. Maximè autem hi temerè iudicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare atque corrigere, quod vitium vel superbiæ est, vel inuidentiæ. Et consequenter subiecit & dicit:

Cap. xix. Matt. 7. 3. QVID *autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Vt si fortè verbi gratia, ira ille peccauit, tu odio reprehendas. Quantum autem inter festucam & trabem, quasi tantum inter iram distat & odium. Odium enim est ira inueterata, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, vt merito appelletur trabes. Fieri autem potest, vt si irasceris homini, velis eum corrigi. Si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere: *Quomodo enim dicis fratri tuo; Sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo*, & reliqua: id est, primò abs te expelle odium, deinde poteris iam eum quem diligis emendare. Et bene ait, *Hypocrita*. Accusare enim vitia, officium est bonorum virorum & beneuolorum. Quod cùm malefici agunt, alienas partes agunt: sicut hypocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, & ostendunt in persona quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis.

Et est verè multùm cauendum & molestum simulatorum genus,

genus, qui cùm omnium vitiorũ accusationes odio & liuore suscipiant, etiã consolatores videri se volunt. Et ideò piè cautéque vigilandum est, vt cùm aliquem reprehendere vel obiurgare nos necessitas coëgerit, primùm cogitemus vtrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus. Et si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt siue ad correptionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit, nam incertus est exitus, nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus: & non illum ad obtemperandum nobis, sed pariter cauendum inuitemus.

Nam & illud quod dicit Apostolus: *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. His qui sub lege erant, quasi sub lege essem, cùm non sim ipse sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem: His qui sine lege sunt, quasi sine lege, cùm sine lege Dei non essem, sed sim in lege Christi, vt lucrifacerem eos qui sine lege sunt. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem,* non vtique simulatione faciebat, quemadmodum alij intelligi volunt vt eorum detestanda simulatio tanti exempli auctoritate muniatur. Sed hoc faciebat charitate, qua eius infirmitatem, cui volebat subuenire, tanquam suam cogitabat. Hoc enim præstruxit dicendo: *Cùm enim liber sim ex omnibus, me omnium seruum feci, vt plures lucrifacerem.* Quod vt intelligas non simulatione, sed charitate fieri, qua infirmis hominibus tanquam nobis, compatimur, ita monet alio loco, dicens: *Vos in libertate vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem.* Quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat quasi suam, vt eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille, cuius curat salutem. 1.Cor.9.20.

Rarò ergo & in magna necessitate obiurgationes adhiben-

dæ ſunt: ita tamen vt etiam in his ipſis non nobis, ſed Domino vt ſeruiatur, inſtemus. Ipſe eſt enim finis, vt nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo noſtro inuidentiæ vel malitiæ vel ſimulationis, vt videamus eiicere feſtucam de oculo fratris. Videbimus enim eam oculis columbæ, qualis in ſponſa Chriſti prædicatur, quam ſibi elegit Deus glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam, id eſt, mundam & ſimplicem. Sed quoniam poteſt nonnullos Dei præceptis obtemperare cupientes, nomen ſimplicitatis decipere, vt ſic putent vitioſum eſſe aliquando verum occultare, quomodò vitioſum eſt aliquando falſum dicere, atque hoc modo aperiendo ea quæ hi quibus aperiuntur ſuſtinere non poſſunt, ampliùs noceant quàm ſi ea penitus ſempérque occultarent, rectiſſimè ſubiungit:

Vide lib. 1. Retrac. c. 10.

Cap. 12. Matt. 7. 6. Ioan. 16. 12.

NOLITE *ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos.* Quia Dominus quamuis nihil mentitus ſit, vera tamen aliqua occultare ſe oſtendit dicens; *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed adhuc non poteſtis illa portare.* Et Apoſtolus: *Non potui*, inquit, *vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam. Neque enim poteratis, ſed & nunc non poteſtis. Adhuc enim eſtis carnales.* In hoc autem præcepto quo prohibemur ſanctum dare canibus, & mittere ante porcos margaritas noſtras, diligenter quærendum eſt quid ſanctum ſit, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum eſt, quod violare atque corrumpere nefas eſt, cuius vtique ſceleris conatus & voluntas tenetur rea: quamuis illud ſanctum naturâ inuiolabile atque incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcunque ſpiritalia magna æſtimanda ſunt, & quia in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis quaſi apertis conchis inueniuntur.

1. Cor. 3. 1.

Licet itaque intelligi, quòd vna eademque res & ſanctum & margarita dici poſſit. Sed ſanctum ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni. Conatur autem vnuſquiſque corrumpere quod non vult eſſe integrum: contemnit verò quod vile ducit, & quaſi infra ſe exiſtimat eſſe, & ideò calcari dicitur quicquid contemnitur. Quapropter canes quoniam exiliunt ad dilacerandum, quod

autem dilacerant integrum esse non sinunt. *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus:* quia & si dilacerari & corrumpi non potest, & manet integrum atque inuiolabile: illi tamen qui vellent, cogitandum est, quòd acriter atque inimicissimè resistunt, & quantum in ipsis est si fieri possit conantur perimere veritatem. Porci verò quamuis non ita vt canes morsu appetant, passim tamen calcando inquinant. *Neque ergo miseritis*, inquit, *ante porcos margaritas vestras.* Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus non incongruè accipimus.

Quod autem ait, *Conuersi dirumpant vos*, non ait ipsas margaritas dirumpant: illas enim conculcant etiam cùm conuertuntur vt adhuc aliquid audiant, dirumpunt autem eum à quo iam missas margaritas conculcauerunt. Non enim facilè inueneris quod gratum ei esse possit, qui margaritas conculcauerit, id est, cùm magno labore diuina inuenta contempserit. Qui autem tales docent, quomodò non dirumpantur indignando & stomachando, non video: vtrumque autem animal immundum est, & canis & porcus. Cauendum est ergo ne quid aperiatur ei qui non capit, meliùs enim quærit quod clausum est, quam id quod apertum est aut infestat aut negligit. Neque verò alia causa reperitur, cur ea quæ manifesta & magna sunt, non accipiantur præter odium & contemptum, quorum propter vnum canes, propter alterum porci nominati sunt. Quæ tamen omnis immunditia rerum temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione huius seculi, cui iubemur renuntiare vt mundi esse possimus. Qui ergo mundum & simplex cor habere appetit, non debet sibi reus videri si aliquid occultat, quod ille cui occultat capere non potest. Nec ex eo arbitrandum est licere mentiri: non enim est consequens, vt cùm verum occultatur, falsum dicatur. Agendum ergo primùm est, vt impedimenta detrahantur quibus efficitur vt non capiat; quia vtique si propter sordes non capit, mundandus est vel verbo vel opere, quantum fieri à nobis potest.

Quòd autem Dominus noster quædam dixisse inuenitur, quæ multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non acceperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut

margaritas misisse ante porcos: non enim dedit eis, qui capere non poterant, sed eis qui capere poterant, & simul aderant: quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Et cùm eum tentatores interrogabant, respondebatque illis ita, vt quod contradicerent non haberent, quamuis venenis suis contabescerent potiùs, quàm illius cibo saturarentur, alij tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa vtiliter audiebant. Hoc dixi, ne quis fortè, cùm interrogatus respõdere non poterit, hac sententia sibi excusatus videatur, si dicat, nolle se sanctũ dare canibus, vel ante porcos mittere margaritas. Qui enim nouit quid respõdeat, debet respõdere vel propter alios, quibus desperatio suboritur, si propositã quæstionem solui non posse crediderint: & hoc de rebus vtilibus, & ad instructionẽ salutis pertinentibus. Multa sunt enim, quæ inquiri ab otiosis possunt, superuacua, & inania, & plerumque noxia, de quibus tamen non nihil dicendum est; sed hoc ipsum aperiendum & explicandum, cur inquiri talia non oporteat. De rebus verò vtilibus aliquando ad id respondendum est, quod interrogamur: sicut Dominus fecit, cùm eum Saducæi de muliere interrogassent, quæ septem viros habuit, cuius eorum in resurrectione futura esset. Respondit enim quòd in resurrectione neque vxores ducent, neque nubent, sed erunt sicut Angeli in cælis. Aliquando autem ille, qui interrogat, interrogandus est aliud: quòd si dixerit, ipse sibi ad id quod interrogabat, respondeat. Si autem dicere noluerit, non videatur his qui assunt iniustum, si & ipse quod interrogauit non audiat. Nam & Pharisæi cùm interrogauerunt tentantes, vtrum reddendum esset tributum, interrogati sunt aliud: id est cuius haberet nummus imaginem, qui ab ipsis prolatus est. Et quia dixerunt quod interrogati erant, id est, Cæsaris imaginem habere nummum, ipsi sibi quodammodò responderunt id quod Dominum interrogauerant. Itaque ille ex eorum responsione ita conclusit: *Reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est.*

Mat. 22. 23. Marc. 12. 19. Luc. 20. 28. Mat. 22. 16. Matt. 21. 23.

5 Cùm autem Principes Sacerdotum, & seniores populi interrogassent, in qua potestate illa faceret, interrogauit eos de baptismate Ioannis: & cùm nollent dicere, quod contra se videbant dici, de Ioanne autem nihil maledicere audebant

propter circumstantes: *Nec ego vobis dicam*, inquit, *in qua potestate hæc facio*, quod iustissimum apparuit circunstantibus. Hoc enim se dixerunt nescire, quod sciebant, sed dicere nolebant. Et reuera iustum erat, vt qui sibi volebant responderi quod interrogauerant, priùs ipsi facerent quod erga se fieri postulabant. Quòd si fecissent, ipsi sibi vtique respondissent. Ipsi enim miserant ad Ioannem quærentes quis esset: vel potiùs ipsi missi erant Sacerdotes & Leuitæ, putantes, quòd ipse esset Christus; quod ille se negauit esse, & de Domino testimonium perhibuit: de quo testimonio si confiteri vellent, ipsi se docerent in qua potestate illa faceret Christus, quod quasi nescientes interrogauerunt, vt calumniandi aditum reperirent. Cùm igitur præceptum esset, ne sanctum daretur canibus, & margaritæ ante porcos mittantur, potuit auditor occurrere & dicere, conscius ignorantiæ atque infirmitatis suæ: & audiens præcipi sibi ne hæc daret, quæ seipsum nondum accepisse sentiebat. Potuit ergo occurrere ac dicere: Quid sanctum me dare canibus, & quasi margaritas me mittere ante porcos vetas, cùm adhuc ea me habere non videam? Opportunissimè subiecit, dicens.

Ioan. 1. 19.

PETITE, inquit, *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Petitio pertinet ad impetrandam sanitatem firmitatémque animi, vt ea quæ præcipiuntur, implere possimus, inquisitio autem ad inueniendam veritatem. Cùm enim beata vita actione & cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifestationem rerum desiderat. Horum ergo primum petendum, secundum quærendum, vt illud detur, hoc inueniatur; sed cognitio in hac vita viæ priusquàm ipsius possessio est; sed cùm quisque veram viam inuenerit, perueniet ad ipsam possessionem, quæ tamen pulsanti aperietur. Vt ergo tria ista, id est, petitio, inquisitio, pulsatio, manifesta fiant, sub aliquo exemplo ponamus. Videmus aliquem infirmis pedibus ambulare non posse, priùs ergo sanandus est, & firmandus ad ambulandum, & ad hoc pertinet, quod dicit, *Petite*. Quid autem prodest quòd ambulare iam, vel etiam currere potest, si per deuia itinera errauerit? Secundum est ergo, vt inueniat viam quæ ducat eum quò vult peruenire: quam cùm tenuerit & per-

Cap. XXI. Mat. 7. *Vide lib. 1. Retract. c. 9.*

al.* peruenerit ad eum. egerit *, eum ipſum locum, vbi habitare vult, ſi clauſum inuenerit, neque ambulare potuiſſe, neque perrexiſſe ac perueniſſe profuerit, niſi aperiatur, ad hoc pertinet quod dictum eſt, *Pulſate.* Magnam autem ſpem dedit & ille qui promittendo non decipit. Ait enim: *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur.* Ergo perſeuerantia opus eſt, vt accipiamus quod petimus, & inueniamus quod quærimus, & quod pulſamus aperiatur.

Quemadmodum autem egit de volatilibus cæli & de liliis agri, ne victum nobis veſtitumque deſperaremus adfuturum, vt ſpes à minoribus ad maiora conſurgeret, ita & hoc loco: *Aut quis erit ex vobis*, inquit, *homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidē porriget ei? Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei?* & reliqua. Quomodò mali dant bona? Sed malos appellat dilectores adhuc ſeculi huius & peccatores: bona verò quæ dant, ſecundùm eorum ſenſum bona dicenda ſunt, quia hæc pro bonis habent. Quanquam & in rerum natura iſta bona ſint, ſed temporalia ad iſtam vitam infirmam pertinentia, & quiſquis ea malus dat, non de ſuo dat: *Domini eſt enim terra & plenitudo eius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt.* Pſal. 23. 1. Pſal. 145. 6. Quantum ergo ſperandum eſt daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos poſſe decipi, vt accipiamus aliud pro alio cùm ab ipſo petemus, quando etiam nos cùm ſimus mali nouimus id dare quod petimur. Non enim decipimus filios noſtros, & qualiacunque bona damus, non de noſtro, ſed de ipſius damus. Firmitas autem & valentia quædam ambulandi per ſapientiæ viam, in bonis moribus conſtituta eſt, qui perducuntur vſque ad mundationem ſimplicitatémque cordis, de qua iam diu loquens ita concludit:

Cap. XXIII. Matt. 7. 12. OMNIA *ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis, hæc eſt enim lex & Prophetæ.* In exemplaribus Græcis ſic inuenimus: Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Sed ad manifeſtationem ſententiæ puto à Latinis additum, bona. Occurrebat enim, quid ſi quiſquam flagitiosè aliquid erga ſe fieri vellet, & ad hoc referat iſtam ſententiam? Veluti ſi velit aliquis prouocari vt immoderatè bibat & ſe ingurgitet pocu-

lis, & hoc prior illi faciat à quo sibi fieri cupit. Ridiculum est hunc putare istam impleuisse sententiam. Cùm ergo hoc moueret, vt arbitror, additum est ad manifestationem rei vnum verbum, vt posteaquam dictum est: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines*, adderetur *bona*. Quod si deest exemplaribus Græcis, etiam illa emendanda sunt. Sed quis hoc audeat? Intelligendum est ergo, plenam esse sententiam, & omnino perfectam, etiam si hoc verbum non addatur. Id enim quod dictum est; *Omnia quæcunque vultis*, non vsitatè ac passim, sed propriè dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis. Nam in malis flagitiosisque factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas. Non quia sic semper loquantur Scripturæ, sed vbi oportet, ita omnino proprium verbum tenent, vt non aliud sinant intelligi.

Videtur autem hoc præceptum ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei, cùm alio loco duo præcepta esse dicat, *in quibus tota lex pendet & Prophetæ*. Nam & si dixisset, omnia quæcunque vultis fieri vobis, hæc vos facite: hac vna sententia vtrunque illud præceptum complexus esset. Citò enim diceretur, diligi se velle vnumquemque & à Deo, & ab hominibus. Cùm itaque & hoc ei præciperetur, vt quod sibi fieri velit, hoc faceret; id vtique præciperetur, vt diligeret Deum & homines. Cùm verò expressiùs de hominibus dictum est, *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis*: nihil aliud dictum videtur, *quàm diliges proximum tuum sicut teipsum*. Sed non est negligenter attendendum quod subiecit: *Hæc est enim lex & Prophetæ. In his autem duobus præceptis*, non tantùm ait, lex pendet & Prophetæ, sed etiam addidit, *tota lex & Prophetæ*, pro eo quod est omnis prophetia. Quod cùm hîc non addidit, seruauit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet. Mat. 22. 40.

Hîc autem quoniam præcepta simplicis cordis exiguntur, & erga eos metuendum est ne habeat quis duplex cor, quibus occultari cor potest, id est, erga homines, idipsum præcipiendum fuit. Nemo enim ferè est qui velit quenquam duplici corde secum agere. Id autem fieri non potest, id est, vt simplici corde homo homini aliquid tribuat, nisi ita tribuat

vt nullum ab eo temporale commodum expectet, & ea intentione faciat de qua superiùs satis tractauimus, cùm de oculo simplici loqueremur. Mundatus ergo oculus simpléxque redditus, aptus & idoneus erit ad intuendam & contemplandam interiorem lucem suam. Iste enim oculus cordis est. Hunc enim talem oculum habet ille qui finem bonorum operum suorum, vt verè bona opera sint, non in eo constituit vt hominibus placeat; sed etiamsi prouenerit vt eis placeat, ad eorum salutem potiùs hæc refert & ad gloriam Dei, non ad inanem iactantiam suam. Neque propterea boni aliquid ad salutem proximi operatur, vt ex eo comparet ea quæ huic vitæ transigendæ sunt necessaria; neque temere animum hominis voluntatémque contemnit in eo facto in quo non apparet quo animo & voluntate sit factum: & quicquid officiorum exhibet homini, hac intentione exhibet, qua sibi exhiberi vult, id est, vt non ab eo aliquid commodi temporalis expectet. Ita erit cor simplex & mundum in quo quæritur Deus. *Beati ergo mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed hoc quia paucorum est, iam incipit de inuestiganda & possidenda sapientia loqui, quod est lignum vitæ: cui vtique inuestigandæ ac possidendæ, id est, contemplandæ, talis oculus per omnia superiora perductus est, quo videri iam possit & arcta via & angusta porta.

Oculus cordis.

Matt. 5. 8.

Cap. XXIII

Mat. 7. 13.

Mat. 11. 28.

QVIA ergo deinceps dicit, *Intrate per angustam portam, quia lata porta,* & reliqua: non ideò dicit, quia iugum Christi asperum est & sarcina grauis, sed quia labores finire pauci volunt, minus credentes clamanti: *Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos,* & reliqua. Hinc ergo sermo sumpsit exordium de humilibus & mitibus corde, quoniam iugum lene & leuem sarcinam multi respuunt, pauci subeunt: eo quòd sit arcta via quæ ducit ad vitam, & angusta porta qua intratur in eam. Hìc ergo illi qui promittunt sapientiam cognitionémque veritatis quam non habent, præcipuè cauendi sunt, sicut sunt hæretici, qui se plerumque paucitate commendant. Et ideò cùm dixisset, paucos esse qui inueniunt angustam portam & arctam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subicit:

CAVETE

CAVETE à *pseudoprophetis qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sed isti non fallunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus nouit. Ait enim: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Deinde similitudines adiungit: *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit,* & reliqua. Quo loco illorum error maximè cauendus est, qui de ipsis duabus arboribus duas naturas opinantur esse: quarum vna sit Dei, altera verò neque Dei neque ex Deo. De quo errore & aliis libris disputatum est vberiùs, &, si adhuc parum est, disputabitur. Nunc autem, non eos adiuuare duas istas arbores, docendum est. Primum, quia de hominibus eum dicere tam clarum est, vt quisquis præcedentia & sequentia legerit, miretur eorum cæcitatem. Deinde attendunt quod dictum est: *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Et ideò putant neque animā malā fieri posse vt in melius commutetur, neque in deterius bonā: quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque arbor mala bona fieri, sed dictum est: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Arbor est quippe ipsa anima, id est, ipse homo, fructus verò opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, priùs bonus fiat. Cap. xxiv Matt. 7.15

Sic alio loco euidentiùs dicit ipse Dominus: *Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut arborem malam, & fructus eius malos.* Quòd si duas naturas istorum, his duabus arboribus figuraret, non diceret, *facite*, Quis enim hominum, potest facere naturam? Deinde etiam ibi, cùm ipsarum duarum arborum mentionem fecisset, subiecit: *Hypocritæ, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Quandiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Si enim bonos fructus fecerit, iam malus non erit. Sic verissimè dici potuit, non potest esse nix calida, cùm enim calida esse cœperit, non iam niuem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri, vt quæ nix fuit, non sit: non autem potest fieri, vt nix calida sit. Sic potest fieri, vt qui malus fuit, non sit malus, non tamen fieri potest vt malus bene faciat. Qui etiam si aliquando vtilis sit, non hoc ipse facit, sed Matt.12.33.

fit de illo diuina prouidentia procurante, sicut de Pharisæis
Mat. 23. 3. dicit: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Hoc ipsum quòd bona dicebant, & ea quæ dicebant vtiliter audiebantur & fiebant, non erat ipsorum: *Cathedram enim*, in-
Ier. 12. 13. quit, *Moysi sedent.* Per diuinam ergo prouidentiam legem Dei prædicantes, possunt esse audientibus vtiles, cùm ipsi sibi non essent. De talibus alio loco per Prophetam dictum est: *Seminastis triticum & spinas metetis,* quia bona præcipiunt & mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant & faciebant quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant vuas, sed per spinas de vite legebant vuas: tanquam si manum aliquis per sepem mittat, vt certè de vite quæ sepi fuerit inuoluta vuam legat, non spinarum est fructus iste, sed vitis.

Rectissimè sanè quæritur quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ouium pertinent, & hoc modo à lupis decipiuntur: sicuti sunt vel ieiunia, vel orationes, vel eleemosynæ, quæ omnia nisi fieri etiam
Matt. 6. 1. ab hypocritis possent, non superiùs diceret: *Cauete iustitiam vestram facere coram hominibus vt videamini ab eis.* Qua sententia præposita, ipsa tria exequitur, eleemosynam, orationem, ieiunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur. Et multi orant vel potius videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes. Et multi ieiunant & mirabilem abstinentiam prætendunt eis quibus ista difficilia videntur, & honore digna existimantur: & huiuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exerunt ad deprædandum, vel interficiendum eos qui sub vestitu ouino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cùm bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ouibus vestes, cùm autem malo in errore, non aliud quàm lupos tegunt. Sed non ideò debent oues odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

Qui sunt ergo fructus quibus inuentis cognoscamus arbo-
Gal. 5. 19. rem malam, dicit Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, ve-*

neficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Et qui sunt fructus per quos cognoscimus arborem bonam, idem ipse Apostolus consequenter dicit: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.* Sanè sciendum est, hîc gaudium propriè positum; mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur propriè, sicut superiùs diximus, voluntatem propriè positam, quam non habent mali, vbi dictum est: *Omnia quæcunque vultis,* & reliqua. Ex ista proprietate verbi qua gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam Propheta loquitur dicens: *Non est gaudere impijs, dicit Dominus.* Isa. 57. 21.

Ita quoque posita est fides, non quæcunque vtique sed vera fides: & cætera quæ hic posita sunt, habent quasdam imagines suas in malis hominibus & deceptoribus, vt omnino fallant, nisi quisque iam mundum oculum & simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaque ordine primo actum est de mundando oculo, & deinde dicta sunt quæ cauerentur. Sed quoniam quamuis quisque oculo mundo sit, id est, simplici & sincero corde viuat, non potest tamen cor alterius intueri: quæcunque in factis vel dictis apparere non potuerunt, tentationibus aperiuntur. Tentatio autem duplex est, aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in terrore amittendi. Et maximè cauendum est, ne tendentes ad sapientiam, quæ in solo Christo inueniri potest, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Col. 2. 3. Cauendum ergo est ne pro Christi nomine ab hæreticis, vel quibuslibet malè intelligentibus & seculi huius amatoribus decipiamur. Nam ideò sequitur & monet dicens:

NON *omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* & reliqua; ne putemus ad illos fructus pertinere, si quis Domino nostro dicat, Domine, Domine, & ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus, *facere voluntatem Patris mei qui est in cælis,* cuius faciendæ seipsum exemplum præbere dignatus est. Sed meritò potest mouere, quomodò huic sententiæ conueniat illud Apostoli vbi ait: *Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema* IESV: *& nemo potest dicere, Domi-* Cap. xxv. Mat. 6. 21.]

nus Iesus, nisi in Spiritu sancto: quia neque aliquos habentes Spiritum sanctum possumus dicere non introituros in regnũ cælorum si perseuerauerint vsque in finem; neque illos qui dicunt Domine Domine, & tamen non intrant in regnum cælorum, possumus dicere habere Spiritum sanctum. Quomodò ergo nemo dicit, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto, nisi quia propriè Apostolus posuit verbum quod est, dicit, vt significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus verò generaliter posuit verbum quod ait: *Non omnis qui dicit*, & reliqua. Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult nec intelligit quod dicit: sed ille propriè dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Sicut paulò ante quod dictum est, gaudium in fructibus Spiritus sancti, propriè dictum est, non eo modo quo alibi dicit idem Apo-
1.Cor.13.6. stolus: *Non gaudet super iniquitatem*, quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere: quia illa elatio est animi turbidè gestientis, non gaudium, nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi qui non hoc quod sonant dicere videntur, & intellectu cernunt & voluntate agunt, sed voce tantùm sonant, secundùm quem modum Dominus ait: *Non omnis qui dicit.* Verè autem ac propriè illi dicunt, à quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundùm quam significationem dicit Apostolus: *Nemo potest dicere, Dominus* IESVS, *nisi in Spiritu sancto.* Atque illud ad rem maximè pertinet ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solùm nomine Christi, per eos qui nomen habent & facta non agunt, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter infideles cùm fecerint, Dominus monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi miraculum visibile viderimus.

Adiungit ergo & dicit: *Multi mihi dicent in illa die, Domine*
Mat.7.22. *Domine, Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* & reliqua. Non ergo cognoscet nisi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipsos discipulos suos prohibuit gaudere ex talibus, id est, quia dæmonia illis subiecta fuerunt. *Sed gaudete*, inquit, *quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Credo in illa ciuitate Hierusalem quæ est in cælis, in qua non nisi & iusti & sancti regnabunt.

An nescitis, vt ait Apostolus, *quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt?* Sed fortasse quis dicat, non posse iniquos visibilia illa miracula facere, & mentiri potiùs illos credat, qui dicturi sunt, *in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus*. Legat ergo quanta fecerint resistentes famulo Dei Moysi magi Ægyptiorum: aut si hoc non vult legere quod non in nomine Christi fecerunt, legat quæ ipse Dominus dicit de pseudoprophetis: *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, itaut in errorem ducantur etiam electi: ecce prædixi vobis.* 1. Cor 6 9. Mat.24.24.

Quàm ergo mundo & simplici oculo opus est, vt inueniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum & peruersorum hominum deceptiones erroresque obstrepunt, quos omnes euadere, hoc est venire ad certissimam pacem & immobilem stabilitatem sapientiæ. Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi & contendendi quisque non videat quod à paucis videri potest, vt paruus sit strepitus contradicentium, nisi etiam sibiipsi obstrepant. Quod pertinet etiam ad illud quod Apostolus dicit: *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diuersa sentientes, ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.* Beati ergo pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. 2.Tim.2.

Conclusio ergo huius totius sermonis quàm terribiliter inferatur, valde attendendum est. *Omnis ergo*, inquit, *qui audit verba mea hæc & facit ea, similis est viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram.* Non enim quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est, sicut multa scripturarum testimonia prædicant, ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. Sequitur: *Descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non potuerunt illam mouere, fundata enim erat supra petram.* Non ergo iste metuit vllas caliginosas superstitiones. Quid enim aliud intelligitur pluuia, quum in mali alicuius significatione ponitur? Aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto. Aut vitæ huius fluuium, carnalibus concupiscentiis tanquam fluentem super terram vel petram. Horum enim trium

qui prosperitatibus inducitur, aduersitatibus frangitur: quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum super petram; id est, qui non solùm audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculosè subiacet, qui audit & non facit, non habens stabile fundamentum, sed audiendo & non faciendo ruinam ædificat.

Ait enim consequenter: *Et omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea*, & reliqua, vsque; *Et factum est quum consummasset* IESVS *verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens, non quasi Scribæ eorum & Pharisæi.* Hoc est quod antè dicit per Prophetam esse significatum in Psalmis, cùm diceret: *Fiducialiter agam in eo: eloquia*
Psal. 11.7. *Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Propter quem numerum admonitus sum etiam præcepta ista ad septem illas referre sententias, quas in principio sermonis huius posuit de beatis quum diceret: & ad alias septem illas operationes Spiritus sancti, quas Isayas Propheta commemorat: sed siue iste ordo in his considerandus sit, siue aliquis alius, facienda sunt quę audiuimus à Domino, si volumus ædificare super petram.



SANCTI

AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI DE DECEM CHORDIS LIBER.

Citatur à Beda aliquoties: est etiam in Indiculo apud Possidium.

DOMINVS & Deus noster *misericors & miserator, longanimis, & multùm misericors, & verax*: quàm largiter * prærogat misericordiam in præsenti seculo, tam seuerè minatur iudicium in futuro seculo. Verba quæ dixi, scripta sunt, & diuinis authoritatibus continentur, quia, *Misericors & miserator Dominus, longanimis & multùm misericors & verax.* Multùm delectat omnes peccatores & amatores huius seculi, quia *misericors & miserator Dominus, quia longanimis & multùm misericors.* Sed si amas tam multa mitia: time ibi & vltimum quod ait, *& verax.* Si enim nihil aliud diceret, nisi *misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors*, quasi iam conuerteres te ad securitatem & impunitatem, & ad licentiam peccatorum, & faceres quod velles: vtereris seculo vel quantum tibi permitteretur, vel quantum tibi libido iussisset. Et si quis bene te admonendo obiurgaret atque terreret, vt cohiberes te ab immoderato fluxu, eundo post concupiscentias tuas & deserendo Deum tuum: inter medias voces obiurgantis obsisteres, impudenti quidem fronte, veluti audita diuina authoritate, & legeres de libro Dominico: Quid me terres de Deo nostro? Ille mi-

Cap. 1. De timēdo diuino iudicio.

al. * protogare

Psal. 102. 8. & 144. 8.

Vide tract. 33. in Ioannem.

ſericors eſt, & miſerator, & multùm miſericors. Ne talia homines dicerent, vnum verbum addidit in fine, quod ait, *&* *verax:* & excuſſit lætitiam malè præſumentium, & induxit timorem dolentium. Gaudeamus ad miſericordiam Domini; ſed timeamus iudicium Domini. Parcit dum tacet. Tacet, ſed ſemper non tacebit. Audi dum non tacet in verbo, ne non tibi vacet audire dum non tacebit in iudicio.

Iſa.42.14.

Cap. II. De componẽda cauſa cũ aduerſario in hac breui vita.

Modo enim licet tibi cauſam tuam componere. Ante vltimum iudicium Dei tui compone cauſam tuam. Non eſt vnde præſumas cùm ille venerit: nec falſos teſtes adduces quibus ille fallatur, nec patronos fraudulentis circunuentionibus & linguoſis artibus adhibebis, nec ambies aliquo modo, vt iudicem poſſis corrumpere. Quid ergo ages apud talem iudicem, quem nec fallere nec corrumpere poteris? Et tamen eſt quod agas. Tunc enim ipſe erit iudex cauſæ tuæ, qui modò eſt teſtis vitæ tuæ. Clamauimus & laudauimus, componamus cauſam noſtram. Qui teſtis eſt operum noſtrorum, ipſe teſtis eſt vocum iſtarum. Non ſint inanes, conuertantur ad gemitum. Tempus eſt concordandi cum aduerſario tuo citò. Tam longanimis eſt Deus videndo iniqua & non puniendo, vt tamen citò ſit futurum iudicium. More quippe humanæ vitæ prolixum eſt, quod Deo breue eſt. Sed & ipſi ſeculo & humano generi quod longè videtur, quid conſolatur? Nunquid ſi totius generis humani vltimus dies longè eſt, vniuſcuiuſque dies vltimus longè eſt? Hoc dico, ex Adam multi anni euoluti ſunt, multi anni fluxerunt, & deinceps fluent: non quidem tam multi, ſed tamen vſque in finem ſeculi tranſibunt anni, ſicut & illi tranſierunt. Longum videtur quod reſtat, quanquam non erit tantum quantum tranſactum eſt: & tamen ex tranſacto prætetito tempore, ſperandus eſt finis reliqui temporis. Fuit tunc quidem dies qui diceretur hodiernus, ex illo vſque ad hunc hodiernum, nonne quicquid fuit futurum, præteritum factum eſt; tale habetur ac ſi non fuerit. Sic erit quicquid reſtat extremum. Sed ſit & hoc longum, ſit prolixum, quantum putaueris, quantum dixeris, quantum cogitaueris, quantum tibi non formar Scriptura, ſed fingit cogitatio, quantum vis diem iudicij prolonga, nunquid vltimum diem tuum, id eſt, vitæ tuæ quo exiturus es de hoc corpore, producturus es in longum? Sit tibi

tibi senectus certa, si potest, cui autem potest? Nonne ex quo homo incipit viuere, iam potest & mori? Possibilitatem mortis initium vitæ facit. In hac terra & in genere humano ille solus mori nondum potest, qui nondum cœpit viuere. Incertus ergo dies tanquam quotidianus sperandus est. Si autem tanquam quotidianus est incertus dies, componatur *cum aduersario dum est tecum in via.* Via enim vocatur hæc vita, per quam omnes transeunt, & non recedit iste aduersarius. Matt. 5.16.

Quis autem est iste aduersarius? Aduersarius iste non est diabolus: nam nunquam te hortaretur Scriptura, vt cum diabolo concordares. Est ergo alius aduersarius, quem sibi homo facit aduersarium: nam ille si aduersarius esset, tecum in via non esset. At hic est tecum in via, vt concordet tecum. Scit enim, quia nisi *in via secum concordaueris, iam tradet te iudici, iudex autem ministro, minister in carcerem.* Eloquia ista Euangelica sunt, recordantur nobiscum, vel qui legerunt, vel qui audierunt. Ergo quis est aduersarius? Sermo Dei. Sermo Dei aduersarius tuus est. Quare aduersarius tuus est? Quia contraria iubet quàm * tu facis. Dicit tibi: *Vnus est Deus tuus, vnum Deum cole.* Tu vis dimisso vno Deo tuo tanquam legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia: & quod est grauius, non quasi apertè deserens & repudians, sicut apostatæ faciunt, sed tanquam manens in domo viri tui admittis adulteros, id est, tanquam Christianus non dimittis Ecclesiam, consulis mathematicos, aut aruspices, aut augures, aut maleficos, quasi de viri domo non recedens adultera anima, & manens in eius coniugio fornicaris. Dicitur tibi, *Ne accipias in vanum nomen Dei tui:* Ne existimes creaturam esse Christum, quia pro te suscepit creaturam: & tu contemnis eum qui æqualis est Patri, & vnus cum Patre. Dicitur tibi vt spiritaliter *obserues sabbatum*, non quomodò Iudæi obseruant sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Melius enim faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm in theatro seditiosus existeret. Et melius fœminæ eorum die sabbati lanam facerent, quàm tota die in Neomeniis suis impudicè saltarent. Tibi autem dicitur vt bserues spiritaliter sabbatum, in spe futuræ quietis, quam

Cap. III. Quare sermo Dei sit aduersarius noster.
Matt. 5. 26. Luc. 12.58.
al.* his quę.
Deut. 6.4.

al. enim. tibi promittit Dominus. Quisquis * autem propter illā quietem futuram agit quicquid potest, quamuis laboriosum videatur quod agit: tamen si ad fidem promissæ quietis id refert, nondum quidem sabbatum habet in re, sed habet in spe. Tu autem ad hoc vis requiescere vt labores, cum ad hoc de-
Exo. 20. 12. beas laborare vt requiescas. Dicitur tibi, *Honora patrem tuum & matrem tuam*; tu autem contumeliam irrogas parentibus, quam non vis pati à filiis tuis. Dicitur tibi, *Non occides*: tu autem occidere vis inimicum tuum? Et ideò fortè non facis, quia times iudicem hominem, non quia cogitas Deum: Ignoras, quia ille testis est cogitationum? Illo viuo quem vis mori, te homicidam tenet in corde. Dicitur tibi, *Non mœchaberis*, id est, non ibis ad aliquam aliam, præter vxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere hoc vxori. Et cùm debeas in virtute præcedere vxorem, quoniam castitas virtus est: tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricem esse, tu victus iaces. Et cùm tu caput sis vxoris tuæ, præcedet te ad Deum, cuius caput es. Vis domum tuam capite deorsum pendere? *Caput* enim *mulieris est*
Eph. 5. 23. *vir*. Vbi autem melius viuit mulier quàm vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet viuere vir, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem suam: vt illa imitetur virum, & sequatur caput suum. Quomodò caput Ecclesiæ Christus est, & hoc iubetur Ecclesiæ vt sequatur caput suum, & vt per vestigia ambulet capitis sui: sic vniuscuiusque
al. * corpus. cuiusque domus habet caput virum, & tanquam * carnem fœminam. Quò caput ducit, illuc debet sequi corpus. Quare ergo vult caput ire, quò non vult vt corpus sequatur? Quare vult ire vir, quò non vult vt sequatur vxor? Hæc iubendo sermo Dei aduersarius est. Nolunt enim homines facere quod vult sermo Dei. Et quid dicam, quia aduersarius est sermo Dei, quoniam iubet? Timeo ne ego ipse aduersarius sim quibusdam, quia hæc loquor. Quid ad me pertinet? Fortem me faciat qui terret vt loquar, vt non timeam querelas hominum. Nam qui nolunt castitatem seruare vxoribus suis & abundant, tales nolunt me ista dicere. Sed velint nolint, dicturus sum. Si enim vos non exhortor vt cum aduersario concordetis, ego cum illo in lite remanebo. Qui

vobis iubet vt faciatis, ipse nobis iubet vt loquamur. Si non faciendo quod iubet vt faciatis, aduersarij eius estis: non dicendo quod iubet vt dicamus, aduersarij eius remanebimus.

NVNQVID in cæteris quæ suprà dixi multis immoratus sum? Hoc enim præsumimus de charitate vestra, quia vnum Deum colitis: hoc præsumimus de fide Catholica quæ in vobis est, quia Filium Dei æqualem Patri creditis, nec in vanum accipitis nomen Domini Dei vestri, vt putetis creaturam esse Filium Dei: quoniam *omnis creatura vanitati subiecta est.* Sed creditis eum æqualem Patri esse, Deum de Deo, verbum apud Deum, verbum Deum, per quod facta sunt omnia, lumen de lumine, coæternum illi qui genuit, vnum cum illo qui genuit: & hoc verbum creditis assumpsisse creaturam, de virgine Maria assumpsisse mortalitatem, & passum fuisse pro nobis, ea legimus & credimus vt saluemur: nec in eo immoratus sum, vt quicquid facitis, pro spe futura faciatis. Noui enim omnium Christianorum mentes de futuro seculo cogitare. Qui enim de futuro seculo non cogitat, nec propterea Christianus est, vt id quod in fine Deus promittit, accipiat, nondum Christianus est. Neque in eo immoratus sum, vbi dicit sermo Dei, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Multi enim honorant parentes, & rarò inuenimus parentes conquerentes de improbitate filiorum, quamuis non desint sed tamen quam rarò fit, tamen breuiter monendum fuit. Neque in eo vbi dictum est, *Non occides*, immorari volui, non enim credo hîc turbam esse homicidarum. Illud verò malum latè serpens plus occupauit, & in eo vehementiùs irritatur aduersarius ille: qui ideò clamat, vt sit aliquando amicus. Quærelæ * quotidie sunt, quanquam ipsæ fœminæ nec iam audent conqueri de viris suis. Ira inuadens omnia consuetudo pro lege obseruatur: vt iam & mulieribus fortè persuasum sit, licere hoc viris, non licere mulieribus. Solent enim audire adductas esse mulieres ad forum, quæ fortè cum seruis inuentæ sunt: adductum virum ad forum, quia inuentus est cum ancilla sua, nunquam audierunt, cùm sit par peccatum. In peccato pari innocentiorem facit videri virum, non diuina veritas, sed humana peruersitas. Et si fortè hodie

Margin: Cap. IV. *Quare sermonis Dei recitator aduersarius iudicetur.* — Rom. 8. 20. — Exo. 20. 12. — al. * quotidianæ.

acriorem quisquam passus fuerit vxorem suam, & liberiùs murmurantem, cúi iam videbatur quia licebat viro, & audiuit in Ecclesia quia non licet viro. Si ergo passus fuerit vxorem suam liberiùs iam, vt dixi, murmurantem, & dicentem sibi, Non licet quod facis: simul audiuimus, Christiani sumus, quod à me exigis, redde mihi. Fidem tibi debeo, fidem mihi debes, fidem Christo ambo debemus, & si me fallis, eum non fallis cuius sumus, non fallis eum qui nos emit. Hæc atque huiusmodi audiens, ille quæ non solet, dum non vult in se fieri sanus, in me fit insanus, irascitur, maledicit: fortassis etiam dicit, Quomodò factum est vt huc ille veniret, aut vxor mea ipso die in Ecclesiam procederet? Et hoc credo quòd in cogitatione sua dicat: nam liberè rumpere in vocem non audet, nec ante solam vxorem suam. Fortassis enim si sic eruperit & hoc dixerit, potest illa respondere & dicere: Quare maledicis, cui paulò antè acclamabas? Certè coniuges sumus. Cum lingua tua discordas, mecum concorditer quomodò viuere poteris? Nos fratres, pericula vestra intuemur, non voluntates vestras attendimus: nam & medicus si voluntatem ægri attendat, nunquam illum curat. Quod non est faciendum, non fiat: quod prohibet Deus, non fiat. Qui Deo credit, ab ipso audit quod dicimus. Certè melius erat quibusdam nolentibus corrigi, vt vel huc non veniremus si ista dicturi eramus, vel quia iam venimus, non ea diceremus. Nudiustertiano die memini me dixisse sanctitati vestræ: quia si citharœdi essemus, aut huiusmodi aliquid populariter exhibentes pre studiis nugacitatis vestræ, quæ iam quæsumus vt relinquatis, tenuissetis nos vt daremus vobis diem, & quisquis pro modulo suo conferret nobis mercedem. Quare ambularemus delectati vanis canticis nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus etenim turpitudinibus cantionum animi humani illecti eneruantur & decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt quod cum dulcedine temporali bibe-runt.

Melius ergo nos amara vobis cantamus ad tempus, quæ postea dulcescant in vobis, nec mercedem aliquam exigimus,

nisi vt faciatis quæ dicimus, imò non faciatis, si nos dicimus. Si autem omnibus ille dicit qui neminem timet, & per quem fit in nomine ipsius, & in gloria misericordiæ ipsius, vt & nos neminem timeamus, omnes audiuimus, omnes faciamus, omnes cum nostro aduersario concordemus. Putate me citharœdum esse, quid vobis possum amplius canere ? Ecce psalterium fero, decem chordas habet : hoc vos paulò antè cantastis antequam inciperem loqui, chorus meus vos fuistis.

NONNE vos paulò antè cantastis : *Deus, canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi ?* Ipsas autem decem chordas modò percutio. Quare amara est vox psalterij Dei, *Psallam tibi in psalterio decem chordarum ?* Non vobis hoc canto quod vos non faciatis. Decalogus enim legis decem præcepta habet : quæ decem præcepta sunt sic distributa, vt tria pertineant ad Deum, septem pertineant ad homines. Tria ad Deum, quæ iam dixi; Vnus est Deus noster, * ei nullam similitudinem debemus facere & non fornicari post Deum, qui vnus est, qui Deus, & Christus Filius Dei vnum est cum Patre. Ideò non debet à nobis accipi in vanum, vt putemus eum factum, id est, creaturam aliquam, per quem facta sunt omnia : quia ipse est vnus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus. In Spiritu sancto, hoc est, in * dono Dei, requies nobis sempiterna promittitur. Inde modò pignus accipimus. Sic enim dicit Apostolus; *Qui dedit nobis pignus * spiritum.* Si pignus accipimus vt incipiamus in Domino & in Deo nostro esse tranquilli, vt simus in Deo nostro mites, simus in Deo patientes; erimus etiam in illo vnde pignus accipimus, in æternum quieti, quod erit sabbatum sabbatorum, propter ipsam requiem pertinentem ad donum Spiritus sancti. Tertium itaque præceptum de sabbato, quod diximus, quod carnaliter Iudæi celebrant, nos spiritaliter agnoscamus. Nam quia Spiritus sanctus septiformis dicitur, propterea septimum diem sanctificauit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus : non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die vbi dicitur: *Requieuit Deus ab omnibus operibus suis.* Non enim fatigatus erat Deus vt diceretur, *requieuit Deus ab omnibus operibus suis;*

Cap. v. De diuisione Decalogi, & de præceptis ad Deum pertinentibus. Psal. 143. 9.

al. ei.

al. * domo. 2. Cor. 1. 22. *al.* * spiritus.

Sanctificatio sabbati.

Gen. 2. 2. *Deus requieuit.*

sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit: quia fecit omnia bona valde, & sic dicitur, *requieuit Deus*, vt intelligas etiam te post bona opera requieturum, & sine fine requieturum. Nam omnia superiora quæ dicta sunt, id est, dies superiores habent vesperam: septimus iste dies non habet vesperam, vbi Deus sanctificauit requiem. Dicitur ibi, *Factum est mane*, vt inciperet * ipse dies. Non dictum est, Factum est vespere, vt finiretur dies: sed dictum est, *Factum est mane*, vt fieret dies sine fine. Sic incipit ergo requies nostra, quasi mane: sed non finitur, quia in æternum viuemus. Ad hanc spem quicquid facimus, si facimus, sabbatum obseruamus. Ipsa est tertia chorda huius Decalogi, id est, psalterij decachordi, in tribus enim chordis ad Deum pertinent præcepta.

*Septimus dies nō habet vesperā. al. * esse.*

Cap. VI. De septem Decalogi, chordis ad proximum spectātibus. Deut. 6.5. Mat. 22.39.

Si diceretur nobis, *Diliges Dominum Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: & de proximo nostro nihil diceretur, non esset decachordum, sed trichordum. Quia verò addidit Dominus, *Et diliges proximum tuum tanquam teipsum*: & contexuit dicens, *In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ*; Tota lex in duobus præceptis est, in dilectione Dei, & dilectione proximi. Ad duo itaque præcepta, id est, ad dilectionem Dei & proximi pertinet decalogus. Ad primum præceptum tres chordæ pertinent, quia Deus est Trinitas. Ad alterum verò præceptum, id est, ad dilectionem proximi, septem chordæ, quomodò viuatur inter homines. Nam ipse numerus septenarius tanquam septem chordarum incipit ab honore parentum, *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Ad parentes enim suos homo aperit oculos: & hæc vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parare poterit? *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Et dicit Apostolus, *Honora patrem tuum & matrem tuam, hoc est primum mandatum*. Quomodò primum, quando quartum mandatum est: nisi quia in septenario numero est primum? Ad dilectionem proximi primum est in secunda tabula, nam ideò duæ tabulæ legis datæ sunt. Deus enim famulo suo Moysi in monte duas tabulas dedit, in quibus duabus tabulis lapideis conscripta erant decem præcepta legis, quod est psalterium decem chordarum.

Exo. 20. 12.

Eph. 6.2.

Exo. 31.

Tria in vna tabula ad Deum pertinentia, septem in altera tabula ad proximum. In altera ergo tabula primum est, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Secundum, *Non mœchaberis.* Tertium, *Non occides.* Quartum, *Non furaberis.* Quintum, *Non falsum testimonium dices.* Sextum, *Non concupisces vxorem proximi tui.* Septimum, *Non concupisces rem proximi tui.* Hæc iungamus illis tribus ad dilectionem Dei pertinentibus, si in psalterio decem chordarum volumus cantare canticum nouum.

AVDIAT enim charitas vestra vt dicam vel quod Deus suggesserit. Accepit legem populus Iudæorum, ista in decalogo non obseruauit. Et quicunque obtemperabant, timore obtemperabant pœnæ, non amore iustitiæ: portabant psalterium, non cantabant. Cantanti enim voluptas, timenti onus est. Ideò vetus homo, aut non facit, aut timore facit: non amore sanctitatis, non delectatione castitatis, non temperantiæ, charitatis, sed timore. Vetus enim homo est, & vetus homo, vetus canticum cantare potest, non nouum. Vt autem cantet canticum nouum, fit nouus homo. Quomodò autem possit esse nouus homo, audi non me, sed Apostolum dicentem? *Exuite vos veterem hominem, & induite nouum.* Et ne quis putaret, cùm dixit, *Exuite vos veterem hominem & induite nouum:* aliquid deponendum esse, & aliquid accipiendum, cùm de mutando præciperet homine, subiecit & ait, *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Hoc est quod ait, *Exuite veterem hominem, & induite nouum:* hoc dixit, mutate mores. Seculum diligebatis, Deum diligite. Nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis, proximum diligite. Si dilectione facitis, nouum canticum cantatis. Si timore facitis, facitis tamen: portatis quidem psalterium, sed nondum cantatis. Si autem nec hoc facitis, proiicitis ipsum psalterium. Melius est tamen portare, quàm proiicere: sed rursus melius est cum voluptate cantare, quàm cum onere portare. Nec peruenit ad canticum nouum, nisi iam cum voluptate cantans. Nam qui portat cum timore, adhuc in vetustate est. Et quid est, fratres, quod dico attendite. Non concordauit cum aduersario suo, qui cum timore adhuc facit. Timet enim ne veniat Deus, & damnet illum. Nam non-

Cap. VII. De cantantibus in decachordo, portantibus eũ & proiicientibus;

Eph. 4. 24.

dum delectat castitas, nondum illum delectat iustitia, sed iudicium Dei formidans à factis temperat. Nondum concupiscentiam ipsam damnat quæ sæuit in eo, nondum illum delectat quod bonum est, nondum ibi habet suauitatem vt cantet canticum nouum, sed de vetustate pœnas timet, nondum concordauit cum aduersario.

Cap. VIII. De hominis cũ Deo concordia, & de duplici imagine.

TALES enim homines plerumque supplantantur tali cogitatione, vt dicant sibi si fieri posset, non nobis minaretur Deus, non talia per Prophetas suos diceret quæ homines deterrerent: sed antequam veniret, daret omnibus indulgentiam, ignosceret omnibus, postea veniret, neminem mitteret in gehennam. Iam quia iniquus est, iniquum vult esse Deum. Vult te Deus facere similem sui, & tu conaris Deum facere similem tui. Placeat tibi ergo Deus qualis est, non qualẽ illum esse vis. Peruersus enim es, & talem vis esse Deum qualis es, non qualis est. Si autem placeat tibi qualis est, corrigens: & diriges in eam regulam cor tuum à qua nunc alienus distortus es. Placeat tibi Deus qualis est, ama qualis est: non te amat qualis es, sed odit te qualis es. Ideò tui miseretur quia odit te qualis es, vt faciat te qualis nondum es. Faciat te dixi qualis nondum es, nam illud tibi non promittit, quia faciet te qualis est. Nam eris qualis est, sed ad quendam modum, id est, imitator Dei velut imago; sed non qualis imago est filius, nam etiam imagines in hominibus diuersæ sunt. Filius hominis habet imaginem patris sui, & hoc est quod pater eius, quia homo est sicut pater eius. In speculo autem imago tua non hoc est quod tu, aliter est enim imago tua in filio, aliter in speculo. In filio est imago tua secundùm æqualitatem substantiæ, in speculo autem quam longè est à substantia, & tamen est quædam imago tua, quamuis non talis, qualis in filio tuo secundùm substantiam: sic in creatura, non hoc est imago Dei quod est in filio, qui hoc est quod pater, id est, verbum Dei per quod facta sunt omnia. Recipe ergo similitudinem Dei quam per mala facta amisisti. Sicut enim imago in nummo Imperatoris aliter est, & aliter in filio: nam imago & imago est, sed aliter impressa est in nummo, aliter in filio, aliter in solido aureo imago Imperatoris. Sic & tu nummus Dei es, ex hoc melior, quia cum intellectu & cum quadam vita nummus Dei

es,

es, vt ſcias etiam cuius imaginem geras, & ad cuius imaginem factus ſis: nam nummus neſcit ſe habere imaginem Imperatoris.

Ergo vt dicere cœperam, odit te Deus qualis es, ſed amat te talem qualem te eſſe vult, & ideò te ille vt muteris hortatur. Concorda cum illo, & incipe primo benevelle, & odiſſe te qualis es: hoc ſit tibi initium concordiæ cum ſermone Dei, vt incipias primò tu odiſſe te qualis es. Cùm cœperis & tu odiſſe te talem qualis es, ſicut te talem odit Deus, incipis iam ipſum diligere Deum, qualis eſt. Ægrum attendite. Æger ægrotantem ſe odit qualis eſt, inde incipit concordare cum medico, quia & medicus odit eum qualis eſt. Nam ideò vult ſanum eſſe, quia odit eum febrientem: & eſt medicus febris perſecutor, vt ſit hominis liberator. Sic auaritia, ſic libido, ſic odium, concupiſcentia, luxuria, ſic nugacitas ſpectaculorum, febres ſunt animæ tuæ, debes illas odiſſe cum medico tuo: ita concordas cum medico, niteris cum medico, & libenter audis quod iubet medicus, libenter facis quod iubet medicus, & proficiente iam ſanitate incipiunt etiam iam delectare præcepta. Quam oneroſus eſt cibus ægris quando reficiuntur, & peiorem horam reputant ægri refectionis ſuæ quàm ſuæ acceſſionis, & tamen cogunt ſe concordantes cum medico, & quamuis inuiti & obluctantes vincunt ſe vt aliquid accipiant: quanta auiditate ſani maiora recepturi ſunt, vnde ægri minora vix accipiunt. Sed vnde hoc factum eſt? Quia oderant febrem ſuam, & cum medico concordauerunt, & ſimul perſequebantur febrem medicus & ægrotus. Cùm ergo & nos talia dicimus, non odimus niſi febres veſtras: immo in nobiſipſis ſermo Dei febres noſtras odit, cum quo concordare debetis. Nam nos quid ſumus niſi liberandi vobiſcum, ſanandi vobiſcum: Modò non me intueamini, ſed ſermonem Dei. Nolite iraſci medicamento veſtro, non inueni enim aliud quà tranſirem.

VENI ad quintam chordam, homo, qui tango pſalterium decem chordarum, nunquid prætermiſſurus eram quintam? Immo aſſiduè percuſſurus. In illa enim video iacere penè totum genus humanum in illa video plus laborare. Ipſam percutiendo quid dico? Nolite mœchari poſt vxores veſtras, quia

Cap. IX. De quinta chorda, ſc. de non mœchando, & de viris adulteris.

Eee

non vultis vt mœchentur post vos vxores vestræ. Nolite ire vos quò eas sequi non vultis. Sine causa vos excusare conamini, quando dicitis, Nunquid eo ad vxorem alienam? Ad ancillam meam eo. Vis vt dicat vxor tua tibi, nunquid eo ad virum alienum? Ad seruum meum eo. Dicis, non est vxor aliena ad quam vado. Nunquid vis dicatur tibi, non est vir alienus ad quem vado? Absit vt dicat hoc illa. Melius enim dolet te, quam imitetur te. Illa enim casta & sancta fœmina & vere Christiana, quæ dolet fornicantem virum, & non dolet propter carnem, sed propter charitatem: non ideo vult vt non facias, quia & ipsa non facit, sed quia tibi non expedit. Nam si propterea non facit, vt tu non facias: si feceris, faciet. Si autem Deo illud debeat, si Christo illud debeat quod tu exigis, & ideo reddit, quia iubet ille: & si fornicatur vir castitatem fœmina illa Deo exhibet. Christus enim loquitur in cordibus bonarum fœminarum, loquitur intùs, vbi non audit vir, quia nec dignus est si talis est. Loquitur ergo ille interiùs & dicit, & filiam suam consolatur huiusmodi verbis: De iniuriis viri tui torqueris, quod tibi enim * fecit, dole, sed ipsum noli imitari vt malè facias, sed ipse te imitetur in bono. Nam in eo quod malè facit, noli eum putare caput tuum, sed time me Deum tuum. Nam si & in eo quod malè facit caput est, & secuturum est corpus caput suum: eunt ambo per præceps. Vt autem non sequatur malum caput suum, teneat se ad caput Ecclesiæ Christum: huic debens castitatem suam, huic deferens honorem suum. Absens sit vir, præsens sit vir, non peccet illa, quia nunquam est absens cui debet vt non peccet. Hæc ergo fratres mei facite, vt possitis concordare cum aduersario. Nec amara sunt quæ dico, aut si amara sunt, curant. Potio ista si amara est, accipiatur: quia in periculo sunt viscera, amara est, bibatur. Melius est modica amaritudo in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus. Mutate ergo vos. Quicunque non faciebatis hoc bonum castitatis, iam facite. Nolite dicere, non potest fieri. Fœdum est, fratres mei, turpe est, vt vir dicat, non posse fieri quod facit fœmina. Scelus est vt vir dicat non possum. Quod potest fœmina, vir non potest? Quid enim illa, carnem non portat? Prior à serpente decepta est. Castæ vxores vestræ ostendunt

al. * facit.

vobis fieri posse quod non vultis facere, & dicitis fieri non posse.

Sed fortè dices, ideò illam faciliùs facere posse, quia multa illi custodia est, legis præceptum, diligentia maritalis, terror etiam legum publicarum: est etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum Multæ custodiæ faciunt fœminam castam, virum castum faciat ipsa virilitas. Nam ideò mulieri melior custodia, quia maior infirmitas, illa erubescit viro, tu non erubescis Christo? Tu liberior, quia fortior: quia facilè vincis, ideò tibi commissus es. Super illam & diligentia viri, & terror legum, & consuetudo morum, & verecundia maior, & Deus, super te tantùm Deus: Inuenis enim facilè pares viros, quibus non timeas erubescere, quia faciunt id multi. Et tanta est peruersitas generis humani, vt aliquando metuendum sit ne castus erubescat inter impudicos. Ideò non cesso tangere istam quintam chordam, propter ipsam peruersam consuetudinem & labem totius, vt dixi, generis humani. Si quis inter vos faciat homicidium, quod auertat Deus, pellere eum vultis de patria, & continuò si fieri potest, excludere. Si quis faciat furtum, odistis illum, nec videre vultis, si quis dicat falsum testimonium, abominamini, nec vobis homo videtur. Si quis concupiscat alienas res, raptor & iniustus deputatur. Si quis volutatur cum ancillis suis, amatur, blandè accipitur, conuertuntur vulnera in ioca. Si quis autem existat qui dicat se castum, non facere adulterium; notum autem sit quod non faciat, erubescit accedere ad illos non sui similes, ne insultent, ne irrideant: ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana peruersitas, vt vir habeatur à libidine victus, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non sunt viri: iacent prostrati, & viri sunt? Si spectares, ille tibi videretur fortior qui iam iaceret sub bestia, quàm si perimeret bestiam: Sed quia dissimulatis à pugna interiore, & delectant vos pugnæ exteriores, ideò non vultis pertinere ad canticum nouum, vbi dicitur: *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Psal. 17. 35. Est enim bellum quod secum agit homo dimicans contra concupiscentias malas, frenans auaritiam, elidens superbiam, suffocans ambitionem, trucidans libidinem. Has

Psal. 143. 1. pugnas facis in occulto, & non vinceris in aperto. Ad hoc docentur manus vestræ ad prælium & digiti vestri ad bellum. Non est hoc in spectaculis vestris. In illis spectaculis non idem est venator quod citharista: aliud agit venator, aliud citharista. In spectaculo Dei vnum est.

Tange easdem decem chordas, & feras occides, vtrumque simul facis. Tangis primam chordam, qua colitur vnus Deus, cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam, qua non accipis nomen Domini Dei tui in vanum, cecidit bestia erroris nefandarum hæresium, quæ id putauerunt. Tangis tertiam chordam vbi pro spe futuræ quietis facis quicquid facis: interficitur crudelior cæteris bestiis, amor seculi huius. Propter enim amorem seculi huius laborant homines in omnibus negotiis. Tu autem in omnibus bonis operibus tuis labora non propter amorem seculi huius, sed propter requiem sempiternam quam promittit Deus. Vide quomodò vtrumque simul facis, & chordas tangis, & bestias occidis, id est, & citharista es & venator. Non nos delectent spectacula, vbi nō promeremur oculos editoris, sed oculos redemptoris. *Honora patrem tuum & matrem tuam*; tangis quartam chordam, vt honorem parentibus deferas, cecidit bestia impietatis, *Non mœchaberis*: tangis quintam chordam, cecidit bestia libidinis. *Non occides*: tangis sextam chordam, cecidit bestia crudelitatis. *Non furtum facies*; tangis septimam chordam, cecidit bestia rapacitatis. *Non falsum testimonium dices*: tangis octauam chordam, cecidit bestia falsitatis. *Non concupisces vxorem proximi tui*; tangis nonam chordam, cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Aliud enim est non facere aliquid tale præter vxorem, aliud non appetere alienam vxorem. Ideò duo præcepta sunt, *Non mœchaberis*, &, *Non concupisces vxorem proximi tui. Non concupisces rem proximi tui*: tangis decimam chordam, cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestiis, securus & innocens in Dei dilectione & humana societate versaris: tangens chordas decem, quot bestias occidis? Nam multa capita sunt sub istis capitibus. In singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum. Sic ergo canticum nouum cum amore, non cum timore cantabis.

Cap. x. NOLI dicere tibi, quando fortè aliquid luxurianter vis.

agere, vxorem non habeo, facio quod volo, non enim post [illegible]
vxorem meam pecco. Iam nosti pretium tuum, iam nosti [illegible]
quò accedis, quid manduces, quid bibas: immo quem manduces, quem bibas. Abstine te à fornicationibus. Ne fortè mihi dicas, ad fornicem vado, ad meretricem pergo, ad prostitutam eo: nec illud præceptum violo quo dictum est, *Non mœchaberis*: quia vxorem nondum habeo, nec post illam aliquid facio. Nec illud præceptum violo; vbi dictum est, *Non concupisces vxorem proximi tui*. Qui ad publicam vado, in quod præceptum incurro? Non inuenimus chordam quam tangamus, non inuenimus chordam. Quo neruo ligemus fugitiuum istum? Non fugiat, habet vnde ligetur, sed amet se, & non erit ligamentum, sed ornamentum. Non enim ligamentum, sed ornamentum in ipsis decem chordis inuenimus. Decem enim præcepta ad duo illa referuntur, sicuti audiuimus, vt diligamus Deum & proximum, & duo illa ad vnum illud. Vnum est autem, *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris*. Ibi continentur decem, ibi continentur duo. Sed dicis, Furtum si faciam, id facio quod pati nolo. Si occidam, id facio quod ab altero pati nolo. Si parentibus meis honorem non deferam, quando volo vt deferatur mihi à filiis meis, id facio quod pati nolo. Si sum mœchus & aliquid tale molior, id facio quod pati nolo. Nam si quis interrogetur, dicit, Nolo vt vxor mea tale aliquid faciat. Si concupisco vxorem proximi mei, nolo quisquam concupiscat meam: id facio quod pati nolo. Si concupisco rem proximi mei, nolo vt auferatur mea, id facio quod pati nolo. Cùm verò ad meretricem eo, cui facio quod pati nolo? Quod grauius est, ipsi Deo. Intelligat sanctitas vestra.

Exo. 20. 17.

Tob. 4. 16.

Etenim *quod fieri tibi non vis, alij ne feceris*, ad duo præcepta pertinet. Quomodò pertinet ad duo præcepta: Si homini non feceris quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, ad septem chordas. Si autem quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc; non facis alteri quod pati non vis? Charior tibi factus est homo quàm Deus? Ergo quomodò iniuriam facio, inquis, ipsi Deo? Corrumpis teipsum. Et vnde iniuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Vnde facit tibi iniuriam qui

Ibidem.

voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cùm verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & per diffluentias libidinis, attendis quia ad nullius vxorem accessisti, attendis quia post vxorem tuam nihil fecisti, quia vxorem non habes: & non attendis, per libidines & illicitas fornicationes cuius imaginem violasti? Postremò Deus qui scit quid tibi vtile sit, qui verè sic suos seruos gubernat ad vtilitatem illorum, non ad suam: non enim indiget seruis quasi ad adiutorium, sed tu indiges Domini auxilio.

Ipse ergo Dominus qui scit quid tibi sit vtile, vxorem concessit, nihil ampliùs. Hoc iussit, hoc præcepit, nec per illicitas voluptates corruat templum eius quod esse cœpisti. Nunquid hoc ego dico? Apostolum audite: *Nescitis quia templum*
1. Cor. 3. 16. *Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Hoc dicit Christianis, hoc dicit fidelibus, *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Videtis quomodò minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè non facis alicui quod pati non vis. Non est ergo quà euadatur. Tenetur ille qui se teneri non putabat. Omnia enim peccata hominum, aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in corruptelis illum offendis, in te illi facis iniuriam. Facis enim iniuriam gratiæ ipsius, domui ipsius. Seruum si haberes, velles vt seruiret tibi seruus tuus: serui tu meliori Domino Deo tuo. Seruum tuum non tu fecisti, & te & seruum tuum ille fecit. Vis vt tibi seruiat cum quo factus es, & non vis seruire ei à quo factus es? Ergo cùm vis vt seruiat tibi seruus tuus homo, & tu non vis seruire Domino Deo tuo, facis Deo quod tu pati non vis. Ergo illud vnum præceptum continet duo, illa duo continent decem, illa decem continent omnia. Cantate ergo in psalterio decem chordarum canticum nouum.

Vt autem cantetis canticum nouum, estote homines noui.

Diligite iustitiam, quia habet pulchritudinem suam. Ideò non vultis illam videre, quia aliud amatis. Nam si aliud non amaretis, eam vtique videretis. Quare illam non videtis, quando illam exigitis? Illam exigis. Quare laudas fidem, quando illam exigis de seruo tuo? Quam pulchra res est fides? Sed tunc pulchra est, quando de seruo exigitur. Tunc videtur, quando ab altero expetitur: quando de te exigitur, non videtur. Aurum vides, fidem non vides. Sicut lucet aurum ad oculos corporis, sic lucet fides ad oculos cordis. Aperis ad illam oculos cordis, quando vis vt exhibeat illam tibi seruus tuus. Si tibi illam exhibuerit, laudas seruum tuum & prædicas eum, & dicis: Præclarum seruum habeo, magnum seruum habeo, fidelem seruum habeo. Quod laudas in seruo, non exhibes Domino: & eo sceleratius, quia vis vt meliorem tu habeas seruum quam te Deus. Iubet Deus seruo tuo, vt bonus sit erga te. Quomodò iubet vxori tuæ, vt & si tu mœchaberis, non mœchetur: sic iubet seruo tuo, vt & si tu non seruis Domino tuo, seruiat tibi. Sed hoc totum vide, vt ad admonitionem tuam valeat, non ad perniciem tuam. Etenim seruus ille quòd tibi seruit indigno dignè, id est, quod indigno tibi benè seruit, & fideliter seruit, & purè te diligit: Deo debet, non tibi. Iustum est ergo vt & tu attendas, quia sub Domino es ad quem & ille attendit, vt seruiat tibi. Imple ergo quod dictum est, *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris.* Sed Tob. 4. 16. ipsum alij cùm dicis, vtrumque attende, & proximum & Deum. Canta in psalterio decem chordarum, canta canticum nouum: concorda cum sermone Dei, *cùm est tecum in via.* Mat. 5. 26. Concorda cum aduersario tuo citò, ne cum discordia venias ante iudicem. Si facis quod audis, concordasti cum eo: si autem non facis, rixaris cum eo, & nondum composuisti quousque facias.

Vt autem concordetis, abstinete vos à detestabilibus corruptelis, & à detestabilibus inquisitionibus, à mathematicis, ab arupiscibus, à sortilegis, ab auguribus, à * sacrilegis: abstinete vos quantum potestis à nugatoriis spectaculis. Si quæ delectationes seculi subrepunt in animam: exercete vos in misericordia, exercete vos in eleemosynis, in ieiuniis, in orationibus. His enim purgantur quotidiana peccata, quæ non

Cap. 11. *De peccatis minimis nō contemnendis, & de eorum triplici remedio.*

al. * facilegiis.

possunt non surrepere in animam, propter fragilitatem humanam. Noli illa contemnere quia minora sunt: sed time, quia plura sunt. Attendite, fratres mei. Minuta sunt, non sunt magna. Non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Si proiicitur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt: & cauete quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ; si arenæ ampliùs in naui mittatur, mergit illam vt pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluuiæ? Nonne flumina implent, & domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere.

Minutiora peccata.

Sed dicturi estis, Et quis potest sine istis? Ne hoc diceres * quæ habere nemo non potest, Deus misericors videns nostram fragilitatem, posuit contra remedia. Quæ sunt remedia? Eleemosynarum, ieiuniorum, orationum, ipsa sunt tria. Vt autem verum dicas in oratione, perfectæ implendæ sunt eleemosynæ? Quæ sunt perfectæ eleemosynæ? Vt ex quo tibi abundat, des ei qui non habet: & cùm te lædit aliquis, ignoscas illi. Sed ne putetis, fratres, quia facienda sunt quotidie adulteria, & eleemosynis quotidianis mundanda sunt: ad illa maiora scelera non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ, vt ea mundent. Aliud est vbi mutes vitam, aliud est vbi toleres vitam. Illa mutanda est. Si mœchus eras, noli esse mœchus. Si fornicator eras, noli fornicari. Si homicida, noli homicida esse. Si ibas ad mathematicum, & ad cæteras pestes sacrilegas, iam desine. Arbitraris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis eleemosynis posse mundari? Illa dico quotidiana peccata, quæ aut linguâ facilè committuntur, vt est verbum durum, aut cùm labitur aliquis in risum immoderatum, aut in huiusmodi nugas quotidianas. In ipsis concessis peccata sunt. Cum ipsa vxore si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, iam peccatum est. Ad hoc etenim ducitur vxor: nam id etiam tabulæ indicant, vbi scribitur, liberorum procreandorum causa. Quando tu vti vxore ampliùs quàm necessitas procreandorum liberorum

al. quia ea non habere nemo potest.

peccata quotidiana quæ.

rum

rum cogit, volueris, iam peccatum est: & ipsa talia peccata quotidianæ eleemosynæ mundant. In ipsis alimentis, quæ vtique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis quàm necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista quæ dico: sed tamen peccata sunt, & non sunt leuia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis. Talia peccata dicimus, fratres, quotidianis eleemosynis posse mundari. Sed facite eleemosynas, & nolite cessare. Attendite vitam vestram quotidianam, ipsis peccatis scaturientem, minutis ipsis dico.

Et cùm facis eleemosynam, non superbè facias, nec sic ores quemadmodum ille Pharisæus. Sed tamen quid ibi dixit: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcunque possideo*, & nondum fusus erat sanguis Domini. Tantum pro nobis pretium accepimus, & saltem nec tantum erogamus, quantum Pharisæus. Et habes alio loco apertè dicentem Dominum, *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ergo illi dant decimas, tu si centesimam dederis, aliquid magnum te fecisse gloriaris. Attendis enim quid alius non faciat, non quid te iubeat facere Deus. Metiris te de comparatione peioris, non de iussione melioris. Non quia ille nihil facit, ideò tu magnum aliquid facis: sed quia gaudetis ad quædam minima opera vestra, quia tanta est sterilitas vestra, vt ad modica gaudeat. Quasi securi vobis blandimini de minimis eleemosynarum granis, & aceruos obliuiscimini peccatorum. Protulisti fortè nescio quid paruum, quod alius aut non habuit, aut non protulit cùm haberet. Noli attendere post te quis non faciat, sed quid te iubeat Deus facere. Postremò, * quare in istis affectionibus secularibus non vobis sufficiunt quos præcessistis, sed vultis esse diuites, æquales ditioribus vobis: non attenditis quantos pauperiores transcenditis? Vincere vultis ditiores: sed in eleemosynis habetur modus. Hìc dicitur, Iam quousque facio? & illic non dicitur, quantis diuitibus ditior sum? Non attenduntur egestates innumerabilium mendicorum, non respiciuntur posteriores multitudines pauperum: sed paucitas præ-

Cap. XII. *De faciendis eleemosynis sine iactantia. & quomodò diuitiæ probè seruandæ sint.*

Matt. 5. 20.

al. * quãdo.

cedentium diuitum ante oculos ponitur. Cur in opere bono non attenditur ille Zachæus, qui dimidium rerum suarum dedit pauperibus? Sed optare cogimur, vt attendatur saltem ille Pharisæus, qui omnium quæ possidebat, decimas dabat. Noli parcere thesauris caducis, thesauris vanis. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis, inquis, meis seruo. Magna excusatio, filiis meis seruo. Videamus, seruat tibi pater tuus; seruas tu filiis tuis, filij tui filiis suis, & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei? Quare non illi potiùs impendis omnia qui te fecit ex nihilo? Qui te fecit, ipse te pascit. Ex his quæ fecit, ipse pascit & filios tuos. Neque enim melius committis filiis tuis patrimonium tuum quàm creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines: mala est, inquiunt, auaritia. Palliare se volunt nomine pietatis & dealbare, vt quasi propter filios videantur seruare homines quod propter auaritiam seruant. Nam vt noueritis, quia sic plerumque contingit dicitur de * quodam, Quare non facit eleemosynam? quia seruat filiis suis. Contingit vt amittat vnum. Si propter * filios seruabat, mittat post illum partem suam. Quare illam tenet in sacculo, & illum relinquit ab animo? Redde illi quod suum est, redde quod illi seruabas. Mortuus est, inquit. Sed præcessit ad Deum, pars ipsius debetur pauperibus. Illi debetur ad quem perrexit, Christo debetur, ad ipsum enim perrexit: Et * ille dixit, *Qui vni ex minimis istis fecit, mihi fecit:* Et qui vni ex minimis * istis non fecit, mihi non fecit. Sed quid dicis? Seruo fratribus ipsius. Si viueret ille, non erat cum suis fratribus diuisurus? O fides mortua! mortuus est enim filius tuus. Quicquid dicas, mortuo debes quod viuo seruabas: Mortuus est filius meus, sed tamen partem filij mei seruo fratribus ipsius. Si credis quia mortuus est? Si pro illo Christus mortuus non est, mortuus est ipse: si autem in te fides est, viuit filius tuus. Viuit prorsus: non decessit, sed præcessit. Quia fronte venturus es ad filium tuum qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cælum? An non potest venturi in cælum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Si ergo ille tuus est, ut rursus melius est custoditus in cælo: nunquid tunc mittendus est

Lucæ 19. 8.
Luc. 18. 12.
al. * quoquam.
al. * filium.
al. * ipse.
Matt. 25. 40.
al. * meis.
Matt 6. 20

filio, quando si missus fuerit, non peribit? Tenebitur hic vbi potest perire, non mittitur illuc vbi Christus est custos? Certè ea quæ hic tenes, & non vis mittere post filium tuum, quibus commendas actoribus tuis commendas illius partem qui præcessit, & Christo non commendas ad quem præcessit? An idoneus est tibi procurator tuus, & minus idoneus est Christus?

VIDETIS, fratres, quia mendacium est quod dicunt homines, Filiis meis seruo. Mendacium est, fratres mei, mendacium est: auari sunt homines. Vel sic certè cogantur confiteri quod nolunt, cum erubescunt tacere quod sunt: fundant, vomant in confessione quod portant. Pectus premitur crapula iniquitatis: euomant eam confessione, sed non canino more redeatur ad vomitum. Estote Christiani. Valde parum est vocari Christianus. Quanta donatis histrionibus, quanta donatis venatoribus, quanta turpibus personis? quanta donatis eis qui vos occidunt? Per ipsas enim exhibitiones voluptatum interficiunt animas vestras, & insanitis quis plus donet. Si insaniretis quis plus seruet, non essetis ferendi. Quis plus seruet insanire, auaritiæ est: quis plus donet insanire, profusionis est. Nec auarum te Deus, nec profusum esse vult. Collocare te vult quæ habes, non proiicere. Certatis quis vincat in peius, non datis operam quis sit melior: atque vtinam non daretis quis sit peior. Et dicitis, Christiani sumus. Ad fauorem populi proiicitis res vestras, contra iussa Christi tenetis res vestras. Ecce non iubet Christus, rogat Christus, eget Christus. *Esuriui*, dicit Christus, *& non dedistis mihi manducare*. Egere voluit propter te, vt haberes vbi seminares: * terrena dedit, vt meteres vitam æternam. Nolite pigri esse & malè securi. Mores emendate, peccata redimite, & cùm hæc feceritis, Deo gratias agite, à quo accepistis bene viuere. Et sic ei gratias agite, vt non insultetis his qui nondum bene viuunt, sed eos ipsos moribus vestris hortemini. Hæc faciendo, habetis perfectam, quantùm in hac vita esse potest, iustitiam: Conuersantes in bonis operibus, in orationibus, in ieiuniis, in eleemosynis propter minuta peccata, & abstinendo vos ab illis magnis peccatis, concordatis cum aduersario: & securi dicitis in oratione. *Dimitte nobis*

[Margin notes: Cap. XIII. *Quo pacto terrenis substantiis vtendum.* Prou. 16, 11. — Mat. 25. 42. — l. * qui dedit. — Matt. 6. 12.]

Fff ij

debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Habetis enim quod quotidie vobis dimittatur, qui habebitis quod quotidie dimittatis. Sic ambulando securi in via non timebitis latrocinia diaboli, quia Christus viam & stratam magnam seipsum fecit, per quam ducit ad patriam. Omnis ibi securitas, omnis quies: vbi & ipsa misericordiæ opera cessabunt, quia nulla ibi erit indigentia miserorum. Erit ergo illic Sabbatum Sabbatorum: vt quod hîc desideramus, ibi inueniamus. Amen.



SANCTI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

LIBER, VEL SERMO DE DISCIPLINA Christiana, vel de domo disciplinæ.

Cap. 1. *Quid sit bene viuere.*

LOCVTVS est ad nos sermo Dei, & depromptus est ad exhortationem nostram: dicente scriptura, *Accipite disciplinam in domo disciplinæ.* Disciplina, à discendo dicta est: disciplinæ domus, est Ecclesia Christi. Quid ergo hîc dicitur, vel quare discitur? Qui sunt qui discunt, & à quo discunt? Discitur bene viuere. Propter hoc discitur bene viuere, vt perueniatur ad semper viuere. Discunt Christiani, docet Christus. Primò ergo quid sit bene viuere: deinde quæ sit merces bonæ vitæ, tertiò qui sint veri Christiani, quartò quis sit verus magister, pauca loquentibus nobis sicut Dominus donat, audire dignemini. Omnes in domo disciplinæ sumus, sed multi nolunt habere disciplinam: & quod est peruersius, nec in domo disciplinæ volunt habere disciplinam. Cùm propterea debeant in domo disciplinæ accipere disciplinam, vt seruent illam in domibus suis: ipsi econtrà indisciplinationem non solùm in domibus suis habere volunt, sed ferre illam secum etiam ad domum disciplinæ volunt. Ideò apud quos non vacat verbum Dei, qui cor auri coniungunt, qui non sunt via, vbi semen cum ceciderit, ab auibus colligitur, qui non sunt petrosa loca, vbi semen altam radicem habere non potest, & ad horam exit, & in æstu arescit: qui non sunt ager spinosus, vbi semen cùm germinauerit & in auras surgere cœperit, spinarum densitate Matt.13.5.

suffocatur, sed qui sunt terra bona parata semen accipere, & fructum reddere vel centenum, vel sexagenum, vel tricenum. Recordentur, qui non sine causa intrarunt disciplinæ scholam, has me similitudines ex Euangelio commemorasse. Qui igitur tales sunt, accipiant quod per me Dominus dicere dignatur. Ego enim, quoniam ille seminat, quid sum? Vix cophinus seminantis. Ipse in me dignetur ponere, quod vobis spargat. Nolite ergo attendere ad vilitatem cophini, sed ad charitatem seminis & potestatem seminatoris.

Cap. II. QVID est ergo bene viuere, quod hîc discitur? Præcepta multa sunt in Lege, quibus ipsa bona vita continetur, imperatur & discitur. Multa omnino præcepta sunt & innumerabilia. Præceptorum ipsorum paginas vix quisquam enumerat, quanto magis ipsa. Quæ voluit tamen Deus propter eos qui se possent excusare, vel quia eis non vacat legere, vel quia non norunt legere, vel quia non possunt facilè intelligere, vt excusationem nemo habeat in die iudicij, voluit, sicut scriptum est, consummare & breuiare verbum super terram, sicut de illo Propheta prædixerat: *Verbum enim consummans & breuians faciet Dominus super terram.* (Isa 10.23.) Hoc ipsum verbum consummatum & breuiatum, nec obscurum Deus esse voluit. Ideò breue, ne non vacaret legere: ideò apertum, ne dicat, non mihi licuit intelligere. Thesaurus ergo est magnus diuinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta & multa: tanquam multas gemmas, & pretiosa monilia, & vasa ingentia, & magni metalli. Sed quis potest scrutari thesaurum istum, & vti eo, & peruenire ad omnia quæ ibi sunt? Quando hanc similitudinem Dominus dedit in Euangelio suo, & dixit, *Simile est regnum cælorum thesauro inuento in agro:* (Mat. 13.44.) ne quis se minus idoneum diceret ad perscrutandum thesaurum, continuò dedit aliam similitudinem: *Simile est*, inquiens, *regnum cælorũ homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, qui inuenit vnam pretiosam margaritam, & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam*: vt si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger vnam margaritam sub lingua ferre, & quò vis securus ambulare.

Cap. III. QVID est ergo verbum consummans & breuians? *Diliges*

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Ecce quod discitur in domo disciplinæ: Diligere Deum, diligere proximum. Deum tanquam Deum, proximum sicut teipsum. Non enim inuenis parem Deo, vt possit tibi dici, Dilige Deum sicut diligis illum. De proximo inuenta est tibi regula, quia inuentus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodò diligas proximum? Attende teipsum, & quomodò te diligis, sic dilige proximum. Non est vbi erres. Volo ego iam & tibi committere proximum tuum, vt diligas eum tanquam teipsum: Volo, sed adhuc timeo. Volo tibi dicere, Dilige proximum tuum sicut teipsum, & timeo: adhuc enim discutere volo quomodò diligas teipsum. Noli ergo ægrè ferre. Non es tu ipse facilè dimittendus, cui est proximus committendus. Non transitoriè tecum agendum est. Tu vnus homo es, proximi tui multi sunt. Non enim primò sic debes intelligere proximum: * vel fratrem, vel cognatum, vel affinem. Proximus est omni homini omnis homo. Proximi sibi dicuntur pater & filius, socer & gener. Nihil tam proximum, quàm homo & homo. Sed si putamus non esse proximos, nisi qui de iisdem parentibus nascuntur, Adam & Euam attendamus: & omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundùm quod homines sumus, quantò magis secundùm quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam, vna mater Eua: ad id quod Christianus es, vnus pater est Deus, vna mater Ecclesia.

Mat. 22.37

al. * velut. Proximus.

VIDETE ergo quantos proximos habeat vnus homo. Omnes homines in quos incurrerit, quibus iungi potuerit, proximi eius sunt. Quomodò ergo discutiendus est vtrum diligat se, cui committendi sunt tot proximi, vt sic eos diligat tanquam se? Non ergo irascatur vnusquisque, si discutio quomodò se diligat. Certè ego discutio, ipse se inueniat. Vt quid enim discutio, quia ego inuenturus sum? Ideò discutio, vt ipse se interroget, ipse sibi appareat, ipse se non lateat, ipse se sibi non abscondat, ipse sibi se ante oculos suos, non post dorsum ponat. Me loquente faciat hoc, me nesciente faciat hoc. Quomodò te diligis? Quisquis me audis, immo quisquis

Cap. IV.

[illegible] agere so.

Deum per me audis, in hac domo disciplinæ, attende te quomodò te diligis. Profectò enim si te interrogem vtrum diligas te, respondebis quia diligis. Quis enim se odit: Hoc dicturus es. quis enim te odit? Ergo non diligis iniquitatem, si te diligis. Nam si diligis iniquitatem, non ego dico, Psalmum

Psal. 10. 5. audi: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ergo si diligis iniquitatem, audi veritatem, veritatem non te palpantem, sed apertè tibi dicentem, Odis te. quanto magis dicis, quia amas te, odis te. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quid dicam de carne, quæ pars est vilior hominis? Si animam odit, quomodò carnem diligit? Denique qui amant iniquitatem, & oderunt animam suam, omnem turpitudinem exercent de carne sua. Iam ergo qui diligis iniquitatem quomodò tibi volebas committi proximum, vt diligeres eum tanquam te? Homo quid perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis, vt perdas te: sic profectò perditurus es & eum quem diligis sicut te. Nolo ergo quenquam diligas, vel solus peri. Aut corrige dilectionem, aut respue societatem.

Cap. v. *Quis perniciosè diligat proximum.* DICTVRVS es mihi, Diligo proximum tanquam meipsum. Audio planè, audio. Inebriari vis cum illo, quem diligis tanquam teipsum. Bene nobis faciamus hodie, quantum possumus bibamus. Vide quia sic te diligis, & illum ad te trahis, & ad quod amas vocas. Necesse est vt quem diligis tanquam teipsum, illuc illum trahas ad quod & tu te amas. Humanus homo, immo belluinus, amando talia qualia belluæ.

Brutus homo.

Belluas enim Deus prostratas in faciem, fecit pastum quærentes de terra, te in duos pedes erexit de terra. Tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum à facie tua. Non habeas faciem sursum, & cor deorsum: immo verum audi & verum fac. Sursum cor, ne mentiaris in domo disciplinæ. quando enim audis, responde, sed sit verum quod respondes. Sic te dilige, & diliges proximum tuum tanquam teipsum. quid est enim sursum habere cor, nisi quod dictum est priùs: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* quia ergo duo præcepta sunt, si vnum diceret, non sufficeret. Sufficit & vnum, si intelligatur. Nam aliquando sic loquitur Scriptura, sicut Paulus

Mat. 22. 37

Rom. 13. 9. Apostolus: *Non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces.*

pisces : & si quod est aliud mandatum , in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas? Quid est charitas? Dilectio. Nihil videtur dixisse de dilectione Dei, sed solam proximi dilectionem dixit sufficere ad implendam legem. quicquid est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, in hoc sermone impletur. In quo? *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Ecce vnum est. Certè duo præcepta sunt, *in quibus tota lex pendet & Prophetæ.* Mat. 22. 39.

VIDETE quomodò plus breuiatum est, & adhuc pigri sumus. Ecce quæ duo erant, vnum factum est. Prorsus proximum dilige, & sufficit. Sed dilige quomodò te ipsum diligis, non quomodò te ipsum odisti. Dilige proximum tuum tanquam teipsum, sed priùs est vt diligas teipsum. Quærere habes quomodò diligas teipsum, & audire habes : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua.* Homo enim quomodò à se fieri non potuit, sic nec beatus à se fieri potest. Alia res fecit eum hominem, quod non est ipse homo : alia res eum factura est beatum, quod non est ipse homo. Denique errans videt ipse, quia per se non potest beatus esse, & amat aliud vnde sit beatus. Vnde se fieri putat beatum, hoc amat. Quid putamus, amat, vnde putat se fieri beatum? Pecuniam, aurum, argentum, possessiones. Breuiter dico, pecuniam. Totum enim quicquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur. Seruus sit, vas, ager, arbor, pecus; quicquid horum est, pecunia dicitur. Et vnde est primùm vocata pecunia? Ideò pecunia, quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant. A pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos patres fuisse diuites pastores. Ergo pecuniam diligis, ô homo : vnde putas te fieri beatum, pecunia est, & multùm eam diligis. Volebas diligere proximum tanquam teipsum, diuide cum illo pecuniam tuam. Quid esses discutiebam. Inuentus es: apparuisti tibi, vidisti te, considerasti te. Non es paratus diuidere pecuniam tuam cum proximo tuo. Sed quid mihi respondet benigna auaritia ? quid mihi respondet ? Si diuisero cum illo , minus erit & mihi & illi: minuetur quod amo, nec totum habebit ille, nec totum habebo ego. Sed quia diligo eum tanquam me- Cap. VI.

ipsum, opto illi vt tantum habeat: vt nec meum minuatur, & ipse mihi coæquetur.

Cap. VII. OPTAS vnde nihil perdas, atque vtinam hoc verum dicas vel optes. Timeo enim ne inuideas. Quomodò enim socialis erit felicitas tua, quam torquet felicitas aliena. Nonne cùm cœperit ditescere vicinus tuus, & incipere quasi surgere, & ire post te: times ne sequatur te, times ne transeat te. Certè diligis proximum tuum tanquam teipsum. Sed non loquor de inuidis. Auertat enim Deus hanc pestem ab animis omnium hominum, nedum Christianorum: vitium diabolicum, quo solus diabolus reus est, & inexpiabiliter reus. Non enim dicitur diabolo vt damnetur, adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed homini stanti lapsus inuidisti. Inuidentia, diabolicum vitium est, sed habet matrem suam. Superbia vocatur mater inuidiæ. Superbia inuidos facit. Suffoca matrem, & non erit filia. Ideò humilitatem docuit Christus. Non ergo loquor inuidis, bene optantibus loquor. Illis loquor qui optant bene amicis, vt habeant tantum quantum habent & ipsi. Optant bene egentibus, vt habeant quantum & ipsi, sed nolunt illis dare ex eo quod habent. Inde te iactas, homo Christiane, quia optas bene? Melior te est mendicus, qui plura tibi optat, & nihil habet. Bene vis optare nihil à te accipienti, da aliquid bene optanti. Si bonum est bene optare, redde mercedem. Optat tibi bene pauper, quid trepidas? Addo aliquid. In domo disciplinæ es. Addo aliquid his quæ dixi. Da bene optanti, Christus est. Ipse à te petit qui tibi dedit. Erubesce. Ille diues pauper esse voluit, vt haberes pauperes quibus dares. Da aliquid fratri tuo, da aliquid proximo tuo, da aliquid comiti tuo. Tu diues es, ille pauper est. Vita ista via est, simul ambulatis.

Cap. VIII. SED fortè dicis, Ego diues, ille pauper est. Simul ambulatis an non? Quid est quod dicis, ego diues, ille pauper; nisi ego oneratus, ille leuis? Ego diues, ille pauper. Sarcinam tuam cōmemoras, pondus tuum laudas. Et quod grauius est, constrinxisti ad te sarcinam tuam: ideò non potes porrigere manum. Onera te, liga te: quid te iactas? quid te laudas? Solue vincula tua, minue sarcinam tuam. Da comiti, & illum adiuuas, & te releuas. Inter has voces tuas laudantes sarcinam tuam, adhuc

Christus petit & non accipit : & obtendis nomen pietatis crudelibus vocibus, & dicis: Et quid seruo filiis meis? Christũ illi oppono, filios suos mihi reponit. Istáne verò magna iustitia, vt habeat vnde luxurietur filius tuus, egeat Dominus tuus? *Cùm enim vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti.* Non legisti, non aduertisti, *Cùm vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis?* Non legisti, non timuisti? Ecce quis eget, & filios tuos numeras? Postremò numera filios tuos, adde vnum illum inter illos, Dominum tuum. Vnum habes, sit ille secundus: duos habes, sit ille tertius: tres habes, sit ille quartus, nihil horum vis. Ecce quomodò diligis proximum tuum, quem tibi facis socium ad istam perditionem. Quid tibi dicturus sum, Diligis proximum tuum? Quid illi in aures insusurrabis homo auare: nisi fili aut frater, aut pater, bonum est nobis, vt cum hìc viuimus, bene sit nobis? Quantum habebis, tantus eris. Frange lunam, fac fortunam. Ista susurrabis proximo tuo, quæ non didicisti in domo disciplinæ, nec audisti hìc. Mat. 25. 40.

NOLO sic diligas proximum tuum. O si possem facere, vt nulli iungereris: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala.* Sed non possum facere vt nemini iungaris, cui mala ista quæ non vis dediscere, insusurres: & non solùm nolis dedoceri, sed affectes etiam docere. Nolo, immo volo, sed non possum te disiungere ab auribus aliorum. Alios admoneam, ad quorum aures ambis, quorum aures penetrare moliris, ad quorum corda per aures intrare disponis. O qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ, sepi aures tuas spinis. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Sepi aures tuas spinis Sepi, & spinis sepi: vt ille qui importunè intrare ausus fuerit, non solùm non repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum à te. Dic, Christianus es, Christianus sum non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus in illa schola, quam gratis intrauimus: non hoc didicimus sub illo Magistro, cuius cathedra in cælo est. Noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere. Hoc est enim, *Sepi aures tuas spinis.* Conuertam me ad illum. Auarus es, pecuniam amas. Beatus esse vis? Deum tuum ama. Pecunia te non facit beatum. Tu eam facis ornatam, non illa te beatum. Sed quia multùm amas pecuniam, & video quia pergis quò iusserit cupiditas, piger perge quò iubet charitas. Respi- Cap. 12. Eccl. 28. 1. Cor. 15. 33. Eccl. 22. 28

ce & vide quàm multùm intersit inter pecuniam tuam & Deum tuum. Pulchrior est iste sol quàm pecunia tua, & tamen iste sol non est Deus tuus. Porrò si pulchrior est lux ista quàm pecunia, quantum est pulchrior qui fecit hanc lucem? An fortè comparare vis pecuniam tuam luci? Ecce occidit sol, ostende mihi pecuniam tuam. Nitet & nocte, subtraho lucernam. Ecce diues es. Ostende mihi diuitias tuas. Iam si lumine priueris, iam si non habeas vnde quod habes videas, vbi sunt diuitiæ tuæ?

Cap. x. ET sic tamen horrenda profunditas auaritiæ non patet oculis, & scatet animis. Vidimus & cæcos auaros. Dicatur mihi, Vnde auari sunt cæci qui non vident? quod habet non habet, & tamen auarus est cæcus quare? quia credit se habere, auarus est: Fides eum facit diuitem. Credendo diues est, non videndo. Quantò meliùs fide conuertit ad Deum? Non vides quod possides, & Deum tibi sic prædico. Nondum vides, ama & videbis. Amas pecuniam, ô cæce, quam nunquam videbis. Cæcus possides, cæcus moriturus es, quod possides, hîc relicturus es. Non tenebas & quando viuebas, quantò magis perdis, quia non videbas quod habebas? De Deo quid tibi dicitur? Ecce hoc tibi dicit ipsa sapientia. Ama illã tanquam pecuniam. Indignum est, iniuriosum est, vt sapientia pecuniæ comparetur: sed amor amori comparatur. Video enim hîc vos sic amare pecuniam, vt iubente amore pecuniæ, labores suscipiatis, ieiunia toleretis, mare transeatis, ventis & fluctibus vos committatis. Habeo vnde eligam quod ametis, sed non habeo quod addam ad amorem quo amatis. Sic me amate, plus nolo me amari, dicit Dominus. Improbis loquor, auaris loquor. Pecuniam diligitis, tantum me diligite. Certè melior sum incomparabiliter. Nolo à vobis ampliorem amorem. Quantum diligitis pecuniam, tantum me amate. Erubescamus saltem, confiteamur & pectora tundamus, non vt super peccata nostra pauimentum solidemus. Nam qui tundit pectus & non corrigitur: solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus & cædamus nos, & corrigamur à nobis, ne ille postea nos cædat, qui magister est, diximus enim iam quid hic discatur.

Cap. xi. QVARE iuisti in scholam, & vapulasti, & à parentibus du-

ctus, & fugitans quæsitus, & inuentus attractus es, & adductus extensus es? Quare vapulasti? quare tanta mala in pueritia pertulisti? Vt disceres. quid disceres? Literas. quare? Vt haberetur pecunia, aut vt compararetur honor, & teneretur sublimitas dignitatis. Vide quia periturus es propter perituram rem. Perituram rem cum tanto labore didicisti in tantis pœnis, & amabat te qui te ad pœnas trahebat. Ipse qui te amabat, ipse te ad pœnas trahebat vt vapulares, amando faciebat vt disceres quid? Literas. Bonæ sunt literæ? Bonæ. Noui, dicturus es mihi: quare & vos Episcopi literas legistis? quare, nunc diuinas Scripturas in ipsa literatura tractatis? Ita verò, sed non ad hoc didicimus literas. Non enim parentes nostri, quãdo nos in scholam mittebant, hoc nobis dicebant: discite literas, vt habeatis vnde legere possitis codices Dominicos. Nec ipsi Christiani filiis suis hoc dicunt. Sed quid? Discite literas. quare? Vt sis homo. quid enim? Modò pecus sum? Quod dico vt sis homo, hoc est, vt sis eminens inter homines. Vnde & illud prouerbium; quantum habebis, tantus eris. Vt habeas quantum cæteri, aut quantum pauci, aut plusquam cæteri, aut plusquam pauci, habeas inde honorem, habeas inde dignitatem. Et vbi erunt ista omnia cùm mors venerit? Quomodò stimulat, quomodò metus iste interpellat? Quomodò nomen ipsum à me commemoratum omnium corda percussit? Quomodò timorem vestrum teste gemitu declarastis? Audiui, audiui gemuistis, mortem timetis. Si timetis, quare non cauetis? Mortem timetis. quid timetis? Ventura est. Timeam an non timeam, venire habet: serò an citò, ventura est. Si timeas, non efficies vt non sit quod times.

Quæ sit merces bona vita.

Cap. xii.

ILLVD potiùs time, quod si nolis, non erit. quid? Peccare. Peccare time, quia si amaueris peccata, in aliam mortẽ irrues, quò posses non venire, si non amares peccata. Modò autem peruersus plus amas mortem quam vitam. Absit, inquis, quis est hominum qui plus amet mortem quam vitam? Fortè conuinco te, quia plus amas mortem quàm vitam. Ecce vnde te conuinco. Amas tunicam tuam, bonam eam vis. Amas villam tuam, bonam eam vis. Amas filium tuum, bonum eũ vis. Amas amicum tuum, bonum eum vis. Amas domum tuam, bonam eam vis. Quid est quod etiam bonam vis habere mortẽ? Quo-

tidie enim rogas, vt quoniam mors ventura eſt, bonam mortẽ tibi det Deus: & dicis, Deus auertat à me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam quàm vitam tuã. Mori malè times, & malè viuere non times. Corrige malè viuere, time malè mori. Sed noli timere, non poteſt malè mori qui bene vixerit.
Pſal. 115. 10. Prorſus confirmo, audeo dicere, *Credidi propter quod locutus sũ:* non poteſt malè mori, qui bene vixerit. Iam tu dicis, Nũ multi iuſti naufragio perierunt? Certè non poteſt malè mori, qui bene vixerit. Nũ multos iuſtos gladius peremit hoſtilis? Certè non poteſt malè mori, qui bene vixerit. Num multos iuſtos latrones occiderunt? Num multos iuſtos beſtiæ laniauerunt? Certè non poteſt malè mori, qui bene vixerit. Ego reſpondeo: Hæc enim tibi videtur mala mors naufragio perire? gladio percuti? à beſtiis laniari? mors mala tibi videtur? Nonne has mortes Martyres ſubierunt, quorum natalitia celebramus? Quod genus mortis non ſubierunt? Et tamen ſi Chriſtiani ſumus, ſi in domo diſciplinæ nos eſſe meminimus, vel cùm hîc ſumus, vel cùm hîc audimus, ſi exeuntes: hinc non obliuiſcimur, ſi meminimus quod hîc audimus, nonne Martyres beatificamus? Quære mortes Martyrum. Oculos carnis interroga:
Ibid. 15. malè mortui ſunt. Oculos fidei interroga: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.*

Quicquid ergo eſt quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, ſi eos imitaris. Id age vt bonam vitam habeas: & quæcunque occaſio fuerit vt exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem, nec finem. Nam quaſi bona mors diuitis, in purpura & byſſo: ſed
Luc. 16. 19. mala mors ſitientis, & inter tormenta guttam aquæ deſiderantis. Quaſi mala mors iacentis pauperis ante ianuã diuitis,
* Funera. inter linguas canum, in fame & ſiti micas de menſa deſiderantis. Mala mors, auerſanda mors. * Finem reſpice: Chriſtianus es, fidei oculum intende. Contigit mori inopem illum, & deferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. Quid proderat diuiti ſepulchrum marmoreum, ſitienti apud inferos? quid oberant pauperi panni cum ſanie vlcerum eius, requieſcenti in ſinu Abrahæ? Longè vidit eum requieſcentem, quem contempſerat iacentem. Modò elige mortem. Dic mihi, quis bene mortuus eſt, quis malè? Puto quia meliùs ille pauper, quàm ille

diues. An vis aromatibus sepeliri, & apud inferos sitire? Respondes: Absit à me. Puto quòd hoc dices. Disces ergo bene mori, si didiceris bene viuere. Merces enim bonæ vitæ, æterna est.

QVI discunt, Christiani sunt: qui audiunt & non discunt, quid ad seminantem? Seminantis manum non terret via, non terrent lapides, non spinæ: iactat ille quod suum est. Qui timuerit ne cadat in terram malam, non peruenit ad terram bonam. Et nos dicimus, spargimus semina, iactamus semina. Sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt, sunt qui irrident. Istos si nos timuerimus, nihil habemus seminare, & in messe habemus esurire. Ergo veniat semen ad terram bonam. Scio quòd qui audit & bene audit, deficit & proficit. Deficit iniquitati, proficit veritati. Deficit seculo, proficit Deo.

Cap. XIII. *Qui sint veri Christiani.*

QVIS est enim magister qui docet? Non qualiscunque homo, sed Apostolus. Planè Apostolus, & tamen non Apostolus. *An vultis*, inquit, *experimentum eius accipere qui in me loquitur Christus?* Christus est qui docet: cathedram in cælo habet, vt paulo antè dixi. Schola ipsius in terra est, & schola ipsius corpus ipsius est. Caput docet membra sua, lingua loquitur pedibus suis. Christus est qui docet. Audiamus, timeamus, faciamus. Et ne contemnas ipsum Christum: qui propter te in [a] * carne natus est, pannis mortalitatis circundatus, propter te esuriuit[b] & sitiuit[c], propter te lassatus[d] ad puteū sedit, propter te fatigatus[e] in naui dormiuit, propter te [f] contumelias indignas audiuit; propter te à facie sua [g] sputa hominum non abegit, propter te alapas in faciē accepit; propter te [h] in ligno pependit, propter te [i] animam effudit, propter te in sepulchro positus est [k] Hæc omnia fortè contemnis in Christo? Vis nosse quis sit? Recole Euangelium quod audisti[l], *Ego & Pater vnum sumus.* Conuersi ad Dominum, ipsum deprecemur pro nobis, & pro omni plebe sua astante nobiscum in atriis domus suæ, quam custodire protegeréque dignetur: Per Iesum Christum Filium suum, Dominum nostrum, qui cum eo viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Cap. XIV. *Quis sit verus magister.*

2. Cor. 1. 3.

al. * incarnatus.

a Luc. 2. 7.
b Mat. 4. 2
c Ioā. 19. 28.
d Ioan. 4. 6.
e Mat. 8. 14.
f Ioā 8. 48.
g Mat. 26. 27.
h Luc. 23. 33.
i Ioā. 19. 30.
k Mat. 27. 59. 60.
l Ioā 10. 30.

SANCTVS

AVRELVS AVGVSTINVS

EPISCOPVS

DE CANTICO NOVO, ET DE reditu ad cælestem patriam, ac viæ periculis.



Cap. 1. OMNIS qui baptiſmum Chriſti deſiderat, vitam no-
Quales nobis Christus nouitates attulerit, & quibus vetuſtatibus ſucceſſerit. uam concupiſcit. Tranſeat ergo à vetuſtate, vt per-
ueniat ad nouitatem. Priùs enim fuit teſtamentum
vetus, canticum vetus, homo vetus: nunc autem
teſtamentum nouum, canticum nouum, propter hominem
nouum. Demonſtremus hoc quod dicimus teſtimoniis ſan-
Hier. 31. 31. ctarum ſcripturarum. Hieremias Propheta: *Ecce*, inquit, *dies
veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iuda Teſta-*
Pſal. 143. 9. *mentum nouum.* Dauid quoque Propheta: *Deus canticum no-*
Pſal. 95. 1. *uum cantabo tibi.* Et iterum, *Cantate Domino canticum nouum.*
Col. 3. 9. Apoſtolus autem Paulus, *Exſpoliantes*, inquit, *vos veterem ho-*
2. Cor. 5. 17. *minem, induite nouum.* Et alibi: *Vetera tranſierunt, ecce facta
ſunt [omnia] noua.* Quæ vetera tranſierunt? Quæ facta ſunt
noua? Si adſit ſpiritalis auditor, non ſolùm intelligit, verùm-
etiam videt quæ facta ſunt noua. Si autem carnalis adſit, qui
totum per oculos carnis, nihil per aciem mentis intelligit, ir-
ridens reſpondet: Rogo te, dic quæ facta ſunt noua? Nun-
quid aliud cælum reſpicio quàm antea, aut ſidera in nouum
ſplendorem micantia? Nonne iiſdem curſibus ſol peragit
diem, iiſdémque curriculis luna peragit noctem? Nunquid
mare terminos ſuos finéſque tranſgreſſum eſt, aut terræ facies
immutata, alia inſolita germina procreauit? Nunquid ſicut
ex initio horis duodecim peragitur dies, eiſdémque cremen-
tis æſtatis tempus, quibus detrimentis hyems peragitur? Pro-
genies

genies quoque ipsa mortalium aliis decedentibus, aliis succedentibus terminatos finiunt dies. Cùm ergo omnia sicut ex initio constituta sunt, ita concurrunt suos motus finésque seruantia: quid est quod nobis prædicatur, *Vetera transierunt, ecce facta sunt noua*: Responde, ô Paule, talia de nobis requirenti? & quia minus valeo ad respondendum, te obsecro, responde pro me. Ecce audi Apostolum: Quid quæris, carnalis auditor, per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, vt quod dicitur possis intelligere, *Vetera transierunt, ecce facta sunt noua*. Quæ vetera transierunt, quæ facta sunt noua? *Primus homo*, inquit, *de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*. 1. Cor. 15. 17.
Transiit Adam, homo vetus factus ex limo: venit Christus, Deus homo missus è cælo. Transiit vetustas mentium, accessit nouitas credentium: transiit vita carnalis, successit spiritalis. An parua est hæc nouitas ita demonstrata per hominem Deum: vt moriendo susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet nouitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam? *Vetera transierunt*. Quæ vetera transierunt? Quod eratis filij Adam, filij carnales. Noua accesserunt. Quæ noua? Quòd efficimini filij Dei, filij spiritales. *Vetera transierunt*, terra eratis: *Ecce facta sunt noua*, Cæli iam penè effecti estis: *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei*. Non vobis impossibile videatur, quod cùm sitis terrestres, efficiamini cælestes. De terra non fecit cælum qui de nihilo fecit terram & cælum. Vetera transierunt, lapides colebatis. Noua accesserunt, Deum verum adoratis. Vetera transierunt, transiit mortalitas: Noua accesserunt, promissa est immortalitas. Vetera transierunt, perierat omnis caro per mulierem simul cum vito peccante: Noua accesserunt, reparata est caro sine vito, virgine pariente. Vetera transierunt, transiit regio vetustatis. Noua accesserunt, succedit Hierusalem ciuitas cælestis nouitatis. Ad hanc ciuitatem nouam peruenire cupitis, qui nomina vestra conscribenda dedistis. Psal. 18. 1.

Cap. 11. *Quibus nauium instructionibus ad patriam tendere debemus.*

EIA, fratres mei, ardenter desideremus propriam patriam: peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus, festinemus tamen. Non est quare hîc stare. Nec inuenis in seculo, quod iam possis amare. Ipse enim amor parentum, coniugis, filiorum, facultatum, aut ma-

gnum quibusdam incusserunt laborem, aut magnum pariunt timorem: non est quare hic stare. Melius enim festinando appetimus sempiterna, quam hic remanendo seculi nos apprehendat ruina. Præparemus sitarchias, apprehendamus & ascendamus nauem fidei simul & crucem, nec desit anchora spes nostræ salutis, extendamus funes, diuersas virtutes, vela charitatis colligamus, inuocemus ventum prosperum verbum Dei, exhauriamus sentinam à peccatis, per eleemosynas

al. vt hoc possimus. mundetur conscientia. Non impediatur huius nostri cursus nauigij, operemur manibus * vt possumus. Manibus suis sen-

Psal. 76. 3. tinam exhauriebat qui dicebat; *manibus meis coram eo nocte, & non sum deceptus.* Non negligamus nostra peccata: minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minatúrque naufragium. Humor autem per rimas influens & in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem

al. non. facit. Ergo exhauriatur sentina, * ne negligatur misericor-

Tob. 4. 11. dia, quia *eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Assit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus *alleluia:* vt læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, seculum, scilicet, cuius fluctus ac turbines sentimus inimicas seculi potestates. In Deo sperantes multi iam sancti hos fluctus spreuerunt, multi calcauerunt multi super eius aquas ambulantes securi ad patriam peruenerunt. Sed exurgit ventus validus & magna tempestas, sua cuiusque cupiditas. Ti-

Mat. 14. 30. tubat fides in mari, clamet in te Petrus, Domine pereo: dabit manum mergenti, nec sinit perire ille qui propter nos digna-

1. Tim. 6. 8. tus est super aquas ambulare. Vide Apostolum Paulum, hoc nauigium non solùm demonstrantem, verùm etiam ascendentem, & quàm plurimos inuitantem. Quando dicebat, *Habentes victum & tegumentum, his contenti simus:* quid aliud quàm competentem sitarchiam imponendam esse monstrabat?

Gal. 6. 14. Quando dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mun-*

Col. 3. 18. *do,* nauem ascendebat. Quando dicebat, *Induite vos sicut electi Dei, benignitate, humilitate, longanimitate, mansuetudine:*

1. Cor. 13. 13. quid aliud quàm funes extendebat: quando dicebat, *Manet*

Col. 3. 16. *fides, spes, charitas, maior horum charitas?* vela colligebat, quan-

do dicebat, *Verbum Dei habitet in vobis abundanter*: ventum Gal. 6.10.
prosperum inuocabat, quando dicebat, *Infatigabiles itaque* 1. Thes. 4.11.
dum tempus habemus operemur bonum ad omnes; & operantes propriis manibus nostris: quid aliud quàm sentinam exhauriri præcipiebat, quando dicebat, *Gratia salui facti estis*: tutelam exorabat, quando dicebat, *In psalmis & hymnis cantantes in cordibus vestris Domino*: celeuma sanctum docebat, quando dicebat, *Spe salui facti sumus*; anchoram in cordibus credentium figebat. Quando dicebat, *Hierusalem quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra*: ipsam patriam demonstrabat. quando dicebat, *Vbi est mors contentio tua, Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*; non adhuc in mari periclitabatur, sed iam in propria patria lætabatur. O optime gubernator, ô pulcherrime magister & doctor, docuisti & fecisti; & ideò celeriter peruenisti, quia quę docuisti, prior ipse fecisti.

Eph. 2.8. Eph. 5.19. Rom. 8.14. Galat. 4.26. 1. Cor. 15.55.

Si quis fortè vt assolet refugit nauigium, & insolitos fluctus maris horrescit, desiderátque iter conficere; quo etsi tardiùs ad patriam valeat peruenire, demonstrabo viam, immo ipsa se demonstrabat via. Ecce in Euangelio clamat Saluator: *Ego sum via*. Habes viam, ambula sollicitus: tamen doma iumentum tuum, carnem tuam, ipsi enim insidet anima tua. Quomodò si in hac via mortali iumento insideres, quod te gestiendo vellet præcipitare: nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares quod fræno non posses? Caro nostra iumentum nostrum est, iter agimus in Hierusalem. Plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere. Tale ergo iumentum cohibeamus ieiuniis. Vide eum gubernatorem eundémque viatorem Apostolum Paulū, vide illum iumentum suum domantem: *In fame*, inquit, *& siti, in ieiunijs sæpiùs castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Ita ergo & tu qui ambulare desideras, doma carnem tuam, & ambula. Ambulas enim si amas. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus.

Cap. III. *De via pedestri ad patriā nauigare nolentibus, & iumento opportuno.* Ioan. 14. 6. 2. Cor. 11.27. 1. Cor. 9.27.

Via ergo ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt hominum genera quæ odit: remanentem, retrò redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis, Domino adiuuante vindicetur & defendatur gressus noster. Iam verò cùm ambulantes sumus, alius tardiùs ambulat, alius celeriùs: ambo

Cap. IV. *De ambulātium sextuplici genere.*

tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retrò redeuntes reuocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via: qui fortè à meliore proposito declinat, ad id quod deterius reliquerat, reuersus est retrò, qui fidem deserit, à via errauit. Cum tardis sit nobis & cum celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen. Quis est qui non proficit? Qui se putauerit esse sapientem, qui dixerit, sufficit mihi quod sum, qui non attenderit

Phil. 3. 18. eum qui dicit, *Quæ retrò oblitus, in ea quæ ante sunt, extentus secundùm intentionem sequor ad palmam vocationis Dei in Christo Iesu.* Currentem se dixit, sequentem se dixit; non remansit, non retrospexit; absit vt errauerit, quia viã ipse docebat, qui & tenebat & ostendebat. Celeritatem autem eius vt imita-

1. Cor. 11. 1. remur, ait, *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Arbitramur ergo vos, dilectissimi, in via nobiscum ambulare: si tardi sumus, præuenite nos, non inuidemus, quærimus quod sequamur. Si autem nos putatis celeriter ingredi, currite nobiscum: vnum est ad quod omnes festinamus, & qui tardiùs, & qui celeriùs ambulamus. Qui sunt & retrò redeuntes? Qui ex continentia reuertuntur in immunditiam: qui ex sancto & singulari bono proposito virginitatis diuertuntur in turpitudines voluptatis, & corrupta mente corrumpunt simul & car-

2. Pet. 2. 21. Gen. 19. nem. Hos increpat Apostolus Petrus dicens: *Melius illis erat non cognoscere viam salutis, quàm cognoscentes retrò respicere.* O malum, retrò respicere! Vxor enim Loth, quæ liberata est à Sodomis, contra præceptum retrò aspexit, quod euaserat, perdidit. Nec immeritò in statuam salis repente conuersa est, nisi vt fatuos suo etiam exemplo condiret. Qui sunt & aberrantes? Omnes hæretici, qui relicta veritatis via errando per desertum latrocinantur, & animas captant in peccatis, præpediúntque ne quis ad patriam valeat peruenire: effecti lupi semitarij induti ouina pelle, cùm sint intus lupi rapaces, prædicantes Christum viam, & qui eos sequuntur ducentes ad mortem.

Cap. v. *De discretione falsæ prædicationis à vera.* HIC si aliquis dicat, Quid ego faciam non inuenio. Ecce homo Christum viam prædicat, Christi se dicit esse discipulum, veritatem se dicit annunciare, quare non sequar talia prædicantem? Respondeo: Quia aliud eius lingua habet,

aliud conſcientia. Vnde noui, inquis? nunquid ego conſcientias diſcutere poſſum? Chriſtum ab eo audio, quod audio hoc credo, hoc teneo. Non te ſeducat filius falſitatis, ſi filius es veritatis. Diſce iam, Chriſtiane, qui Chriſtum deſideras & audire & videre. Si quis tibi Chriſtum prædicat, attende, & conſidera, qualem prædicet, vbi prædicet. Chriſtus enim *veritas* eſt, per Scripturas ſanctas prædicatur, non in angulis, non occultè, ſed palam, publicè. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; hoc eſt, in manifeſto collocauit Eccleſiam ſuam. Iam hîc reſpice illum qui tibi Chriſtum prædicat, dicat qualem Chriſtum prædicet. Ioan. 4. 6. Pſal. 18. 5.

Ecce hæreticus Manichæus, qui per ſuam doctrinam promittit introducere te in veritatem, ipſum Chriſtum dicit eſſe fallacem. Non habuit, inquit, verum corpus: phantaſma fuit, ſpiritus fuit. Et hoc in illo fuiſſe negat nequiſſimus Manichæus. O peſſime hæretice Manichæe, ſi credere non vis veritatem dicentem diſcipulis ſuis: *Palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habentem*: ſi credere non vis, vt dixi, veritati, Iudæo crede crucifigenti. Nam cùm tu dicis, Chriſtus Deus fuit, non homo: Iudæus dicit, non fuit Deus, ſed homo. Catholica vtroſque conuincens, ego ait, verum teneo, quòd Chriſtus & Deus eſt & homo. Tu autem, Manichæe, vnde probas Chriſtum ſpiritum fuiſſe? Spiritus alapas accepit, ſpiritus ſpineam coronam portauit, ſpiritus ſibi crucem baiulauit? Si ſpiritus fuit, cuius veſtimenta milites diuiſerunt? Si ſpiritus fuit, quomodò cùm traderet ſpiritum, corpus eius propè dimidium diem exanime pependit in cruce? Si ſpiritus fuit, quomodò latus eius perforatum eſt lancea? Quomodò ſuſceptus eſt à Ioſeph ſepeliendus, quomodò ſepulchro eſt conditus? Omnia iſta ſpiritus pati non poteſt. Sicut de eo antea per Prophetas prædictum eſt, ita & factum eſt. Erras tu nimis, falſitas, in omnibus te ſuperat veritas. Ergone, hæretice, vt doces, veritas mentita eſt, & tu verum prædicas? Et vbi hoc prædicas? In abſconſo, in occulto. Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica ſit doctrina tua. Demonſtra mihi Eccleſiam tuam. Sed nouimus quid agatis & decepti & deceptores. Apoſtolus Paulus vos prodidit dicens: *Quæ enim occultè fiunt ab eis, turpe eſt etiam dicere.*

Cap. VI. De errore Manichæorũ, & eius improbitate. Luc. 24. 39. Eph. 5. 12.

Nobis est turpe dicere, sed vos non quiescitis agere. Manifesta est ignominia vestra, nudata est turpitudo vestra. Ex confessione simul & scriptura vestra, omnibus palam facta est turpis doctrina vestra: vtinam aliquando corrigantur corda vestra.

Cap. VII. *De errore Arianorũ, & eorum improbitate.* ALII hæretici Ariani ipsam viam Christum, per quam itur ad patrem, secundùm diuinitatem nolunt esse æqualem patri. Et cùm ipse dicat, *Ego & Pater vnum sumus*: illi dicunt, Si missus est Christus, minor est: maior est vtique qui mittit (Ioan. 10. 30. Ioan. 14. 10.) illo qui mittitur. Hæc argumentatio est humana, non authoritas diuina. Alia est operatio Trinitatis, quam tu, hæretice, non assequeris, quia carnaliter sapis. Mundum enim cor non habes nec ad Deum. Christus enim in quantum hominem suscepit, missus dicitur: in quantum Deus est, æqualis est Patri. Nam quo eum Pater mitteret, vbi ipse cum Filio non esset? Aut quò Filius venisset, vbi non simul cum Patre esset ille qui dicit, *Ego in Patre, & Pater in me est*: Et, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*: & qui per Prophetam dicit, *Cælum & terram ego impleo*, & de quo Salomon dicit, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter?* (Ioan 14. 10. Ibid. 9. Hier. 23. 24. Sap. 8. 1.) Attingit vbique propter suam munditiam. Sed tu, hæretice, ideò dicis maiorem esse qui mittit, minorem qui mittitur: quia temporum spatia cogitas. Sed multùm erras, illi assignare tempora per quem facta sunt tempora. Si patrem confiteris Deum, Deum Filium, æternúmque credis & Patrem & Filium: noli minorem facere filium in eo quod fecit te, quia ideò minor factus est, vt redimeret te. Sed ipse, inquis, dixit, *Pater maior me est*. Intellige secundùm susceptum hominem, & depones errorem. (Ioan. 14. 28.) Secundum hoc ait, *Pater maior me est*, secundum quod de eo ait Propheta, *Minorasti eum paulò minus ab Angelis*. (Psal. 8. 6.) Tu autem dic, secundum quid eum minorem asseris? Si secundum potestatem, *Pater non iudicat quenquam, sed Filius*. (Ioan. 5. 22.) Si secundùm opera; *Omnia per filium facta sunt*. (Ioan 1. 3.) Si secundùm tempus hoc credis de Deo tuo, quia sicut tu maior es filio tuo, ita * ipse filio suo. (al. * ille.) Auertat hoc Deus ab auribus fidelium. Indigna sunt ista credere de Deo. Si enim Filius secundùm deitatem Dei verbum est, sicut Euangelista Ioannes narrat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &*

Deus erat Verbum; fuit aliquod tempus quando Pater fuit sine verbo, aut fuit aliquod principium ante ipsum principium, quoniam ipse filius dixit se esse principium? Interrogantibus quippe Iudæis, *Tu quis es?* Respondit, *Principium*. Ergo & illud quod in Genesi scriptum est, *In principio fecit Deus cælum & terram*, intelligitur in filio, qui est principium. Sic ergo semper Deus pater, semper Deus filius: quia nec ille aliquando non pater, nec iste aliquando non fuit filius. Non enim vt pater generaret filium, minuit seipsum: sed ita genuit de se alterum qualem se, vt totus maneret in se. Spiritus autem sanctus non præcedit vnde procedit, sed integer de integro: nec minuit eum procedendo, nec auget hærendo. Et hæc tria vnus Deus, de quo Propheta dicit, *Tu es Deus solus magnus*. Tu autem, hæretice, compone gradus, separa Trinitatem: fac patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum sequentem.

Ioan. 1. 1.
Ioan. 8. 25.
Gen. 1. 1.
Psal. 85. 10.

Sed & iam de filio quòd æqualis sit patri, aliqua diximus, & quod occurrit, diximus: audi & de Spiritu sancto, quem minorem vis esse patre & filio. Nempe Spiritus sanctus ipse spiritus est Dei. Audi & ipse quòd simul sit cum patre & filio: & vbique sit totus. *Deus*, inquit Ioannes Apostolus, *spiritus est*. Et ipse filius per Prophetam ait, *Spiritus Domini super me*: non ait post me, vt sequentem eum faceret, vel minorem: sed ait, *super me*. Vnde & Angelus Gabriel ad Mariam, *Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet in te*. Dauid quoque Propheta, *Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in abyssum, tu ades*. Ergo si spiritus Dei & in cælo & in terra & in inferno adest cum illo qui dicit: *Cælum & terram ego impleo*, ergo Trinitas vnus est Deus. Sed audi adhuc, hæretice, vnde conuincaris; quòd Trinitas vnus sit Deus. In ipso principio libri Geneseos, quod diximus scriptum est. *In principio fecit Deus cælum & terram*. Ecce Deus pater, & principium filius secundùm quod se dixit esse principium. Si autem & Spiritum sanctum quæris, *Spiritus*, inquit, *Dei superferebatur super aquas*. Cùm ergo in consequentibus legitur, *Dixit Deus, Fiat lux*: &, Finxit Deus de terra: &, Fecit Deus: hoc demonstratur quòd inseparabilia sunt opera Trinitatis. Euidentiùs hoc in consequentibus demonstratur.

Ioan. 4. 24.
Isa 61. 1.
Luc. 1. 35.
Psal. 138. 7.
Hier. 23. 24.
Gen. 1. 1.

Nam cùm ventum esset ad id vt homo formaretur, ait scriptura: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non dixit, faciam ad imaginem & similitudinem meam, vt solus pater intelligeretur: nec dixit fiat, vt filio veluti iuberet facere, per quem facta sunt omnia: nec dictum est, fecerunt, vt singuli singula in eo conferrent opera sua: sed cùm diceretur, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, vt Trinitas vnus Deus intelligeretur, statim subiunctum est, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem suam fecit illum.* Ecce per Scripturas sanctas Trinitas vnus Deus prædicatur, vt Arianus conuictus aliquando confundatur. Sed audi adhuc, hæretice, Apostolum Paulum conuincentem te & docentem me, audi quid de Deo

Phil.2.6. filio dicat: *Cùm*, inquit, *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ille eum prædicat æqualem, tu eum asseris minorem. Cui credendum est, Apostolo an tibi? Tibi, quem totus orbis abiecit, an illi, quem totus mundus suscepit? Cedat igitur vel serò conuicta peruersitas tua, quia iam totum mundum possedit Euangelica & Apostolica doctrina.

Cap. VIII. De errore Pelagianorum & eius improbitate. ALIA quoque spelunca latronum non bonorum, hæreticorum, Pelagianorum, & demonstranda est & cauenda: hæc est enim eorum peruersa doctrina. Cùm scriptura dicat, *Maledictus homo qui spem suam ponit in homine*; &, *Qui gloriatur, in*

Hier.17.5. *Domino glorietur*: isti contrà hoc maledictum hominem non incurrere promittunt, si de se præsumpserit, vel in seipso gloriatus fuerit. Sed quid contra hos multa dicamus? Hoc pro-

Gen.3.5. misit & pater illorum diabolus illi primo homini: *Non morte*, inquit, *morieris, eritis sicut dij.* Deum contempsit, serpenti credidit, & quod acceperat perdidit. Si tunc ille homo non fuit cautus, nunc homo caueat vel expertus. Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuuetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus

Eccl.15.17. ante eum, sicut scriptura dicit, *Ignem & aquam: ad quod volueris*, inquit, *porrige manum tuam.* Elegit ignem, reliquit aquam, videte iustum iudicem. Quod elegit homo, liber accepit: malum

lum voluit, hoc illum secutum est. Videte rursum illum iustum iudicem misericordiam facientem. Cùm enim videret, quòd homo totam stirpem suam, malè vsus libero voluntatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset, ipse non rogatus de cælo descendit, & hominem superbia pereuntem, sua humilitate sanauit: errantes perduxit ad viam, peregrinos perducit ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se, sed in eo glorietur, qui fecit se.

IAM verò cæteræ sectæ hæreticorum Christi viam prædicantium, sed longè à via errantium, vna voce ipsius veræ viæ conuincuntur atque confunduntur dicentis: *Multi mihi dicent in illo die, Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc dicam eis, Non noui vos: Recedite à me omnes qui operati estis iniquitatem.* Ideò operati estis iniquitatem, quia Ecclesiæ meæ perturbastis vnitatem. Cap. IX. Matt. 7, 22.

VOS autem fidelia germina sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ per vniuersum mundum diffusæ, fugite omnes hæreses. *Si quis aliud euangelizauerit vobis, anathema sit.* Rectos cursus facite pedibus vestris: non declinetis nec ad dexteram præsumendo, nec ad sinistram desperando. Currite velociter rectam viam, ipsa enim vos perducit ad patriam, ad patriam illam cuius ciues Angeli sunt, cuius templum Deus, cuius splendor Filius, cuius charitas Spiritus sanctus, ciuitas sancta, ciuitas beata, ciuitas vbi nullus perit amicus, quò nullus admittitur inimicus: vbi nullus moritur, quia nullus oritur, nullus infirmatur, quia incorrupta salute lætatur. Cùm illuc venerimus, non ibi esuriemus aut sitiemus: Visio ipsa satietas nostra erit. Non ibi dormiemus, quia non ibi laborabimus. Nulla cuiuslibet rei necessaria erit refectio, vbi nulla erit defectio. Viuemus, regnabimus, lætabimur. Si tantum delectat cùm de ea loquimur, quid erit & videre? Videre Deum, viuere cum Deo, viuere de Deo. Vita enim erit nostra laudare Deum, & sine defectu amare. *Beati* enim, ait Propheta, *qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Fratres dilectissimi, si cùm nauigantibus laborauimus, & viatoribus ducatum præbuimus, si deuias fauces latronum, hoc est hæreticorum sollicitè demonstrauimus, si Cap. X. *Exhortatio ad fidei constantiam.* Psal. 83. 5.

ipſam patriam cæleſtem declaratam atque demonſtratam iam cernitis oculis cordis veſtri: reddite nobis fructum laboris noſtri. Reddite, fratres, reddite, quod exigimus à vobis. Talis eſt enim merces noſtra, quam à vobis exigimus, vt nec nos pudeat petere, nec vos pigeat erogare. Hoc quod exigimus, erogando cumulabitis magis quàm detrimentum patiamini, ſi non erogaueritis. Quæ eſt ergo noſtra merces? Non quærimus aurum veſtrum, non argentum veſtrum, non nummum veſtrum, nec quicquam de rebus veſtris: ſed merces noſtra eſt, vt in illo ſancto fonte adiuuetis nos orationibus veſtris.



SANCTVS
AVRELVS AVGVSTINVS
DE CATACLYSMO, SERMO.



QVONIAM in proximo eſt dies redemptionis veſtræ, percipite dilectiſſimi ea quæ vos erudiant, atque corda veſtra enutriant, erigant, corroborent ad timorem Dei: & feruor iſte tanti amoris non pigreſcat in cordibus veſtris. Nec putet quis tantùm eſſe Chriſtianum quòd his imbuitur myſteriis, quòd renaſcitur ex aqua & ſpiritu, & poſtmodum dimittat ſe voluptatibus variis; ſecurúſque effectus quòd Sacramento baptiſmatis munierit animam ſuam, non eam cuſtodiat contra verſutias inimici, immo & ipſe quantum poteſt cuſtodiat & cuſtodiendam petat, ne tempeſtatibus huius mundi procelliſque depereat. Baptizatus eſt quis, nauis eſt inſtaurata, ſubuncta, velificata, miſſa in mare, indiget gubernaculo, quouſque ad portum deſideratum perueniat. Mare hoc ſeculum ſcilicet, non ſolùm tempeſtatibus ſcopuliſque periculoſum eſt, verumetiam beſtiis cupiditatum inſidiantibus abundans. Omni ſolicitudine, omni cura, omni induſtria excitati iam vigilent nautæ, frequenter etiam Chriſtus inuocetur gubernator: vt nauem tantis periculis ereptam, ad portum ſecuritatis ipſe perducat. Baptizatus es, ſignatus es regio charactere, cœpiſti conſequi annonam de menſa Regis tui. Noli eſſe deſertor, nec vt miles delicatus diffluas per voluptates, & te hoſtis diabolus inermem diffluentémque inueniat: ſed vt fortis miles quicquid potes age in hoc bello, vt virtus tua Chriſtus non ſolùm te tueatur, verumetiam alij proficiant ad ſalutem. Poſtula à Rege tuo arma ſpiritalia. Bellum tibi, inquit, indicitur, in quo eniteſcas pugnando, vt ad plenam pacem triumphando

Cap. 1. De bello nouiter baptizato indicto.

perueniias. Non contra vnum dimicabis, multi enim contra te exient aduersarij: pugnabis enim cum vitiis, &c, vt beatus Martyr Cyprianus ait, si depresseris auaritiam, exurget libido, quòd & si libidinem superabis, succedet ambitio, & si ambitio à te fuerit deuicta, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, superbia, ebriositas, cum cæteris suis pestiferis sociis in vnum contra te dimicantia constituent castra.

Cap. II. De adiutorio Christiani militis. Psal. 26. 3.

SED non metuas, habes quod agas. Inuoca Dominum virtutum, induat te ex alto virtute, vt illam proferas vocem. *Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum: & si exurgat in me prælium, in illo ego sperabo.* In quo nisi in Domino virtutum, qui militem suum ita spectat dimicantem, vt adiuuet laborantem? Baptizatus es, mundatus es, vnctus es oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum: noli post modum malè securus esse. Ad agonem produceris, contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arena huius mundi; vtræque partes, Christi scilicet & diaboli, infinita populi multitudo te spectat luctantem, & quisnam vincat vide omnem turbam nimia intentione pendentem Non de te triumphet pars diaboli. Si vis vincere, noli de te præsumere: sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat vt victoriæ feras palmam. Vis vincere? Caput priùs contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? manus tuæ fortes inueniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non nutent vestigia tua frequentando spectacula & deserendo Ecclesiam. Sed vt hanc etiam in tam magno agone & tam grandi luctamine possis implere victoriam, *mittat tibi Dominus auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.*

Psal. 19. 3.

Cap. III. De baptismi mysterio.

ECCE dilectissimi, venturi estis ad fontem aquæ. Non dicatis in cordibus vestris, hoc est totum quod pro magno desiderabamus: Fons iste visibilis, similitudo est æterni fontis. Renascemini ex aqua & spiritu. Aqua illa non solùm corporis sordes mundat, sed animam à peccatis liberat. Debetis autem nosse cur virtus illius aquæ & animæ prosit & corpori. Non enim omnis aqua mundat: sanctificatur hæc per consecrationem verbi. Tolle verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum? Virtus

verbi per aquam mundauit nos, quia super aquas ambulauit. Vt autem à tempestate huius seculi liberaret vos, videte potentiam verbi Dei quemadmodum dominetur cunctæ creaturæ suæ. quod dicturus sum nostis. In Euangelio legitur. Cùm *quarta noctis vigilia veniret Dominus Iesus ad discipulos suos ambulans super aquas maris*, & inueniret eos piscantes quos iam fecerat hominum piscatores, perterriti discipuli putauerunt se phantasma videre. Accessit Iesus, & ait illis, *Nolite timere, ego sum*. Tunc vnus illorum Petrus ille præsumptor, & postea negator, pòst verò confessor & amator: *Si tu es*, inquit, *Domine; iube me venire ad te super aquas*. Et Dominus, *Veni*, inquit. Descendit Petrus & cœpit ambulare super mare plenus fiducia. Dum ambulat, trepidauit infirmitas, sed statim subuenit diuinitas. *Cœpit mergi, & exclamauit, Domine pereo*. Porrexit manum Dominus, erexit mergentem, confirmauit diffidentem, & ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Videtis dilectissimi, quantum adiuuet fides, & quantum deprimat infidelitas. Si quis enim veniens ad aquas baptismi, fide plenus est, subleuatur: si quis infidelis est, mergitur. Sed porrigat manum Dominus etiam infidelibus mergentibus, & plenam fidem operetur in cordibus. Audite adhuc, aquæ Sacramentum quid in vobis operabitur. Proponam figuram, vt ex ea vobis veritas elucescat. Matt.14.25.

Cùm Ægyptij duris operibus popu'um premerent Hebræum, clamor factus est populi in auribus Dei: & deprecati sunt vt eos liberaret à dominatu gentis pessimæ. Missus est Moyses, qui eos ex Ægypti educeret seruitute. Apud Pharaonem principem Ægyptiorum fidelissimus Dei famulus allegat Imperatoris sui iussionem, & quid rex omnium gentium præceperit, auribus durissimi regis insinuat. * Obturat Pharao cor suum, * nec scire se dicit Deum: atque eius ministros repudians, grauioribus pœnis affligit populum. Ex maiori angustia populi maior clamor exurgit. Suscipit certamen famulus Dei Moyses, congreditur cum Pharaone, nullo telo, nullo gladio, nulla visibilia indutus arma, sed munitus potestate diuina: inferuntur decem plagæ in Ægypto, & vindex ira in populum contumacem surgit, vt ex minutissimis animantibus, vermiculis, ranis & locustis

Exo.1.14. Exo.3.7. al. * obdurat. al. * nescire.

ceruix cadetet superborum: in quibus plagis vltima, mors primogenitorum Ægyptiorum omnium facta est, vt suos iustè perderent, qui alienos iniustè detinebant. Dimittit populum Pharao, non voluntate, sed nimia necessitate constrictus. Pergit populus erutus ad mare rubrum festinans, vt per aquas saluarentur qui à pessimo hoste liberabantur. Sequuntur Ægyptij, imminent populo fugienti: vident supra se Israëlitæ hostes & inimicos suos, expectant gladium. Mors in oculis, timor & tremor in manibus singulorum, ne in fauces caderent persequentium. Exurgit Moyses famulus Dei portans virgam quam à Domino acceperat, & per quam iam multa signa fecerat: percussit mare, & diuisum est. Vbi est illa potentia, non numinum, sed dæmoniorum? Vbi est vana superstitio Paganorum? Nunquid vt mare diuideretur, ille Neptunus est inuocatus, quem regem maris esse volunt, qui regem verum Deum suum agnoscere nolunt? Virga extensa manu aquas percutit Moyses, & statim cogitur fluctus in cumulum, & vnda in semetipsa repressa curuatur: soliditatem recipit liquor, & solum maris arescit in pulueres. Ingressi sunt alij saluandi, alij damnandi. Vnum elementum aquarum authore totius creatore iubente iudicauit vtrosque, separauit enim pios ab impiis. Illos abluit, istos obruit; illos mundauit, istos occidit. Moyses figuram habuit Domini Christi, quoniam dux fuit populi. In virga agnoscite crucem, in mari rubro agnoscite baptismum Christi sanguine purpuratum. Regem Ægyptiorum populósque eius, authorem peccatorum diabolum cum omnibus ministris eius. Sæuit diabolus, quando nos videt per aquam baptismi à sua oppressione liberari. Exclamate ad Moysem vestrum Dominum Christum, & virga crucis percutiat mare baptismi, reuertatur aqua & operiat Ægyptios: vt quemadmodum nullus remansit Ægyptiorum, nihil remaneat etiam vestrorum peccatorum. Totũ mundet, qui totum fecit: reparet perdita, qui creauit omnia integra: extinguat Pharaonẽ diabolũ mortis authorem, & suum populum liberet per aquam salutarem.

Cap. IV. *De mysteriis paschalibus in baptismo*

AVDISTIS, dilectissimi, figuræ illæ quomodò transierunt ad speciem veritatis: illud superest, vt noueritis quemadmodum celebrauerit Pascha. Liberatus populus ex Ægypto,

baptizatus, vt ait Apostolus, in nube & in mari rubro, acceperunt præceptum Domini per Moysen, vt in occisione agni celebrarent Pascha: ex cuius sanguine postes domus suæ vnusquisque liniret, nec timerent Angelum vastatorem, qui signum sanguinis agni occisi in suæ fronte domus haberent. *Os*, inquit, dictum est, *non comminuetis ex eo, nec relinquetis quicquam in mane, cum picridijs & azymis comedetis agnum.* Fecerunt quod præceptum est filij Israël. Demonstra & tu Israël spiritalis, fili Abrahæ secundùm fidem, non secundùm carnem: demonstra & tu quomodò celebras Pascha, habes agnum occisum, demonstra. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Lini sanguine eius postes domus tuæ, demonstra & dic: Ecce crux sanguinis Christi in frontibus est pudoris nostri. Dic cum Paulo, *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Os non comminuetis ex eo*, dictum est. Impletum est hoc in ipsa Domini passione, ipsius sancti agni immolatione, quando crucifixus cum duobus latronibus in medio pendebat, ipsa summa iustitia liberans vnum confitentem, alium puniens blasphemantem. Ita factæ sunt tres cruces, tres causæ. Vnus latronum Christo insultabat, alter sua merita confessus Christi se misericordiæ commendabat: crux Christi in medio non fuit supplicium, sed tribunal. Mox vt peregit omnia quæ de se erant scripta, accepto felle & aceto, propter illud quod prædictum erat, *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: inclinato capite tradidit spiritum.* Venerunt milites, fregerunt crura latronibus in cruce pendentibus: *ad Iesum autem cum venissent, non fregerunt eius crura: vt impleretur*, ait Euangelista, *quod scriptum est, Os non comminuetis ex eo. Sed vnus ex militibus latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina Sacramenta. Percussit latus lancea persecutor, & fudit pretium redemptor. Hic sanguis inebriat mentem, vt amorem obliuiscatur mundi. Hæc aqua mundat animam, vt corpus sordibus careat diaboli.

complendis. 1. Cor. 10. 1. Exo. 12. 46. Ioann. 1. 29. Gal. 6. 14. Exo. 12. 46. Num. 9. 12. Ioan. 19. 36. Luc. 23. 39. Psal. 68. 22. Ioan. 19. 36.

Nec relinquetis ex eo quicquam vsque in mane. Hoc nunc agitur: Comeditur enim agnus per noctem huius seculi, vt cùm mane illud venerit quod vesperum non habebit, non iam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnum quem

quotidie immolamus, comedimus, & cuius sanguinem bibimus, inueniamus illic eum sacerdotem perfectum, quem constat hîc pro nostra salute occisum. Quæ sunt hæ picridiæ, olera amaritudinis, quæ comedit Israël spiritalis, nisi vox illa amara ad tempus sanctorum Martyrum emissa per sanctum

Psal. 79. 6. 2. Cor. 4. 8. Dauid ac dicentium, *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in mensura*, & per Apostolum Paulum, *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur?* Demonstra & azyma, sancte Paule, ex Israëlita carnali spiritalis effectus: Celebrasti enim Pascha cum populo vetere, & quemadmodum nouus populus figuras in veritatem conuerteret, tu docuisti, tu demonstrasti. Ostende ergo azyma conspersionem nouam. *Non in fermento*, inquit, *veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* O agne occise, ô Christe sancte pro nobis crucifixe, qui vt lapsa reparares, in cruce pependisti.

1. Cor. 5. 8.

Cap. v. *De hæreticorum deuoratione per Ecclesiam Christi sanam doctrinam, exemplo virgæ Aarô. Magorum virgas deglutientis.*

IPSA est illa virga regni tui, crux ipsa, inquam, qua virtus in infirmitate perficitur, ipsa illa virga crux ipsa, illa virga quæ floruit ex radice Iesse, illa ipsa virga quam portabat Moyses, quæ conuersa in serpentem glutiit magorum serpentes: doctrina Christi diffusa per omnes gentes, hæreticos superans dementes. In illo enim populo, fratres, in quo multa signa faciebat Moyses per virgam, exurrexerunt magi Pharaonis, facientes & ipsi prodigia contra famulum Dei Moysen. Sed ad hoc quædam mira facere permissi sunt, vt mirabiliùs vincerentur. Magi Pharaonis quid aliud significabant, nisi omnes hæreticos ministros diaboli, qui sub nomine Christi deuorare cupiunt populum Christi? Scatent nunc hæreses in hanc terram tanquam serpentes magorum, quos deuorauit & deuorat ille serpens exaltatus in ligno. Sed quoniam non est temporis ire per multos, singulorum capita conterantur, quomodò exurgunt, sic deuorentur. Fuit hîc, vt nostis, dilectissimi, viperea doctrina Donatistarum: contrita est, consumpta est. Mox Maximinianistarum serpentina fraus pullulauit, contrita est, consumpta est: Manichæorum venenum aspidis surrepserat, contritum est, consumptum est. Pelagianorum nouum dogma à ministris diaboli tanquam à Magis Pharaonis excitatum, illi nostro serpenti certamen indixit:

dixit: conteritur, consumitur. Cùm tot serpentum capita Catholica doctrina contriuerit, dissipauerit, consumpserit, ecce nobis vnus anguis Arianus olim mortuus insultat: caput erigit, veluti viuum se demonstrare conatur, quem iam olim constat occisum. Redi, Moyses noster, redi virga, redi serpens Christe sancte, æqualem potestatem cum Patre habens: redi, contere capita draconum super aquas: confringe caput draconis magni, viuum se profitentis, sed veram vitam non habentis. Dic tu quid es, quoniam ille aliud docet quàm es. Dic, dic, audiamus vnde hæreticos conuincamus. Audite quid dicat: *Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Ioan. 14. 9. Secundùm humanitatem via, secundùm diuinitatem veritas & vita. Tu autem, hæretice Ariane, qui minorem vis esse in diuinitate vitam & veritatem, sequitur vt non per eum venias ad patrem. Sed adhuc Domine Iesu contere caput draconis, dic quid sis cum patre, te audiamus docentem, non hæreticum blasphemantem. Dic quid sis cum patre: *Ego*, inquit, *& Pater vnum sumus.* Ioan. 10. 30. Dic adhuc: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ioan. 14. 10. Adhuc dic, *Qui me videt, videt & Patrem.* Credis iam, hæretice, tantæ authoritati? An ipsius testimonium de seipso non admittis, sed alios de eo testes requiris. Ecce introducuntur aduersum te, dicant, conuinceris, refutaris, & legis laqueis irretiris. Dic, testis Dei Paule, qui vsque ad sanguinem pro isto testimonio accessisti, & ne falsæ doctrinæ succumberes, animam posuisti. Dic, audiat qui conuinci formidat, conuincatur qui nec conuictus mutatur. *Singuli quique*, ait, *hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Phil. 2. 5. Audis æqualem, audis formam Dei: & tu audes dicere minorem Filium Dei? Veniat & alius testis, vt in duobus vel tribus confirmetur æquitas veritatis. Dic & tu sancte Petre, quid tibi reuelauerit, *non caro & sanguis, sed Pater cælestis. Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui.* Mat. 16. 16. Et in Epistola sua ad gentes secunda: *Notam facimus vobis*, inquit, *Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiam, & magnitudinem.* 2. Pet. 1. 16. Audis virtutem, audis magnitudinem, audis præscientiam. In quo, hæretice, Christum dicis esse minorem? Sed audi adhuc quid aduersum te hic testis & de Filio & de Spiritu sancto dicat: *Non vo-*

luntate humana allata est, inquit, *prophetia: sed Spiritu sancto acti, locuti sunt homines Dei.*

Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces: qui subinducent sectas perditionis, & qui emit eos, dominatorem abnegantes. Vides te validis testimoniis & demonstrari & conuinci. Negantes, inquit, dominatorem esse qui emit eos. Quem negas dominatorem, nisi Filium quem dicis esse minorem? Et quis est qui vos emit, nisi qui vos suo sanguine redemit? Sed ingrediatur & tertius testis, vt tres vnum verum testimonium dicant vni Trinitati & Trinæ diuinitati. Dic & tu, sancte Ioannes, qui super pectus Saluatoris discumbebas, & videbas super cælestia mirabilia verbum Domini: dic & tu, inquam, quid noueris Filium Dei. *In principio,* inquit, *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Et in Epistola sua. *Scimus,* inquit, *quoniam Filius Dei venit: & dedit nobis intellectum. vt sciamus quid verum sit, vt simus in vero Filio eius; Hic est* enim *verus Deus & vita æterna.* Tu autem minorem dicendo Filium, qui est Deus verus, non habens vitam æternam. Sed ad confutandam contumaciam peruersam hæresis, ad deglutiendum te serpens magicè factus, non à veritate susceptus, ipse pater testimonium dicat de Filio: vt nihil ampliùs quæras, nihil ampliùs credas. Per Prophetam, inquit, *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Principium Pater, principium Filius: ergo Pater & Filius principium sine vllo principio. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum ex vtero generaui te*: tanquam diceret, vt sancti illuminarentur, processisti ex me. Nec fuit, dilectissimi, alia causa cur vel ipsa nomina patris & Filij & Spiritus sancti seiuncta viderentur, nisi vt sancti homines instruerentur. Cæterùm quod dictum est Moysi ab ipsa substantia Trinitatis, *Ego sum qui sum.* Et sic dices, *Qui est, misit me*: Ergo ex *vtero in splendoribus Sanctorum* generatus est filius. Sed ne hanc generationem carnaliter vel temporaliter acciperes factam, audi quomodò cum genuerit. *Eructauit,* inquit, *cor meum verbum.* Ioannes testis dicit: *In principio erat verbum.* Deus pater dicit, *Eructauit cor meum verbum.* Propheta Abacuc dicit, *Ambulabit verbum.* Audis Dominum verbum, & *hoc esse in principio apud Deum,* & *Deum* esse *verbum*

Ioan. 1. 1.
1. Ioan. 5. 20
Psal. 109. 3.
Exo. 3. 14.
Psal. 44. 2.
Ioan. 1. 1.

Testimoniorum vox, & ipsius Trinitatis vnitas per totũ mundum contra te clamat: & tu velut canis rabidus contra totum mundum latras. Sed audi adhuc vnde pleniùs conuincaris, quòd Trinitas vnus Deus sit. Patris vox est per Prophetam ad Filium: *In splendoribus Sanctorum ex vtero genui te.* Patris vox est ad Isayam Prophetam de Spiritu sancto: *Spiritus,* inquit, *à me exiet.* Et Filij vox est in Euangelio ostendens in se patrem esse, & se in ipso, vbi ait: *Pater in me manens ipse facit opera.* Filij vox est de Spiritu sancto ostendens, quia quomodò procedit ex patre, ita ex seipso, vbi ait discipulis suis post resurrectionẽ, *Accipite Spiritum sanctum. Et insufflauit in eis,* ait Euangelista, Spiritum sanctum dans eis, ac dicens: *Si cui remiseritis peccata, remittentur illi.* Vnde & illud Apostoli Pauli: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Si ergo Filius in patre & ex patre, & Spiritus sanctus simul est & in Filio & patre, non est seiuncta Trinitas, vbi est perfecta vnitas. Discedat Arianus confusus reus, quia Trinitas vnus est Deus.

Psal. 109.3. Ioan. 14. 10. Ioan. 20. 22. Rom. 8. 9.

SED quando tibi, peruersa hæresis, verba mea proficiunt, cùm sis aspis surda obturans aures ne audias vocem incantantium? Noueris te tamen à virga serpente esse comedendum, dum oues quas tenes captiuas, ad suum ouile ille pastor adduxerit, vt sit vnus grex & vnus pastor. Ille pastor noster, dilectissimi, qui in virga ferrea pascit & regit, confringit & restituit: ipse pastor est, & ipse rector, ipse fabricator, ipse architectus noster. Magnum te pastorem video, Domine IESV, oues pascentem, errantes requirentem, inuentas cum gaudio ad gregem tuis humeris reportantem: magnum te architectum video virgam portantem: in virga pendentem, & de ista virga multa miracula facientem. Multum expauesco expositionem virgæ huius, dilectissimi, dum loca diuinarum scripturarum considero. Virga MARIA sancta, virga ipse Christus, virga crux. Et de ista virga quàm magna & mira fecit hic architectus: & arborem fecit crucis vbi ipse angularis pependit lapis, & scalas cæli per quas hominem lapsum ad patrem leuauit. Quale miraculum, fratres, huius architecti, vt de virga sua faceret scalas, & tales, quarum caput in cælum poneret, & per eas ipse & ascenderet, & descenderet, & propter confirmationem ipse super eas incumberet. Ascende securus qui deside-

Cap. VI. *De pastore Christo, oues suas crucis mysteriis, & scripturarũ exemplis ad satietatem pascente.* Ioan. 10. 16.

ras cælum: non te terreat earum nec angustia, nec longitudo, nec altitudo: nihil timeas, non nutant gradus eius quos ille architectus sic confirmauit, vt in eius ligno manus suas clauis affigi voluerit.

Vide has scalas huius architecti discipulum Apostolum Paulum & demonstrantem, & gradus quasi numerantem & ascendentem, & quàm plurimos inuitantem: *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri* IESV *Christi, vt det vobis comprehendere cùm omnibus sanctis quæ sit altitudo & latitudo, longitudo & profundum.* Quatuor gradus posuit crucis. Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ. Quatuor gradus habent, & perducunt ad cælum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi. Sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet: & ascendit vnum gradum. In latitudine crucis, manus affixæ sunt crucifixi. Perseuerent manus Christiani in operibus bonis: & secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi. Castiget quis corpus suum obseruationibus, ieiuniis illud suspendat, vt seruituti animæ subiiciat: & tertium gradum ascendit. In profundo crucis occultum est quod non vides, sed inde exurgit hoc totum quod vides. Adsit fides Christiana, quod non potest comprehendere, credat corde, altiora à se non quærat, spes eum nutriat: & tunc quartum gradum ascendit. Per hos gradus ascenderunt sancti omnes, continentes, coniugati fideles: euaserunt ruinas mundi, migrauerunt ad loca tutissima, vbi iam nec Barbaros timent, nec fragiles casus humanos exhorrent, nec corruptiones metuunt, nec ægritudines patiuntur, nec tribulationibus affliguntur, nec ipsam iam mortẽ timent, sed cum Deo de Deo viuunt. Hanc vitam, dilectissimi, amemus, petamus, desideremus: ad quam omnis qui currit, non graditur via pedum, sed via morum. Boni ergo mores requirantur, ipsi in omnibus inueniantur. Vterque sexus & omnis ætas habet in hoc sanctorum hominum imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiæ, qui cùm cæcus esset corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille eum manu ducebat in terra, & pater monendo eum perducebat ad cælum. Imitentur adolescentes Ioseph sanctum, pulchrum corpore, pulchriorem mente: quem casti-

Eph. 3. 14.

Tob. 4. 3.

tas sic possederat, vt irruentes minæ dominæ mulieris impudicæ non possent eum violare nec mente nec corpore, cuius iam Deus possederat mentem. Imitentur virgines sanctæ sanctam Domini sui matrem MARIAM. Imitentur viduæ religiosam viduam Annam: imitentur & coniugatæ castam Susannam. Virgo mater quod vouit, impleuit: Anna vidua in orationibus atque ieiuniis vsque in finem perseuerantiam tenuit: Susanna casta pro pudicitiâ coniugali vsquè ad periculum mortis accessit. Intendite coniugatæ, qualis vobis huius à Scriptura sancta imitatio proponatur. Non enim prædicat eam, quòd fuerit auro, monilibus vel veste pretiosa forinsecus compta, cùm fuerit intrinsecus pudore castitatis ornata. Omnibus vitam donauit, qui bonos mores instituit. Propterea namque ipse vir de fœmina est nasci dignatus: quia ab ipso vterque sexus est liberatus. Multa diximus, intentissimè audistis, epulas Dominicas libentissimè comedistis: rependite vicem ministratori vestro, vt si non verbo saltem vestris orationibus pascar. Gen. 39. 12.



SANCTI AVRELII AVGVSTINI SERMO, DE TEMPORE BARBARICO.

Cap. 1.  DMONET Dominus Deus noster non nos debere negligere nostra peccata, quando talem demonstrat iram suam. Ipso quippe iustè punit nocentem, quia nullum inuenit pœnitentem. Quotiens, dilectissimi, intonuerunt atque intonant tubæ diuinæ, *Agite pœnitentiam, appropinquauit enim ad vos regnum cælorum;* & clausis auribus cordis magis operamur mala, & petimus vt veniant bona. Sed talium iudicium iustum dicit esse Apostolus. In eo enim ipso quòd talia sapiunt qui tales sunt, ex malis operibus posse se bona suscipere, obdurati sunt, pœnitentiæ locum non requirunt. Meritò iustè iudicati, qui à semetipsis inueniuntur esse damnati. Licet non omnes hic noster tangat sermo, omnes tamen astringit sermo diuinus, dicens: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quomodò omnes, & quomodò non omnes? Quomodò non omnes? Quia sunt multi qui gemunt & dolent ob iniquitates quæ fiunt in medio eorum, volentes resistere, sed timore secularium rerum non audentes, quas adhuc vel adipisci desiderat humana fragilitas, vel amittere formidat infirmitas. Secundùm id quod dolent, non omnes, secundùm quod rem non timendam timent, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: quia plus æstimatur timor hominis, quàm timor Dei, & præferunt homines res quas acceperunt à Deo, ipsi Deo. Ne eas tollat malus homo, contemnitur Deus, per quem factus est homo. Vellem vos quidem qui adhuc tales estis, & amore rerum secularium obliga-

Mat. 4. 17.

Psal. 13. 3.

ti peccantibus aut parcitis, aut fauetis, vellem vos quidem aliquibus exhortationibus admonere, quid cui rei præponere debeatis: nisi nos fluuius lacrymarum compelleret plangere eos qui peccant, & nolunt agere pœnitentiam. Si esset in nobis humanus affectus, si esset compassionis sensus, vnius hominis mortem flere, dolere ac plangere deberemus. Quibus lacrymis, quo gemitu, quibus planctibus exagitamur, quando aut maximam partem, aut penè totam plangimus ciuitatem? Æger est charus, & vena eius malum renunciat; omnes qui eum diligunt ægrotant simul animo. Si eum in ipsa vicina morte ridere viderint, quemadmodum ab eo omnem spem salutis ablatam sentiunt, eúmque adhuc viuum tanquam mortuum meritò plangunt?

Inter tantas angustias, & in ipso fine rerum posita est vniuersa prouincia, & quotidie frequentantur spectacula: sanguis hominum quotidie funditur in mundo, & insanientium voces crepitant in Circo. O planctus omni tristitia acceptior: ô planctus omni mœstitia affligens cor: Libet flere. Plangimus enim, dilectissimi, & illos & nos, quia & nos digni sumus qui cum talibus meritò flagellemur. Nos enim, cùm alios accusamus, *omnes declinauimus, simul inutiles facti sumus:* Ibidem. prorsus omnes. Nullus est excusatus, quia talis est iudex vt omnis homo ab illo inueniatur reus. Cùm enim rex iustus sederit in throno, *quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Aduenit tempus illud quod Prou. 20. 9. prædixit Dominus. *Putas cùm venerit filius hominis, fidem inueniet in terra?* Quis habet fidem? Quis credit verbis diuinis? Luc. 18.8. Audebit aliquis nostrum sibi assignare fidem, quando audit Dominum dicentem discipulis: *Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis arbori huic, eradicare & plantare in mari, & obaudisset vobis?* Quis sibi audebit assignare, quòd faciat omnia Lucæ 7. 6. quæ præcepit Deus? Nemo, prorsus nemo. Prædicamus, & non facimus: auditis, & facere non curatis. Meritò omnes sub flagello conterimur, & doctor & factor, & auditor & contemptor. Studemus inuicem reprehendere, & non studemus opera nostra discutere. Detrahit proximus proximo, detrahit clericus clerico, detrahit laïcus laïco. Video quidem se inuicem accusantes, sed neminem video iustè se excusan-

Iacob. 4. 1. tem. *Vnusquisque* enim, *dilectissimi, proprium onus portat. Nolite detrahere alterutrum, fratres,* ait Apostolus Iacobus: *qui enim de-*
al. * &. *trahit fratri suo aut iudicat fratrem, detrahit legi * aut iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex; Vnus est enim legislator & index, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es, qui iudices proximum?* Nec tamen voces detrahentium, silentium possunt imponere verbo Dei.

Cap. 11. De pœnitentia peragenda, antequam succidatur arbor. Mat. 3. 2.

† CLAMAT ille per bonos, & per malos: *Agite pœnitentiam, appropinquauit ad vos regnum Dei. Nolite esse auditores legis tantùm, sed factores; Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Ecce enim ait Euangelista: *Securis ad radices arborum posita est: Omnis enim arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Video, inquit, omnes homines diuersas arbores, fructus etiam diuersos habentes: sed bonus fructus quæritur qui pascat, non qui pungat. Sunt enim & arbores spinosæ igni deputatæ meritò incendendæ, quia in eis nullus fructus est animæ. Putatisne, dilectissimi, nos omnes tales sumus, qui in istis malis pro peccatis nostris dimissi sumus? Exacuit agricola ferrum, amputat inutile lignum, abscissum seruat incendio concremandum. Hoc nunc agitur à vero agricola. Videntur sibi quidem mali adhuc stare, adhuc florere. Quisquis talis es, quisquis malus es, quisquis corrigi non vis, non te consoletur altitudo tua: quia maior te expectat ruina: ampliórque sustinet flamma, quia securis hæc ad te nondum venit. Ideò putas te posse semper stare, cùm videas vel audias alias arbores te ampliores cecidisse? Quòd te hic agricola differt, eius est patientiæ ne fortè intercedat apud eum locus pœnitentiæ.
Luc. 13. 8. Colonus enim ille in Euangelio, qui intercedebat pro arbore, quam Dominus eradicare volebat, quòd fructum per triennium non haberet, videte quid ait: *Domine, dimitte illam & hoc anno: faciam ei fossam, adhibeam cophinum stercoris. Si fecerit fructum, bene: sin autem, veniens abscindes eam.* Arbor hæc sterilis, genus hominum est non habens fructum pœnitentiæ. Dominus eius, conditor eius est. Intercessor huius arboris, Apostolus Paulus est. Vnde probamus? Audi in quadam Epistola sua quemadmodum intercedebat pro talibus: *Flecto,* inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det*
Eph. 3. 14. *vobis virtutem.* Hoc ergo eis petebat, vt acciperent quod

non

non habebant. *Faciam*, inquit, *ei fossam, adhibeam cophinum stercoris*. Fossa locus est humilitatis: cophinus stercoris, lacrymæ sunt pœnitentis. Quem locum si quis contempserit, ampliùs sustinebit tormentum, quando illius agricolæ acutissimum senserit ferramentum. Agite mali pœnitentiam, corrigimini mali, quia vobiscum flagellantur & boni.

DICET aliquis, Si mali meritò flagellantur, boni quare talia cum malis & à malis patiuntur? Quare? Quia secundùm quendam modum dicuntur boni; secundùm autem rectum verúmque bonum, *nemo bonus nisi solus Deus*. Ergo & ipsi boni, quicunque sunt boni, non tales sunt quales esse debent boni. Non enim sunt perfectum bonum, proficiunt enim de die in diem. Si proficiunt, vtique exercitationibus proficiunt. Nemo se iustificet, tanquam iam sit perfectus. Recedat de medio malè iustificator Pelagianus, confundatur hæreticus Arianus: *Nemo* enim *bonus, nisi solus Deus*. Quid ergo? Christus non est Deus? Planè Deus. De ipso quippe dicit Scriptura diuina, *Hic est verus Deus, & vita æterna*. Quid Spiritus sanctus, non est Deus? Planè Deus. Vnde probamus, quoniam & ipse Deus? Audi in Actibus Apostolorum Petrum Ananiæ fraudatori improperantem: *Anania*, inquit, *cur impleuit satanas cor tuum, mentiri te apud Spiritum sanctum? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ecce & Spiritus sanctus Deus. Ergo Trinitas vnus est Deus: & verum est, quia nemo bonus nisi vnus Deus. Patientes estote boni vt sitis verè boni: Patientes estote vsque ad aduentum Domini. Tolerate mala quæ patimini à malis cum malis: quia ista tentatio, vestra est examinatio. Si aurum es quid times paleam, quid times ignem? Simul quidem eritis in fornace, sed ignis paleas in cineres vertit, tibi sordes tollit. Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo à te separauerit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? Non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis à te separauerit amurcam. Veruntamen interroget se vnaquæque anima vt videat si iniustè patitur: proferatur statera iustitiæ, appendatur amor mundi cum amore Dei, vide quemadmodum præponderet amor mundi,

Cap. 11. *Quare boni cum malis puniantur.*

Luc. 18. 19.

1. Ioã. 5. 20.

Act. 5. 5.

proferatur speculum Scripturæ diuinæ. Speculum hoc neminem palpat: qualis est, talem te tibi demonstrat. Intende & vide, & si est aliquid quod offendat, abi confusus, & redi correctus. An non confunderis, & in malis tuis gloriaberis? Eris enim perfectum malum, non qualecunque bonum. Talis non vis flagellari cum mundo, aut flagellatus murmuras sub flagello? Serue male, fecisti quod Dominus iussit, qui ne vapulares, ista flagella ante tibi prædixit? Quis iussit? Dominus iussit, creator tuus iussit. Quid iussit? *Qui amat*, inquit, *patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*. Ecce quid iussit. Ait, *Qui amat filium aut filiam plusquam me, non est me dignus*. Ecce quid iussit: *Et quis est*, inquit, *qui odit patrem, aut matrem, aut filios?* Nec illos ille odire præcipit: sed vel quantum illos, tantum se diligi iussit. Plus quidem debueras diligere creatorem, quam creaturam; sed si non vales præferre, saltem vel æquare dignare. Verè filios tuos diligeres, si Christum filiis præferres, ipsosque filios ipsi committeres. Verè filios tuos diligeres, si in ipso illos diligeres, qui eos tibi dedit vt diligas. An ideò eos videris diligere, quia eorum voluptatibus faues? Audis blasphemantes, & patienter fers, Christiane, quod rex Nabuchodonosor alienigena non potuit sustinere, dicens: *Si quis dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misac & Abdenago, in interitum erit?* Vides frequentare spectacula, & non reuocas? vides luxuriantes, & non verberas? Nec potes te talem exhibere patrem, qui paratus sis indisciplinatos filios vel exheredare, vel abiicere: cùm paratus esse debueras sicut Abraham etiam filium immolare? Omnis enim qui filiorum trucidat voluptates, sacrificium tale quale Abraham offert Deo. Sed dum ista non fiunt, & his moribus deprauatis malè nutriuntur, qui isto mundo vtuntur, labesit mundus, nec immeritò ait Propheta, *Defluxit terra, & omnes inhabitantes in ea*. Non quiescunt vsque nunc murmurare homines, laudare tempora præterita, accusare tempora Christiana. Magna erant tempora patrum nostrorum, dicunt: O quàm bona tempora habuerunt patres nostri.

Mat. 10. 37. — Dan. 3. 96. — Esa. 24. 4.

Cap. IV. *Obseruandū diligenter ne vitia*

SED videte quid fecerint patres nostri. Phinees sacrificantem virum idolis manu propria peremit, vt placaret iram Dei. Moyses populum oberrantem, vitulúmque fusilem

adorantem, ita certa emendatione coërcuit, vt vnam tribum *aut errores*
ex duodecim ad se vocans, quæ sequi voluit Deum, præce- *in nobis di-*
ptum eis daret, vt acceptis gladiis in manibus suis filij percu- *ligamus* Num. 25.8.
terent parentes, & parentes occiderent filios: nullus eos re- Exo. 32. 26.
uocauit affectus, nullus humanitati reseruatus est locus, quia
timor & amor Dei præ omni desideriorum carnalium amo- Iudic. 11.39.
re ferebatur. Iephte vt hostes diis ac dæmonibus immolan- Iudic. 16.10.
tes superaret, vnicam filiam in sacrificio dedit. Samson cùm
gentes dæmonicolas virtute, quam à Deo in capite accepe-
rat, diutiùs bellis contereret atque fatigaret, seductúsque
postea per mulierem oculos simúlque virtutem capitis perdi-
disset: posteaquam cognouit in opprobrium suum omnes il-
los conuenisse ad templum idolorum suorum, eósque ma-
gnificare deos suos, quòd eis tradiderant acerrimum inimi-
cum suum, cùm crescente coma capitis eius, ei creuisset &
virtus, à puero qui sibi ducatum præbebat, vt sibi manum
porrigeret, petiit, séque ad illud templum deduci poposcit.
Ad quod cùm peruenisset, columnas duas, super quas totum
illud ædificium ferebatur, singulis manibus singulas colum-
nas apprehendens, ruina se simul & illos voluit opprimi, ne
laudes dæmonum in contumeliam Dei sui à quoquam li-
benter pateretur audiri. Daniel ne à rege homine petitionem Dan. 14.30.
aliquam posceret, sed à Deo viuo, qui præstat omnia bona
suis, leonibus ieiunantibus in escam datus est vt periret: sed
Dominus fidelem seruum suum non deserens, & ipsum inta-
ctum reseruauit, & per Abacuc Prophetam simul & ipsum
& leones pauit. Quid dicam de tribus pueris, qui cùm no- Dan. 3. 50.
lent imaginem regiam adorare, ignes riserunt? In quibus
pueris micans gratia ita enituit, vt ligati in fornacem mitte-
rentur, deambulantésque viderentur, os aperientes Domi-
númque laudantes, flammas ad se non admitterent, sed fuga-
rent: vt secum filium Dei habere meruissent, antequam
mundo in homine apparuisset, vt esset eorum vindex flamma,
Chaldęorúmque ministros fornax deuorans consumeret: pro-
ducti quoque de fornace incolumes, populos in se mirabiles
redderent, regémque mutarent, cúmque facerent Dei sui
adoratorem, quem senserant antè persecutorem. Sed hęc om-
nia faciebat fides, timor & amor Dei.

O lerant isti non solùm omnia quæ habebant propter Deum, verumetiam animas suas:& Deus eos hîc claros fecit, & æternæ vitæ remuneratione ditauit. Quid tale dilectissimi fecimus, imò econtrariò quæ mala non fecimus? Illi nec minis nec tormentis conuenti dæmoniis sacrificauerunt. An non sacrificauit, qui imagines idolorum per noctem ludentes, quod Nocturnum vocant, libentissimè spectauit? Sacrificauit prorsus sacrificauit: &, quod est peius, non tauri, vel cuiuslibet pecoris aliquam victimam, sed ipsam animam hominis pretiosam. In hoc tam nefando sacrificio non vnus vel pauci accusantur, tota hoc ciuitas fecit quæ tota consensit: nec ab hostibus, nec à barbaris, sed à seipso omnis homo in anima se intùs occidit videndo, consentiendo, non prohibendo, omnes remansimus rei. Et dum noluimus pacem ciuitatis turbari, peruersam pacem quam desideramus, non accipimus rectam. Contemnimus pacem seruare bonorum morum, & periit pax temporum nostrorum. Discite vel nunc, dilectissimi, quid cui rei præponere debeatis. Nolite diligere vitia in filiis, in amicis, in seruis, in omnibus notis: præponatur singularis potestas omni potestati, honorem exhibeamus Cæsari tanquam Cæsari, timorem autem Deo. Præferatur creator creaturæ, diligamus Deum, quia diligit nos: & in hoc quòd

Heb.12.6. nos flagellat, diligit, *Quis est enim filius cui non det disciplinam pater eius?* Qui sanam considerationem habet, qui credit Dei verbis, metuit plus ignem æternum, quàm cuiuslibet truculenti barbari ferrum: plus metuit mortem perpetuam morte qualibet hîc pessima. Irrideant hæc infideles, irrideant stulti, nolunt credere nec rebus expertis. Ecce conteruntur, ecce omnia pereunt, ecce cum ipsis non potest stare mundus quem amauerunt, ecce ad Deum trahuntur cuius præcepta contempserunt: non enim bona voluntate pergit, qui blasphemando moritur Ecce itur. Cùm illuc ventum fuerit, quid agitur? Quò itur? per quem abitur? Quis iterum huc redire cogitur? Finitum est & quod malè fecerat, & emendare finitum

Isa.46.18. est. Redite, filij, redite, *redite præuaricatores ad cor*, facite gaudium ex conuersione vestra, corrigantur corda vestra, displiceant vobis opera vestra: estote fortes, tribulatio mundi non

Phil.4.56. vos frangat, *Dominus in proximo est, nihil solliciti sitis.*

HABETIS virorum fortium magna exempla. Vicerunt martyres mundum. Inter quos martyres mares, etiam feminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies natalitia celebrauimus Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, & comitum. Et cùm tot ibi sint viri, quare istæ duæ præ omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus, aut æquauit, aut superauit virorum fortitudinem? Vna earum erat prægnans, alia lactans. Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tandiu hæc Perpetua lactauit, quamdiu acciperet ab illo pastore simul & patre buccellam lactis: qua accepta dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non inhærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas verò, quæ sociam habebat Perpetuam, & parturiebat & dolebat, obiecta bestiis gaudebat potiùs quàm timebat. Quæ virtus in fœminis, qualis est gratia quæ cum se infundit, nullum indignum iudicat sexum? Gratias gratiæ Dei, reparauit etiam sexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat: quia ab initio per mulierem peccatum, & propter hanc omnes morimur. Diabolus vnam Euam deiecit, sed Christus natus ex virgine, multas fœminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad cor suum intus admisit. Illam seduxit falsa promittendo, illas non valuit superare sæuiendo: illam decepit in paradisi felicitate, has non potuit adire, nec substantiarum deposita potestate. Illius inter paradisi delicias ruinam gauisus est, harum inter pœnas fortitudinis constātiam ipse quodammodo diabolus expauit. Meritò sic sunt exaltatæ, meritò viris vel coæquatæ vel prælatæ. Quamuis enim *in Christo Iesu non sit seruus neque liber, non sit masculus neque fœmina*, sed omnes sint vnum occurrentes *in virum perfectum*, descendit tamen hoc donum ex magna gratia. Perpetua enim & Felicitas nomina istarum sanctarum fœminarum, merces est sanctorum omnium Martyrum.

Cap. v. De martyrib. victorus præcipuè Perpetua & Felicitate.

Gal. 3. 28. Eph. 4.

VICIT mundum etiam Iob ille omnibus notissimus totiens tentatus, sed minimè superatus. Impleuit Dominicum præceptum, contempsit filios ne blasphemaret, qui dederat filios. Repulit à se vxorem quæ ei blasphemiam persuadebat, quam diabolus propterea solam dimiserat, quia sibi eam necessariam esse nouerat. Non enim dimiserat marito consola-

Cap. vii. De patientia Iob. Iob. 1. 2.

tricem, sed suæ tentationis adiutricem fecerat eam nouam Euam, sed ille non erat vetus Adam. Existimauit etiam istum sicut illum per mulierem posse decipi: sed iste spernendo vxorem pessima suggerentem, diuinitùs adiutus, etiam ipsum diabolum in illa valuit superare. Fortior fuit Iob in doloribus, quàm ille Adam in nemoribus: iste non cessit tormentis, ille superatus est in deliciis. Videtis dilectissimi quid agat tentatio, & quàm vtiles sint huius mundi pressuræ, & quemadmodum corrumpant terrenæ deliciæ. Contempsit Iob vxorem, filios, omnia sua, postea & carnem suam. Plus amauit eum qui dederat quàm quod dederat: Vsus est quod acceperat, tanquam bonus viator: possedit, non possessus est. At vbi ea placuit auferri qui dederat, benedixit, non blasphemauit: *Dominus*, inquit, *dedit, & Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* (Iob.1.21.) Imitamini talem virum, imitamini tales filij esse etiam flagellati, vt mereamini recipi. *Flagellat* enim *omnem filium quem recipit.* (Heb.12.6.) Disciplinam eius sustinete: sicut filios, ita vos aggreditur Deus.

Cap. VII. Luc. 15.13. QVOD probat ille filius iunior in Euangelio positus, qui disciplinam paternam contempsit, substantiam suam in meretricibus erogauit: porcos pauit, fame contritus est, siliquis porcorum ventrem suum implere non potuit: tandem aliquando reuersus est ad se, & inuenit se qui perdiderat se, & in mentem ei venit quod multi mercenarij patris sui abundarent panibus, ipse verò fame periret. Statim surrexit, ad patrem recurrit, non se filium, sed tanquam vnum ex seruis computari rogauit. Inclinatur humilitas, excitatur misericordia: voces filij pœnitentis concutiunt paterna viscera. Dicit se filius indignum, vt ille eum iudicet dignum: rogat vt in numero seruorum iubeatur suscipi: & pater ei illam primam stolam iubet afferri, mactat vitulum saginatum, chorum congregat, aduocat amicos, facit epulum magnum. Quare? *Quia hic filius meus*, inquit, *mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Hanc similitudinem Dominus in Euangelio proposuit, quam ipse exposuit dicens, tale *gaudium fieri in cælo super peccatore pœnitentiam agente.* Nunc verò quoniam tempus est exhortari omnes ad pœnitentiam, vt filij errantes reuertantur,

eísque conuiuium à patre saginati vituli præparetur : etiam nos, dilectissimi, parati sumus huic conuiuio tanquam amici ac domestici interesse:maximè quia cum isto patrefamilias ad mensam eius quotidie accedentes, non nos iam dignatur vocare seruos, sed amicos.

Percurramus, si placet, ipsam parabolam à Domino in Euangelio propositam, in qua nobis & affectum patris demonstrauit pium, & filij perditi indicauit reditum, filiíque maioris qui de paterna domo non discesserat, commotum retulit animum. Hoc quippe habet textus ipsius lectionis. *Veniens*, ait, *filius eius primogenitus de agro cùm audiret symphoniam, interrogauit seruos quidnam illud esset. Eíque dixerunt: Frater tuus reuersus est, & occidit illi pater tuus vitulum saginatum, eo quod saluum illum susceperit. Et indignatus noluit introire. Egressus est autem ad illum pater suus vt eum introduceret.* Improperauítque ille patri suo, quòd laborasset semper cum illo, & nunquam illi talia exhibuisset : at vbi venisset filius ille qui omnem substantiam paternam malè consumpserat, occidisset illi vitulum saginatum. Et reddit pater rationem facti sui, consolatúrque filium suum secum permanentem, de domo non discedentem, & dicit illi: *Fili tu meus es, & mecum es semper, & omnia mea tua sunt: veruntamen oportuit nos ista facere, quoniam frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est.* Non vacat hæc talis à Domino propositio. Donet itaque nobis qui ista proposuit, vt demonstremus ab ipso fuisse impletum hoc, quod per quandam similitudinem quodammodo nos excitauit ad aliquid inquirendũ. Affectum paternum exhibuisse suis Dominum nostrum Iesum Christum, nullus ambigit Christianus. Illud magis requiramus, qui sit filius iunior qui prodigè viuens substantiam paternam dissipauit, & qui sit filius primogenitus qui indignatus quòd filio perdito redeunti vitulus saginatus occisus sit, intrare noluerit.

Luc.15.27.

Quis est iste filius perditus, qui omnem substantiam paternam in meretricibus erogauit, nisi ille latro qui substantiam animæ à Deo sibi datam per scelera diffluendo etiam in cruce pependit? Porcos pauit, quando dæmonum voluptates suis factis impleuit. Fortasse illos porcos pauit, quos petierat diabolus à Domino, dicens: *Iube nos intrare in gregem porcorum.* Matt.8.31.

Fame contritus est, quia panem verbi Dei non inueniebat. Siliquis cupiebat saturare ventrem suum, quando tortuosis cogitationibus replebat animam suam. Sed reuertatur ad se, videat se latro in cruce pendentem, concurrat ad patrem, dicat
Luc. 23.42. pendens in cruce : *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Domine memento mei, non sum dignus vocari filius tuus, suscipe me sicut vnum ex seruis. Domine memento mei.* Latro enim sua attendens merita, de seipso diffidebat, sed Dominus tanquam pius pater latroni quasi filio quod desperauerat, offerebat. Proferat huic pater stolam illam primam, induat filium immortalitate, quem secum videt in cruce pendentem, introducat eum in domum: dicat Christus latroni, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Mactet vitulum saginatum, hominem illum susceptum etiam pro latronibus crucifixum : aduocet
Ioan. 15.15. amicos suos discipulos suos quibus dicebat : *Si feceritis quæ mando vobis, iam vos non dicam seruos, sed amicos.* Præparetur illud conuiuium cæleste, astet ille chorus Angelorum, suauiter
Luc. 2.14. declamans: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Veniat & primogenitus filius ille, & nolit intrare. Quis est
Mat. 26.69. iste filius primogenitus qui noluit intrare, nisi ille primus Apostolorum Petrus, qui ad interrogationem vnius ancillæ, in atrio sacerdotis ter Dominũ ausus est negare? Dixisti quidem, ô Petre, tanquam patri tuo Christo, ego tecum laboraui:
Ioan. 13.37. quando dicebas Saluatori, *Tecum sum vsque ad mortem, animam meam pro te ponam.* Vbi est quod promisisti? Interrogaris semel, & negas: secundò interrogaris, & negas: tertiò, & negas. Non vis ad conuiuium intrare, ideò ausus es ter Dominum negare. Vbi est, *Animam meam pro te ponam?* Ter negantem non terruit vngula, sed vna oppressit muliercula. Certè *tecum sum vsque ad mortem.* Vide, vide igitur Petre, quantum de te antea præsumpseris: ecce nunc ter negando, gallo teste conuinceris. Sed egrediatur pater ad primogenitum filium nolentem intrare, dicat Christus Petro: *Intra in gaudium Domini tui*, respiciat negantem, & faciat confessorem : compungat flentem, faciat amatorem, exhortetur eum paterna voce: Fili, inquit, tu meus
Mat. 16.18 es, tu es Petrus, & si me negasti, meus es. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu meus es, & omnia mea

tua sunt. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Apud te petre sunt claues, dignare iam ad conuiuium intrare. Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus latro mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Si petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, regni cælorum claues accepit, quà illuc introiuit latro ille iam non reus, nisi per latus quod aperuit Iudæus? Et nunc veniant omnes quicunque amant paradisum locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ felicitatis, locum in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris aduersarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes, est quà possitis intrare, patet * latus. Ostendit enim ille latro, quò debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare. *al.* locus.

Contendite, ait Dominus, *intrare per angustam portam.* Quid angustius illo foramine, quod vnus è militibus percutiendo latus crucifixi aperuit? & tamen per has angustias penè iam totus mundus intrauit. Venite & vos Iudæi, vocat vos quem crucifixistis Filius Dei: contendite intrare per angustam portam, per hanc enim introierunt patres vestri. Illi qui vt crucifigeretur clamauerunt, qui in ligno suspensum viderunt, qui irriserunt, qui caput agitauerunt, per istas tamen angustias introierunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Per has ergo, vt dixi, angustias, per angustam portam lateris Christi ingressus est latro mutatus, pœnitens Iudæus, conuersus omnis paganus, & ab eo exiit foras malus hæreticus Arianus. Exiit, quoniam non erat de numero permanentium. De illis enim erat, de quibus Ioannes dicit: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis essent, mansissent vtique nobiscum.* O hæretice Ariane, agnoscit latro in cruce pendentem, ipsi inimici Iudæi expauerunt resurgentem, & vos malè tractatis in cælo regnantem. Cauete dilectissimi Arianam pestem, non vos separent à Christo terrena promittendo, propter tunicam non vos expolient fide. Membra Christi seruate vnitatem atque integritatem vnius tunicæ, quam nec persecutores Christi ausi sunt scindere. Nolite iniurias irrogare capiti vestro: pro vobis ille mortuus est, ne vos moreremini. Quem Christus per baptismum viuificauit, quare cum Arianus rebaptizando occidit? Erubesce, erubesce

Cap. VIII. Luc. 13. 24.

Luc. 23. 34.

1. Ioan. 2. 19.

hæretice. Negauit Petrus & reuersus est, & flendo deleuit quod timore negauit: Christum in suis persecutus est Paulus, sed ad eius vocem cecidit & surrexit. Aliter cecidit, aliter surrexit. Cecidit persecutor, erectus est prædicator. In Christianis Christum persecuti sunt Reges: sed multum eis præstiterunt, quando membra ad caput suum velociter transierunt.
Mat. 3. 16. Nemo talia damna, qualia tu, ingerit Christo: animas enim multorum cupis interficere, pro quibus Christus in carne venit occidi. Erubesce, erubesce hæretice. Quid iteras, quod semel datur? In membris suis iam intus est Christus, noli in istis ipsum velle rebaptizare: semel enim pro omnibus cum Ioanne in aquam dignatus est ipse descendere. Redemit Christus animas, custodite quod ille redemit. Integro Christo integrum assignate prædium. Nemo inuadat, nemo inuasori consentiat: characterem Dominicum nullus abstergat, titulos Christi nemo deponat. Reddituri estis rationem Domino regi, boni serui, data est vobis occasio bene operandi. Abundant peregrini, captiui, expoliati. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in habitacula æterna.*
Luc. 16.



INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A

Actiones



EX circumstantiis pensandæ, 67. *& seq.*
Non sunt exterius propalandæ, nisi vt glorificetur Deus, 300.301. 341.342
Fugiendæ laudes hominum, 340. 341. 362
Actiones sunt mundæ, quando intentio est recta, 365

Adam.

Cur è paradiso expulsus, 143
Quomodò per esum habuit scientiam boni & mali, 144
In ipsius peccato intelliguntur plura peccata, 251. 252
In quo statu creatus est, 282. 283
Qualis futurus fuisset primus homo, si perseuerasset in gratia, 282
Status humani generis post Adæ peccatum, 242.245 246.278.279
Deus poterat hominem in hoc statu relinquere, 242.243
Nemo ab hoc statu liberatur nisi per gratiam Mediatoris, 243.244. 246. 254. 279
Vide Peccatum, & Filij.

Adoptio, filius adoptiuus.

Quomodò efficimur filij Dei adoptiui, 338. 339

Aduersarius.

Quis aduersarius, cui iubemur consentire, 308. 309. 393

Aduersitas, Afflictio.

Vide Tribulatio, Patientia, Homo.

Amor. Vide Charitas.

Amor sui & creaturarum.

Non licet homini diligere seipsum vel proximum nisi propter Deum, 13. *& seq.*
Quomodò seipsum & corpus suum debet homo diligere vel odisse, 14. *& seq.* 137. 210. 315. 316. *& seq.* 416. 417
Non se diligit, nisi qui summum bonum diligit, 14. 137. 417
Vide etiam Caro, Mortificatio.

Angeli.

Angeli sunt mutabiles, 138

Mali Angeli.

Diaboli lapsus, 138. 243
An & quomodò malus Angelus, 138
Eius inuidentia in hominem vnde, 138
Lætatur de miseriis damnatorum & tristatur de bono & liberatione bonorum, 165
Quomodò & in quibus Deus vtatur Dæmonum ministerio ad executionem prouidentiæ suæ, 165. 358
Homines sancti succedunt in locum desertorum Angelorum, 243. 259
Quomodò dicitur Dæmon loqui cum Deo in libro Iob, 357. 358

Anima.

Cibus animæ { Sacramentum corporis Christi. / Legis Dei meditatio & praxis, } 253. 254
Anima eget quotidiano cibo, 254
Qua ratione Scriptura dicitur panis animæ non potus, 360
Animas non fallunt obiecta vel sen-

sus, sed peccata, 160

Apostoli.

Ad conuersionem mundi debuerunt habere
- Sapientiam diuinitùs acceptam,
- Gratiam ad contemnendum quæ praui cupiunt.
- Firmitatem ad perpetienda quæ horrescunt,
- Maiestatem faciendo ea quæ mirantur, 127

Artes.

Quænam artes Christiano discendæ, quæ non, & quomodò, 55

Astrologi, Astrologia & cætera artes prohibitæ.

Quàm vanæ ipsorũ diuinationes, 42.43

Cur aliquando verum prædicant, 43. 44.

Non consulendi aruspices, &c. 393. 408

Atheistæ.

Quomodò fiant, 161. 162

Seruiunt triplici cupiditati,
- Vel Voluntatis,
- Vel excellentiæ,
- Vel spectaculi, 162
- Postremò omnibus rebus, 162.

Auaritia. Vide Eleemosyna.

Mirabilius est possessis non inhærere, quàm iis omninò carere, 207

Auarus seruit Diabolo, 366

Auarus est cæcus, 420

Pulchra expostulatio ad auaros, 419. & seq.

S. Augustinus.

Fuit Manichæus nouem annis, 203

B

Baptismus.

Conceditur adultis & infantibus, 251. 255.

In istis solùm originale peccatũ, in illis etiam actualia delet, 251. 261 289

Baptismus Ioannis non conferebat gratiam, 253

Baptismus est Christi mortis configuratio. 251. 254

Post Baptismum qualiter bellandum, 435. 436.

Virtus aquæ in baptismo vnde, 436. & seq.

Beatitudo, Regnum cælorum. Vide cælum.

Seruiendum iis, quibus quisque vult esse beatus, 162

Quis beatus, 187

Omnes beatitudinem appetunt, 187

Quid sit hominis summum bonum, 187. 188. & seq.
- Respectu corporis est anima, 189
- Respectu animæ Deus, 190. & seq. 195. 196. 199.

In beatitudine erit
- Vita sine morte,
- Sine errore veritas,
- Sine perturbatione felicitas, 241
- Requies sine fine, 398

Quanta pax erit, 260

Beati cognoscent omnia secreta diuinæ prouidentiæ, 275. 276

In beatis qualis futura voluntas & libertas, 282

Violentia necessaria ad beatitudinem comparandam, 324

Primũ quærere debemus regnum Dei. 368. & seq.

Quanta copia bonorum, 433

Beatitudines Euangelicæ.

Explicatio beatitudinum 291. & seq.

Beatitudinum applicatio septem petitionibus orationis Dominicæ, 361

Beatitudinum connexio cum donis Spiritus Sancti, 399 & seq.
- Timor congruit humilibus.
- Pietas mitibus.
- Scientia lugentibus.
- Fortitudo esurientibus & sitientibus iustitiam.
- Consilium misericordibus.
- Intellectus mundis corde.
- Sapientia pacificis, 295 296

Quomodò intelligenda varia præmia vnicuique assignata, 296. 297.

Benefacere, Beneficium.

Debemus proximis Benefacere non propter commodũ nostrũ, sed propter ipsorum salutem. 364. (Vide Charitas.) 367.371

C

Cardinales Virtutes.

Earum natura & officium explicantur, 199. *vsque ad* 209.

Caro, Carnales.

An & quomodò carnem odisse conueniat, 14. *& seq.*

Quomodò carnales efficiuntur homines, 136.146.446

Facile est execrari carnem, non autem, carnaliter non sapere, 145

Pœna carnalis hominis, 137.144.145. 159 160.

Exhortatio ad carnales vt redeant ad cor, 158.159.163.164 167.168.181

Vide Amor sui, Mortificatio.

Castitas.

Castitas nunc apud homines deridetur. 403

Cœlum. Via ad cœlum. V. Via.

Quibus mediis tendendum in cœlum, 426. *& seq.* 435. 436.

Via nostra ad cœlum, nauigio comparata, 426

Pugnæ, 435.436

Censores, Censura.

Censores Operum aliorum triplicis generis,

- Stolidi,
- Imperiti,
- Atrogantes, 1. *& seq.*

Charitas, Amor, dilectio. Vide etiam Scriptura.

Charitas quid, 66

Quatuor diligenda sunt & quomodò, scilicet,

- Vnum quod supra nos est,
- Alterum quod nos sumus,
- Tertium quod iuxta nos,
- Quartùm quod infra nos, 14. *& seq.*

Quantùm amandus Deus, 192.196.197. 420.451.452.

Ordo dilectionis, 16. *& seq.* 173 174

Optandum vt omnes diligant Deum, 17.18.210.

Proximi nomine veniunt

- Angeli,
- Omnes homines, 315
- Etiam inimici, 18.19

Quomodò amãdus proximus, 171 172. 175.210. *& seq.* 405.315. *& seq* 415. *& seq.*

Quomodò parentes, 172.450, *& seq.*

Amor proximi gradus est ad amorem Dei, 210.211

Quomodò tolerandæ proximi infirmitates? 175 326.330.332

Inuictus est qui diligit Deum, 171 173 174.208.

Non potest à Deo separari, 196.197. 206.207.

Per Charitatem assimilamur Deo, 197. 198.

Omnis virtus est amor Dei, 199

Sola Charitas bonum facit, 287 288

Omnia referuntur ad charitatem. (Vide Scriptura.) & 289

Christus. Vide Verbum. Incarnatio.

Cur Incarnatus, 9.10.246

Quomodò, 10. 246.247

Ex Incarnatione intelligitur dignitas hominis, 140

Nullum sexum contempsit, 140

In ipso duplex natura, vna persona, 246.247.248.250.

Etiam vt homo est filius Dei, 247

Magna dignatio Verbi quòd voluit incarnari, 247.248

Christi Conceptio.

Conceptus est de Spiritu sancto, 248. 250.

Non tamen est filius Spiritus sancti, 248.249.250.
Sed filius *Mariæ*, 248
Non contraxit originale peccatum, 246.250
Quomodò dicitur peccatum, 250.251
Habuit verum corpus, 429

Christi Baptismus.

Cur baptisari voluerit, 253.254

Mors Christi & Crucifixio.

Non est mortuus pro Angelis, 259
Crux Christi nou fuit supplicium sed tribunal, 439
Curauit humanum genus remedijs,
- Contrarijs, 10.11 140
- Similibus, 10.11

Non liberasset hominem nisi & Deus fuisset, 284
Apparebat hominibus
- Deus
  - Doctrinâ,
  - Miraculis, 140
- Homo
  - Passionibus,
  - Ætatibus, 140

Magister noster est, 423
Tota vita eius, doctrina morum, 140. 141.256.
Quomodò Legem impleuit, 301 *& seq.*
Cur *Mariam* aliquando vt matrem, aliquando non videtur agnoscere, 140.

Iudicium Christi.

Quomodò iudicaturus est viuos & mortuos? 256

Claues Ecclesiæ. Vide Ecclesia.

Clerici, Vide Vita.

Communio.

Quotidianæ communionis vsus, 353

Concionator. Vide Doctor.

Christianus.

Christianus non est qui non cogitat de futuro sæculo, 395. 416.
Qualiter pugnare debet, 435.436
Quid scire & discere debeat, 231.235

Consuetudo.

Quænam iusta, 68.69

Cor.

Cor mundum est cor simplex, 193.340. 341 345 363.364.384.
Cor nostrum sordescit amore temporalium, 364.365.379

Corpus, Vide Caro.

Correctio, Correptio.

Qualiter & quo animo, & à quo facienda, 376. *& seq.*

Creatura.

Sunt mutabiles, & cur, 142.143.232
Ex nihilo sunt factæ omnes à Deo, 142. 143.
Omnes sunt ex se bonæ, 136.138.144. 147.184.231.232.233.
In omnibus creaturis est aliquod vnitatis vestigium, 157.158

Vide Vsus.

Crux, Vide etiam Christi crucifixio.

Est scala Cœli, 443.444
Quatuor habet gradus, altitudinem, latitudinem, longitudinem, profunditatem.
- In altitudine signatur eleuatio mentis.
- In latitudine perseuerantia.
- In longitudine mortificatio.
- In profunditate fides, 444

Cupiditas.

Quid, 66
Minuitur crescẽte charitate, & contrà, 288 290.
Omnis mala cupiditas, fornicatio est, 312 318.

D

Damnati.

In damnatis quantæ tenebræ, 179 180
Pœnæ diuersæ, 180.275.285.
Qualis pœna infantium decedentium sine baptismo, 275.
Contra eos qui pœnas damnatorum putant non fore æternas, 285.286
An damnatis aliquod leuamen concedendum sit. 285.286
Pœna damni quanta, 286

Deus.

Deo solo fruendum & cur, 7 12.13
Est ineffabilis & quomodò, 7
Est illud { Quo nihil melius 7.8
Et sapientius, 8 9 }
Nullo indiget: 139
Non videtur nisi purgato oculo mentis, 9 293.340.384
Quomodò ad eum accedamus, 9
Vide Via.
Via ad Deum non est locorum sed affectuum, 11 12.139.327
Vide iterum Via.
Quid eam impediat ? 12 127. 340.341. 345.
Deus quærendus in inuestigatione Scripturarum, 191
Quomodò intelligantur variæ de Deo locutiones, 194.195
An Deus possit contemni & odio haberi, & quomodo. 366
Diabolus, V. *Angeli Mali.*

Dij.

De Dijs quid senserit Socrates, 126
Variæ de Diuinitate sententiæ, 161 175
Dilectio, *Vide* *Charitas.*

Discere, *Disciplina.*

In discendis, rationem debet præcedere authoritas, 187
Vide Ecclesia, *Christiani.*

Doctor Doctrina. *Concio*, *Concionator.*

Officium Doctoris Christiani est.
{ Bona docere, item { Docere, Delectare, Flectere,
Mala dedocere, 89 100.*& seq.* }
Finis, persuadere, 119
Quomodò parare debeat sibi eloquētiam, 87. 88
Qui dicit sapienter, præferendus ei qui dicit solùm eloquenter, 89. 90 102. 110.
Quis dicat sapienter, 90
Quàm necessaria orationis perspicuitas, & quomodò comparanda, 98 99. 100.
Doctori Christiano necessaria.
{ Oratio ante concionem, 103 104. 124.
Studium, 104 105
Bona Vita, 121 122.123 }
Probabilior est qui bene viuit quàm qui solùm bene dicit, 121.*& seq.*
Triplex est dicendi genus, quid, & quando vtendum & quomodò, scilicet,
{ Grande,
Temperatum,
Et submissum, 105.*& seq.* }
Quomodò persuadeatur in quolibet, 119.
Quomodò Patres vsi sint eloquentia, 112.*& seq.*
Debet se accommodare capacitati auditorum, 151.152
Non debet suam doctrinam Concionator commodis temporalibus obscurare, 300.369.370

Dolor.

Dolor, { Corporis.
Animi, 137 }

Domini.

Quomodò Domini seruos suos tractare debeant, 328
Dona Spiritus Sancti, V. *Beatitudines.*

Ecclesia.

Quomodò Christus nunc purget Ecclesiam, 11.131.132
Claues Ecclesiæ, 12
Vtitur Ecclesia,
{ Gentibus ad materiam operationis suæ,
Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ,
Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ,
Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ, 131.*& seq.* }
Prosunt hæretici &c. Ecclesiæ, 133.149
Vocatur Catholica etiam ab inimicis, 132.

Est mater omnium Christianorum, 215
In ea sola vera religio & pietas, 215. 216. 217 203. 428 429.
Est domus disciplinæ, 413
Ecclesiæ præclarum elogium, 215. & *seq.*
Nó est calumnianda Ecclesia propter prauos Catholicos, 223. 224
Ecclesia est de numero credendorum, 257.
Constat non solùm omnibus hominibus sed & Angelis, 257
Est templum Dei, 257. 258

Eleemosyna.

An & quomodò remittat peccata, 264. 265. 266. & *seq.* 408 409.
Fœneratur Domino, 333
Quomodò intelligendum illud; *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra,* &c. 343. & *seq.*
Exhortatur diuites ad faciendam eleemosynam, 409. 410. & *seq* 418. & *seq.*
Contra eos qui nimis student filijs ditandis, 410. 411. 418. & *seq.*

Eloquentia, V. *Rhetorica*.

Error V. *Ecclesia hæresis, Idololatria.*

Errorum tria principia, scilicet colere pro Deo
{ Corpus,
Animam,
Phantasmata sua, 134. 135 161. 181. 205. }
Error quid, 236
Alius est alio grauior, 237 238
Quando sit innoxius, 239. 240
Est tamen semper aliquod malum, 238. 240.
Multâ cautione opus est ad vitandos errores, 388 389. 428 429

Ethnici.

Non aspernandum si quid bene dixerunt. 40. 41. 56. 57
In doctrina eorum aliquid superstitiosum, aliquid non, 41. 42. & *seq.*
Vide superstitio.

Exemplum.

Bonum exemplum est bona exhortatio, 123

Festa.

Quomodò celebranda, 395. 396

Fides.

Fides nostra nititur Christi
{ Resurrectione, 11
Ascensione, 11 }
In quo fides à spe differat, 230
Sine operibus non Saluat, 262. 263. 288
Fides in Christum semper fuit necessaria ad salutem, 289

Filij. V. *Adoptio.*

An ligentur parentum peccatis, 522. 253.

Forma.

Forma corporis contemnenda, 165.

Fornicatio.

An & qua ratione peccatum, 405. & *seq.*

Fruitio, Vide *Vsus.*

Gaudium. Lætitia.

Non est gaudium impijs sed iustis, 387. 388.

Gratia & meritum.

Merita nostra sunt gratia, 283

Heresis, Heretici. Vide *Ecclesia, Religio, Error.*

Superbia causa hæreseos &c. 148
Heretici errantes sunt & lupi semitarij, 428
Quomodò discernenda hæreticorum prædicatio, 428. 429
Hæretici confundentur in iudicio, 438
Magi Pharaonis, figura hæreticorum, 440.

Homo. Vide, etiam Angeli[illegible] *ali.*

Naturaliter dominari appetit, 14 170
Homo bonæ voluntatis
{ Molestias huius vitæ conuertit in vsum fortitudinis,
In voluptate probat temperantiã,
In tentationibus acuit prudentiã, 139. }
Vide Vsus.

quis

vide vsus,

Quis homo { Interior 150 / Exterior 149. 150

Quis { Vetus, / Nouus, 399. 400. 406. 407

Quæ Vtriusque & quales ætates, 149 150

Homo exterior corrumpitur { Profectu interioris / Defectu suo, 166 / 400. 401.

Homo in quo animalibus excellat 152. 169. 416.

Quomodò factus ad imaginem & similitud. Dei, 169

Quomodò reformatur ad similitudinem Dei, 400 401

Status hominis { Ante legem. *Vide Adam,* / Sub Lege / Sub gratia, / In gloria, 288. 289

Quo sensu omnis arbor bona bonos fructus facit &c. 385. *& seq.*

Per quos fructus homo bonus distinguitur à malo, 386. 387

Cur homo erecta facie in cœlum, 416

Hypocrisis. Hypocrita.

Quis hypocrita, 342. 343. 376

Idololatria, Vide Error.

Origo Idololatriæ, 161

Species 161 176. 181. 182

Ieiunium.

Ieiunij conditiones. { Munditia cordis & lætitia 363.

Ignis.

Quomodo intelligatur apud Apostolum, *Saluari per ignem.* 263. 264

Inimici.

Inimicorum dilectio quanti meriti, 265.

Est perfectio Charitatis 333. 334

Qui sint inimici, 352

Iniuria, Vltio, Vindicta. Vide Mansuetudo.

Iniuriam, petenti veniam, non remittere graue peccatum. 265. 356 362.

Variæ species iniuriarum 330. 332

Vindicta, infirmi est animi 330

Vindicta quandò licita, 330. *& seq.*

Quomodò à sanctis vsurpata 331. 332

Imprecationes ab illis factæ quî explicandæ, 334. *& seq.*, 337. 338

Inuidia.

Nulla inuidia regnat inter bonos 171 173.

Inuidia quantum malum, 335. 336

Est Diabolicum vitium, 318

Intentio V. Actiones.

Iob. Vide Angeli mali.

Iob patientia, 207. 453. 454

Ira.

Gradus iræ triplex { Ira sola / Ira & vox, / Ira & vox & vituperationis expressio. 304

Quomodò intelligendum illud, *Omnis qui irascitur fratri suo* &c. 303 *& seq.*

Quomodò Deo tribuatur, 246. 286.

Iudæi.

Obstinati adhærent signis pro rebus, 63.

Vide signa.

Iudicare, Iudicium.

Iudicant homines vt plurimum, { Ex praua consuetudine, 65. 66 / Ex concepta opinione, 66 / Ex propria dispositione, 71

Iudicium hominis quomodò corrigendum, 158

Quid iudicium temerarium, & quando contingat, 374. 375. 376

Pœna iudicij temerarij, 375

Procedit ex superbia vel in[illegible]dentia, 376.

Iudicium extremum. V. Christi Iudicium.

Quàm formidandum, 391. 392

Iuramentum.
Iurare an & quomodò liceat 321. & *seq.*
Iustus, Vide homo Charitas, vsus.
L
Lætitia, Vide Gaudium.
Laudes.
Laudes hominum an & quomodo fugiendæ, 340. 341. 343. 362.
Libertas, voluntas
Datur in homine, 138. 139.
Neque vera libertas neque bona voluntas est ab homine, 244 245
Lites.
Lites an & qua ratione licitæ, 355.
M
Malum.
Nihil malum nisi peccatum & pœna peccati, 166
Malum non potest esse sine bono, 232 233 274.
Causa mali voluntas Angeli & hominis, 241
An sit bonum, esse mala, 276
Malum permittitur à Deo, 276. 279. 280.
Manichæi. Vide Creaturæ.
Manichæorum errores, 134. 186. 225. 429.
Mansuetudo. Vide beatitudines
Mansuetudinis perfectio. 325. & *seq.*
Quomodò intelligendum illud ; *Si quis te percusserit in maxillam, &c.326. & seq. 329.*
Martyres, Martyrium.
Martyrum constantia, 453
Exempla, 453
Matrimonium.
Quando potest vxor dimitti, 313. 314. 316. & *seq.*
Ad quid apud Iudæos libellus repudij, 313
Dimissa vxore, non propterea licet aliam ducere, 314 316. & *seq.*
Laudabile est, coniuges inter se continentiam seruare, 314. 316
Meliùs debet viuere vir, quàm vxor 394. 401. 402.
Æquè Vir debet fidem Vxori, ac Vxor Viro. 395. 396. 401. 402. & *seq.*
Quo motiuo debent sibi inuicem fidem seruare, 402
Vxor non debet imitari maritum infidelem, 402. & *seq.*
Mendacium.
Semper est malum, 22 236. 237. 240. 241.
Etiam factum pro salute alterius, 240. 241.
Quid intersit inter mendacium & errorem, 157 237. & *seq.*
Magis obest facienti quàm patienti 236. 237
Aliud est alio grauius, 236 237
Merita, Vide Gratia.
Miracula Vide Religio.
Miracula cessauerunt.
{ Ne animus semper visibilia quæreret,
Ne homines consuetudine frigescerent, } 149
Misericordia, opera Misericordia.
Opera misericordiæ 211. 212 & *seq.* 265
Vnde dicta, 211
Misericordia Dei.
Non debet sibi blandiri peccator de misericordia Dei, 391. & *seq.*
Missa, Vide sacrificium.
Monachi & sanctimoniales, V. Vita.
Mors. Vide Vita.
Ex Deo non est mors, 136
Quid sit mors, 136
Differentia mortis iustorum & peccatorum, 322
Homo iustus non tristatur morte suorum, 174
Mortificatio.
Vide Caro, Amor sui, Homo.
Ad quid Mortificatio, 14 & *seq.*
Mundus, Vniuersum.

Etiam post peccatum pulchritudo Vniuersi est inculpabilis.
Damnatione peccatorum,
Exercitatione iustorum,
Perfectione beatorum, 147. 167
Comparatione malorum, 232
Pulchritudo Vniuersi, 165
A visibilibus ad inuisibilia ascendendum, 152. 177

N

Nutritio.

Quomodo fiat? 164

O

Odium.

Quomodò intelligendum illud; *Qui non odit Patrem & matrem &c.* 314. *& seq.* (*Vide Amor sui & Charitas*) 452
Odium quid, 376

Oratio.

Oratione humilium operatur Deus salutem sublimium, 281 282
Orationis Dominicæ explicatio, 286. *& seq.* maximè, 347. *& seq.*
Quot petitiones contineat, 287
Applicatio septem petitionum totidem beatitudinibus, 361
An sit quispiam pro quo orare non debeamus, 335 337
Quomodò contra quosdam oratum à Sanctis, 337. 338
Orandum clauso cordis ostio & paucis, 346. *& seq.*
Cur orandum, si Deus ante nostram orationem nouit quid nobis sit necessarium, 347

P

Parentes.

Contra parentes qui filios dissolutos non corripiunt, 450
Patientia. V. Tribulatio, Homo, Iob.
Exempla Patientiæ, 207. 208
Beatitudo vix est in patiendo pro Christo, 297. 298
Non calcatur patiēs persecutione, 299
Infirmitates proximi tolerandæ. *Vide Charitas.*
Motiua patientiæ, 454

Paupertas.

Quid paupertas spiritus, 292

Pax & Pacifici.

Pax quantum bonum, 293. 294
Qui Pacifici. 294

Peccator.

Tres gradus peccatorum, 311
Peccator non debet sibi blandiri. De longa Vita, 392. 393. De misericordia Dei, 391. 392
Quàm iniustus est qui vellet Deum non punire peccata, 400
Peccatum originale. V. Adam.
Peccatum. Vide Malum, Peccatum,
Causæ peccati, 271
Quid intersit inter facinus & flagitium, 66. 406
Quid peccatum ad mortem & non ad mortem, 335. 336
Pœna peccati, 137. 144. 241. 242. 283
Pœna peccati moderata, 139
Peccatum necessariò debet esse voluntarium & liberum, 138. 139
Non turpatur peccato vniuersitas, 147. 152
Inuictus est qui vitia sua vicerit, 171
Nullus hîc impeccabilis, 261
Quomodò quotidiana peccata, eaque leuia remittantur, 265. 269. *& seq.* 407. 408. 409.
Quæ leuiora peccata, 269. *& seq.* 408. 409
Non sunt paruifacienda 408 409. 426
Multa peccata grauissima consuetudine leuia videntur, 270. 271. (*Vide Iudicium.*)
Peccatum impletur suggestione, delectatione & consensu, 310. *& seq.*

Phantasmata.

Quid, 135

Platonici.

Parum distant à Christianis. 129

Pœnitentia.
In pœnitentia non tam est habenda ratio temporis quàm doloris, 261
Rectè tamen mensura temporis ab Ecclesia præscribitur, 261
Ad pœnitentiam necessaria gratia, 271
Impedimenta penitentiæ 271
Quid pœnitentia falsa, 336
Pœnitentia falsa indurat, 410
Exhortatio ad pœnitentiã, 448. *& seq.*
Poligamia.
Veteres Patres Castiores erant cum plutibus Vxoribus, quàm coniugati istius temporis cum vna, 70. 71. 72
Præcepta.
Præcepta alia alijs temporibus, 70. 141. 142 182.
Præcepta Dei, aduersarius hominum, 393. *V. Aduersarius.*
Quàm iniuriosi homines præceptis Dei. 395. 396
Præcepta Dei, cythara sunt, 397 *& seq.*
Præceptorum Dei paranætica explicatio, 395. 395. 398. *& seq.*
Leuia sunt sed amanti, 399
Profectus, *Vide homo, Via.*
Qui non proficit, deficit, 427 *& seq.*
Prouidentia. Vide Angeli mali.
Cur Prouidentia diuina non placet Omnibus, 146. 147
Est admirabilis in gubernatione vniuersi, 148 *& seq.* 165. 169
Pulchritudo. Vide forma.
Purgatorium.
An sit purgatorium, 264
An & quibus defunctis prosint suffragia viuorum, 284. 285

R

Reconciliatio.
Reconciliationis præceptum quomodo intelligendum, 305. *& seq.*
Religio. Vide fides, Ecclesia.
A Religando dicta, 184
Via beatæ Vitæ sita est in Religione, 125.
Apud quos quærenda, 130. 131. 132. 148. 428 429
Caput sectandæ Religionis, fides historiæ & prophetiæ, 132. 133. 148
In quo perfecta Religio, 135. 141. 218
Stabilita est nostra religio miraculis 148
Religiosi. Vide Vita.
Reparatio. Resurrectio. Vide Homo.
Duplex. { Spiritualis, 12 / Corporalis, 12. 273
Inæqualis erit resutrectio bonorum & malorum, 12. 151. 274. *& seq.* 285
Reparatio hominis,
{ Quantùm ad corpus fit per animam stabilitam in Deo,
Quantum ad animam, per Deum, 137. 138 }
Item anima curatur,
{ Per authoritatem, 147
Per rationem, 147
Per historiam & prophetiam, 148. 132. 133. 149. 177 }
An corpora resurgent cum defectibus, 272. 273. *& seq.*
An fœtus abortiui resurgent, 271
An singularum partium futura sit eadem materia, 273. 274
An futura sit in corporibus inæqualitas, 274
Rhetorica. Vide Doctor.
Citò discenda, 87
Alioquin legendo, non præcepta audiendo comparanda, 87

S

Sacrificium.
Sacrificium missæ prodest etiam defunctis, 284. 285
Salus Salui. Vide Oratio.
An & quomodo Deus velit omnes homines saluos fieri 277. *& seq.* maximè, 281
Cur aliqui Saluantur, alij non 277. *& seq.*

Sancti.

Sanctorum peccata quo animo legenda, 73

Sancti, Angeli beati, non sunt honorandi seruitute, i. latriæ cultu, sed
- Hi charitate, 183
- Illi imitatione, 181
- Congratulatione, 183

Sapientia. Vide Veritas.

Septem gradus ad sapientiam,
- Timor
- Pietas,
- Scientia,
- Fortitudo,
- Misericordia,
- Munditia cordis,
- Sapientia 28. 29

Quomodò quærenda, 202

Sapientia consistit in pietate seu cultu Dei, 227. 228

Qui cultus impletur.
- Fide,
- Spe,
- Charitate, 218

Scandalum.

Quomodò intelligendum illud, si oculus tuus scandalizat te &c 312. 313

S. Scriptura. Vide anima.

Præsumptio est sine Magistro S. scripturam velle discere 2. 3. 4.

Hoc fit tamen aliquando ex Dei priuilegio 2.

Cur Deus ita ordinauerit, 3. 4.

Totius scripturæ sacræ scopus est Charitas Dei & proximi, 21. 22. 66. 289. 398.

Qualem lectorem postulet, 22. 23. 24

Fides spes & Charitas titubant, si scripturæ vacillet authoritas, 23.

Obscura est
- Ad superbiam nostram edomandam,
- Ad fastidium remouendum, 27. 28. 141

Obscuritas scripturæ vnde, 31. 32.

Quibus medijs clara fiat 32. *& seq.* 59. *& seq.*

Septem Regulæ ad intelligentiam sacræ scripturæ 79. 80 *& seq.*

Quibus dispositionibus legenda, 30. 31. 186. 209.

Omnes artes deseruiunt ad eius cognitionem 32. *& seq.*

Qui Libri canonici, 30. 31

Quantæ authoritatis sit Italica Versio & septuaginta Interpretum 36. 326

Quantæ dignitatis supra scientias prophanas, 58

Non caret eloquentia, 90 *& seq.*

Quomodò distinguenda figurata locutio à propria, 65 68. 69. *& seq.* 73 *& seq.*

Eiusdem loci Varij sensus, 75

Quanta fides singulis eius sententiis debeatur, 214. 215

Epistolæ ad Hebræos authoritas, 230

Seruire.

Seruire Deo, tenetur homo, 466. 467

Signa. Vide Iudæi.

Signum quid, 25

duplex.
- Naturale,
- Datum, 25. 26

Inter signa præcipua sunt verba, 26

Seruitus est signis pro rebus adhærere, 63. 64. 65.

Solicitudo.

Cauenda nimia solicitudo rerum temporalium. 367 368. *& seq.*

Non tamen improbandus pro eis labor, 371. *& seq.*

Spes. Vide Theologicæ Virtutes.

Spiritualis, Spiritus, Spiritus Sanctus.

Quomodò fit homo spiritualis, 137

Quomodò iudicat omnia, 155. 156

Spiritus sanctus est Deus, 198 257. *Vide Trinitas.*

Superbia.

Melius est vinci ab homine, quàm superbia &c. 171

Superstitio. Vide Ethnici.

Superstitiosum quid 41.

Quanta apud Ethnicos superstitio-

sa, 41 & seq.
Cognitio herbarum non est superstitiosa, 48

T

Talentum.
Qui bene suo talento Vtitur, eius meretur augmentum, 5. 152
Qui bene vtitur, coronabitur, qui malè, damnabitur, 180. 181

Tentatio.
Multiplex, 162. 163. 387
Quomodò Vincenda, 163
Cur tentamur à Deo, 356. 358
Necessaria est hîc tentatio. 337
Quæ tentatio humana, quæ periculosa, 359

Testamentum vetus & nouum.
Quâ prudentiâ iudicandum de multis gestis sanctorum veteris testamenti?, 67. & seq.
Concentus vtriusque Testamenti, 192. & seq.
Quomodo omnia facta noua, 324. 325
Cur alia præcepta in veteri, alia in nouo, 70. 141. 142. 282

Theologia.
Qualem requirat studiosum, 57
Theologica Virtutes. V. *Fides, Charitas.*
Earum connexio, 230. 231.
Sine Charitate aliæ non saluant, 288. Vide fides,
Spes non est sine amore, & quo, 231 288
Spes nostra tota debet esse in Deo. 286

Tribulatio. V*ide homo*, *Patientia.*
Bonis afflictiones cooperantur in bonum, malis in malum, 165 375
In hac Vita sunt salutares, 262
Non turbant aduersitates, si homo terrenis non hæreat, 361
Cur boni hîc affliguntur, 449

Trinitas.
Trinitas vnus Deus, 431. 432
Filius æqualis Patri, 430 & seq. 441 & seq.
Similiter & Spiritus sanctus, 431 432. 443.

V

V*erbum.* V*ide Christus.*
Est Veritas, & forma Verorum, est similitudo & forma similium, 160
V*erbum Dei.* V*ide Scriptura.*
Quis dicendus est audire Verbum Dei, 309. 310. 389. 390
Verbum Dei aduersarius noster. 395 396. 407

V*eritas.*
Quid sit Veritas æterna, 155
Lex est seu regula secundum quam de inferioribus iudicamus, 153 & seq
Ex creatis quomodò Veritas æterna demonstretur, 165. 164. 176
Propensius inhæremus nugis quàm veritati, 175. 396.
Veritatis cognitio sequitur bonos mores, 213
Canes dicuntur Veritatis oppugnatores, porci contemptores, 379
An & quando Veritas tacenda vel non, 378. & seq.

V*estes.*
In vestitu humili æquè ac in vano potest esse iactantia, 362. 363

V*ia.* V*ide cælum.*
Prima Via ad Deum { Christus, 21. 427. 441 / Creaturæ. V*ide mundus.* / Scriptura, V*ide Deus.* }
Eorum qui sunt in via.
{ Alij celeriùs ambulant,
Alij tardiùs,
Alij remanent,
Alij retrò redeunt,
Alij aberrant, } 427 & seq.

V*indicta.* V*ide Iniuria.*
V*irtus.* V. *Cardinales*, & *Theologicæ.*
Omnis virtus est Charitas. 199
Cur virtutis pulchritudo ab homine non videtur, 407

Vita, Viuere.

Deus principium omnis vitæ, 136
Mors vitæ, nequitia, 136. 137
Ratio rectè viuendi petenda est ex Scriptura, 191. 192
Bene viuere est Deum diligere, 209. 215. 187 314. 315
Beata Vita consistit in actione & contemplatione, 381
Vita Monachorum, Sanctimonialium & Clericorum tempore S. Augustini, 217. *& seq.*
Non potest malè mori, qui bene vixerit, 422

Vitium. Vide Peccatum.

Vitia sunt febres animæ, 401

Voluntas. Vide libertas.

Voluntas Dei semper recta est. 280
An semper homo debeat velle quod Deus vult, 280
Homo bonæ Voluntatis, *Vide homo.*
Vsus, Vti & frui. *Vide Homo, Ecclesia.*
Quibus rebus debemus { Vti, Frui, 6. 7. 12. *& seq.* 20. 21 }
Deus vtitur nobis non fruitur, 19 20.
Vir bonus vtitur. { Amico ad rependendam gratiam, Inimico ad patientiam, Quibus potest ad beneficentiam, Omnibus ab benevolentiam, 173 }

Zelus.

Zelus quorundam sanctorum veteris Testamenti. 450. *& seq.*

ERRATA.

Pag. 193. lin. 26. Vrgeri *lege* Vrgetis.
pag. 196 lin. 32. de eram, *l.* deseram.
pag. 288. lin. 26. ira *l.* ita.
pag. 292. lin. 21. & docebat, *dele* &
pag. 373 lin. vlt. hoc oco *l.* hoc loco.
pag. 385. lin. 27. neque animam mala *l.* neque animam malam.
pag. 395. lin. vlt. bserues, *l.* obserues;
pag. 410. lin. 11. fiios *l.* filios.
pag. 420. lin. 15. fide *l.* fidem.
pag. 432. lin. 1. olerant *l.* oderant.

